




6K9









Collegij Societatis Iesu Brachii  
LITTERÆ

ANNVÆ

SOCIETATIS IESV,

ANNI M. DC. II.



BIBLIOTECA NAZ.  
ROMA  
VITTORIO EMANUELE

ANTVERPIÆ

Apud Heredes Martini Nutij,

ANNO M. DC. XVIII.





## PROVINCIA SICVLA.



VNT in Prouincia Siciliae domicilia sexdecim; in ijs degunt è Societate quadringenti nonaginta quattuor. in Domo Professa Panormitana septem & quadraginta, in Collegio Panormitano nonaginta quattuor, in Domo Probationis vnus supra quadraginta. in Collegio Messanenſi sexaginta tres in Domo Probationis triginta octo. in Catanenſi, Syraçuſano, Bivonenſi, & Calataieronenſi in ſingulis vnus & viginti. in Collegio Montis Regalis octoni deni, totidem in Minæenſi, & Drepanitano, vno minus in Calataniffettēſi. in Rhegino duodecim, totidē in Melitenſi, in Marſalenſi ſexdecim. Hiſce additur reſidentia Agragentina, vbi quinque hoc anno fuere è noſtris, totidem in Miſſione Platienſi, in Miſſione verò Chiuſ inſulæ ſex. morte erepti ſunt octo: eorum vicem tredecim, qui Societati nomen dedere, compenſarunt.

*Domus Professa Panormitana.*

FRrequentia in noſtrum templum quanta cum maximè: nulla tamen eſt hebdomada, quin è noſtris bini ternis diebus noſocomia duo, & carcerem vnum cum fructu adcāt. Conciones habitæ cum fructu auditorum, & pauperum ſubſidio; ad quorum inopiam ſubleuandam præter ſtipem ſolitam, multa à multis ſubmiſſa; cuiuſinodi adiumenta etiam priuatim curata tempore. Per totam Quadrageſimam conciones inſtitutæ de Chriſti cruciatibus ſingulis Veneris diebus, concurſu, quem vix caperet templum, haud anguſtum: ſub eas pſalmus L. triplici ſymphoniacorum, muſico-

rumque instrumentorum concentu decantabatur. Sunt in hac domo Sodalitates quattuor notæ quidem illæ ex aliis litteris; incrementa hoc anno iis addita & numero, & spiritus feruore. Palàm duæ in templo nostro sub concionem communicantes, quot mensibus, ac eo sæpius, magno sunt exemplo populo conuenienti. Illa Clericos quaternos quot hebdomadis ad nosocomia mittit, plures interdum ad victorum confessiones excipiendas, progressus facit in dies in modestia, & disciplina clericali. at ea adolescentium, seminarium est Religionum notæ melioris. Multarum mulierum, quæ nostrum frequentant templum, pietas illustris hoc maximè tempore. Simulacra quædam ineunt inter se Sodalitatum nostrarum, nosocomia adeunt, mulieribus ægrotantibus ministrant corporis animique fomenta; præcipuè verò subleuant matronas nobiles, quibus præ verecundia paupertas grauior. Sanctimoniales confessionibus concionibusque adiutæ. honestæ mulieres, periclitantes tamen, in matrimonium nostrorum operâ collocatæ. aliæ à turpi quæstu abductæ. vna qua vir Ecclesiasticus alicuius nominis multos annos cum multorum offensione abutebatur; maiore labore, vt assolet, æquali fructu abstracta. homicidia repressa tum eorum, qui aliis, tum eorum, qui sibi mortem meditabantur. Ad summum omnia instituti nostri munia strenuè exercita; communia enim & vulgaria, vt pacificationes factas & moribundos adiutos, & id genus alia mittimus. Curata templo aureis quingentis crux bipedalis cum duobus candelabris ex crystallo aureis crustis insignita, ad veræ crucis frustum concludendum. Opportunè accidit, vt hoc anno quinque circiter aureorum millia hinc & inde eleemosynæ nomine numerarentur nobis, præter quotidianam

dianam stipem vitæ sustentandæ corrogatam, cum domus nostræ bona pars ruinam minaretur: quapropter renouata domus magna ex parte commodiorem reddit habitationem. Mortuus est vnus ex Coadiutoribus Fratribus, Vbertus Chetel Belga anno ætatis suæ 76. Societatis 53. vbi magno semper probitatis exemplo degit: is cum ad Leuiticum gradum ascendisset, nunquam adduci potuit, vt sacerdos fieret, humilem hilariter vitam amplexus, & se tanto munere indignum prædicans. mundities exterior, vnde B.P. Ignatius coniectabat interiorem, apprimè illi grata erat; & sanè innocentia & simplicitate præstabat. Feriæ Dux regni huius Prorex nostrorum colloquio familiarissimè vitur; exceptus conuiuio diem fermè totum nobiscum consumpsit; in nostram Societatem bene affectus est, ac honorificè vbi se offert occasio, de ea loquitur semper.

### *Collegium Panormitanum.*

**A** Vctus est maximè hoc anno nostrorum numerus, qui vel Philosophiæ, vel Theologiæ studio dicati sunt. Cùm enim à Professorum Domo Collegium disunctum esset, nec Sacerdotes, qui templi frequentiam exciperent, præter duos externorum auditorum confessionibus deditos, alere cogeretur; commodiùs Scholasticorum numerum auctiorem reddidit. Federicus Lombardus optimæ indolis adolescens, cùm peracta nouitiatus probatione, se ad Philosophiæ studia contulisset, breui lenta tabe acphthisi correptus, ad Deum, vt spes est, euolauit, cum magna in tam graui morbo, vel patientiæ, vel pietatis exempla reliquisset. Diebus Dominicis è nostris aliquot in celebrioribus ac frequentioribus vrbis plateis ad circumfu-



sam multitudinem verba faciunt, secunda, vt fructus declarat, concione. quidam ex ijs, qui ex edito aliquo loco in plateis histrionicam exercent, à quamplurimis audiebatur. Accedit noster de rebus ad animi salutem spectantibus, de more verba facturus. Discedit ille aliò audientem populum inuitans, vbi elegantem mulierem agentem expectaret. at verò surdis cecinit; omnes orationi à nostro habitæ attentis animis, audisq̃ue auribus interfuere. Fructum orationi respondisse, & audientium lacrymæ, & saniora concepta consilia testimonio fuere. Dum idem de peccati turpitudine differit, illac fortè viam faciens homo quidam, qui annos quinque & viginti furtis vivebat, ac luculentam supellectilem sibi comparauerat, Accedamus, inquit, diabolum hunc, (eo enim nostros appellabat nomine) verba facientem audiamus. at non iniuria dignum retulit fructum. adeò illius verbis animum moueri suum sensit, vt antea vitæ pertæsus, remedium flagitauerit; virus peccatorum criminum per absolutam atque integram confessionem euomuerit. Imò etiam, cùm antea, tamquam nobilissimus ciuis, per urbem incessisset, humilem nunc famulatum exercet, & octauo quoque die sacra mysteria obiens, magnum emendatæ ac melioris vitæ specimen præbet. Alius item adolescens, qui sex circiter annos cum alio quodam perditissimo homine versabatur; adeò eiusdem oratione permotus est, vt interni animi sensus lacrymæ, quæ assiduæ ac copiosæ ex oculis manabant, amplissimam significationem darent. Se nullius vinq̃uam participem futurum consolationis asseuerabat; quam tamen a nota doloris causâ, Deoq̃ue per confessionem flagitiorum conciliato adinuenit. Nec illud silentio prætereundum; quòd cum maritus, & vxoris frater de  
illi



illi inferenda morte conuenissent, & iam ad par-  
trandum facinus alacri passu contenderent; casu  
euenit, vt ad nostrum in platea quadam concio-  
nantem accederent: cuius verbis perdita illa men-  
te in meliorem ac salubriorem commutata, in pri-  
stinam cum muliere gratiam redierunt. Denique  
honestissimi cuiusdam ciuis præclarum facinus  
reliqua breuitatis studio omiſſa compensabit. qui  
cum animaduerneret è nostris vnum, qui Dei ver-  
ba enuntiaturus erat, aliquantulum angi; accedit;  
causam rogat. ille verò eam esse respondit, quòd  
in locum æquè editum, ac ille erat, ex quo mimus  
quidam frequenti populo tunc publicè parasita-  
batur, conscendere minimè poterat: tum pius ille  
vir humeros statim aptat, oneri suppositurum se  
facilè ostendens, dum Christi sanguine redempti  
Christianis moribus instituantur, quæ res summæ  
fuit omnibus admirationi & exemplo. Ceterum  
nostrorum feruor vacationum diebus maximè  
enituit: quo tempore cum R. P. N. Generalis ali-  
quot præcipua Societatis negotia Deo filiorum  
suorum precibus commendata voluisset; nemo se  
B. P. N. Ignatij salutaribus commentationibus per  
octo minimùm dies non excoluit; nemo vel ieiu-  
niis, vel verberationibus voluntariis, vel vsu cili-  
cij frequentiore, vel suis defectibus publicè enun-  
tialis, variisq̃ue eiusmodi corporis afflictationi-  
bus, in se non sæuiit, vt suæ parenti tamquam veri  
filii, Deum atdentioribus precibus magis propi-  
tium procurarent. Gymnasia nobili frequentiq̃ue  
discipulorum multitudine magis in dies nobilitantur.  
Nobilis quidam summæque indolis ado-  
lescens quintum decimum ætatis annum agens  
Sodalitatem B. Virginis ingressus, adèd in ea pro-  
fecit, vt mundi vanitatibus ac deliciis, matrisque  
precibus cui erat vnice carus posthabitis; hoc pri-

mo quasi gradu superato, facilius ad Religionem euaserit, vitæ asperitatem, corporisq̃ue macerationem amplexus. Alius item adolescens ætate & animo quàm simillimus, cū domo sua discessisset, & nostra gymnasia frequentaret, animum ad Societatem applicuit; pater, re cognita maiorem natu misit, qui eum precibus, vel minis domum reuocaret. Adolescens omnia vel fratris, vel diaboli machinamenta forti animo eludens, Deum vocantem secutus est. Nec temporalis proventus rei domesticæ defuit. Annuus census aucti, & coëmpti fundatoris liberalitate. Néc nõ percommode nobis accidit ciuitatis munificentia, quæ ad Collegii fabricationem aliquãdiu intermissam bis mille aureos nobis numerari iussit, quibus è suis redditibus non minimam deinceps summam Collegium applicare etiam poterit.

### *Domus Probationis Panormitana.*

PAnormi tirones dum in nosocomiis infirmis ministrarent, egregiè operam suam collocarūt ad eorum non modò corporum, sed etiam animorum sanitatem lucrandam. Non defuere nonnulli, qui ipsorum adhortatione, precibus, suasu omnis superioris vitæ noxas expiarent, cū alius duodecim abhinc annis, triginta alius grauissimum crimen celassent. Illud veid calamitosius præbuit spectaculum, quòd homo quidam, qui annis quindecim auteorum ad octo millia latrocinio decorerat, cò miseræ deuenisset, vt nuditas corporis animi desperationem calamitosiorem efficeret. affuit illi tamen Dei benignitas, nostro tironis internuntio; cuius oratione adductus, vt graues conscientia maculas confessione eluere, eam sensit in animo consolationem, vt in Patris nostri,

nostri, quo ad confessionem vsus est, vultu se Christi Seruatoris vultum vidisse prædicaret. Casu cuenit vt sacerdos è nostris qui experiementi causa Agragentum mittebatur, in itinere in mercatorum fortunæ quidem bonis, non animi affluentem incideret. eo ille pacto à præteritorum scelerum memoria abhorrebat, vt eo ipso die, quo solemni ritu Christi cruciatus ac inortem Ecclesia vbique deplorat, ne vel aliorum exemplo, vel monitis peccata aperire cogereetur, Panormo discesserit. Sed, ô summam Dei misericordiam! tantam enim hominis peruicaciam maiore benignitate rependit. Sacerdote de Pœnitentiæ & Eucharistię Sacramentis frequenter obeundis disserente, iis verborum aculeis animum compungi suum sensit, vt ad confessarii pedes magna doloris & contritionis significatione acciderit, animumque fœdis peccatorum sordibus expurgarit.

### *Collegium & Domus Probationis Mamertina.*

Quæ nostræ Societati munera consueta sunt, à nostris strenuè exercita; confessiones quippe totius vitæ auditæ sunt plurimæ, concionesque ad frequentem populum habitæ non sine fructu. omitto conciliatas inimicitias, restitutiones factas, & eas multorum aureorum; impeditas cædes, carceres & valetudinaria inuisa & adiuta. communia sunt enim ea, & ex superioribus litteris cognosci possunt. Gymnasia, & frequentia, & nobilitate celebrantur plurimum. Nec minore spiritus feruore, & exemplo Sodalitates B. Virginis progrediuntur. cum enim plures sint, virtute se inuicem prouocant. ex iis due, præcipuè Saturni die-



bus, & B. Virginis peruigiliis in sacellum conueniūt sub primam noctis horam, vbi per integrum horæ quadrantem acriter se diuerberant. Id autem tantæ virtutis testimonium sit luculentissimum, quòd omnes quotannis & aliis Religiosorum familiis, & nostræ Societati plerosque submitunt. Tironum virtus in sui victoria variisque dæmonum tentationibus, qua superandis, qua contemendis maximè enituit. Frater quidam vix primam probationem ingressus de egressu cogitare cœpit: & cum molestiæ huic fuga mederi statuisset; templi ianua, quam fortè pessulo tantum obductam inuenerat, referata foras exsilit, ianitorem in modò campanam pulsans admonet, vt sacræ rei consulat, ne quid detrimenti capiat à furibus. sed ab eodem demum reductus, & in cellulam coniectus; cum à Rectore flagellum, quo se verberaret arripere iussus esset, tandem, quamuis diu reluctatus, arripuit: quo tantulo dispendio maius remouens, cælitus tactus, Societatem, de qua prius deserenda cogitauerat, vehemèter efflagitat, Rectoris pedibus obuoluitur, veniam petit, magna cum omnium admiratione & lætitia. Alter bis menstruas B. P. Ignatii commentationes aggressus, bis grauiter dolore capitis se conflictari sentiens, Rectorem adit: à quo edoctus dolorem illum dæmonis fortè esse astutia fraudeque fictum, ac bono animo esse iussus; abit. Deum orat. mirum dictu, dolores ac nubes euanescent omnes.

### *Collegium Catanense.*

**H**oc anno P. Ioan. Baptista Catalanus ita ex hac vita discessit, vt magnum nobis sui desiderium reliquerit, ac virtutis exemplum. quadraginta ipsos annos in Societate transegerat, & ex iis quinque



que & triginta in hoc Collegio. summa vir integritate morum, summa obediētia, ita vt nunquam a Superiore petierit, vt ex vno in aliud Collegium transmigrare sibi liceret. Mira eius caritas in egenos. Spectatæ indolis erat adolescens, qui ad nostram Societatē aggregari vehementer expetebat: matris verò sororisque inopiā desiderio obstabat. quare cognita hanc sibi demandari prouinciam Pater exposcit. ille Societatē ingreditur; hic matris ac sororis paupertatem hinc inde corrogata stipe egregiè subleuat. B. Mariæ Sodalitates maiore Sodalium fructu augentur ac nobilitantur in dies. præter alia veræ virtutis ac pietatis exempla, quibus vigent; tres optimæ spei adolescentes Societati, duos Benedictinæ familiæ pepererunt. Si quæ inter ciues inimicitia surrexissent, nostri in iisdem eradicandis laborabant; par tamen labori fructus cōstitit. Duo viri Principes ciuitatis, quorum odium implacabile, in plurimorum cædem erupturum videbatur (primates enim duas in partes diuisi, alii aliis pestem moliebantur) in amicitiam restituti; seque inuicem coram plurimis amplectentes, totam urbem magno metu ac periculo liberarūt. Annonæ caritatem hoc anno maximam telluris siccitas minabatur; neque pluuia opportuno tempore expectari poterat. quare iam coloni agros deserere, futuram calamitatem ciues deplorare, diuinam opem vniuersi implorare cœperunt. Tot inter ærumnas ac fletus cominodissimè factum est, vt nostrorum adhortatione ac precibus sacrosanctæ virginis & martyris Agathæ huius ciuitatis tutelaris statua, & reliquiæ solemni ritu ac pompa publicè ducerentur. indicitur à senatu supplicatio, celebratur maxima ciuium ac Religiosorum frequentia & pietate. nostri etiam nudis pedibus maximoque animi sensu suo quisque ordi-

ne sequuntur. mirum dictu, non multum temporis mœrentem populum efflagitatum auxilium remoratum est. pluuiæ ac imbrium copia messem vberem reddidit, messis vbertas expectationem omnium superauit. Mulieres multæ, quæ è turpi flagitiorum cœno emerferant, & in perfugii domo locatæ fuerant, ea rerum, quæ humanæ vitæ sustentandæ necessariæ sunt, difficultate premebantur, vt de se iterum apertissimo animæ periculo exponendis cogitauerint. qua re cognita, & quodam è nostris inusitato sensu ac feruore penuriam illâ pro rostris exponente, largissima elemosyna earum inopiæ occursum est. & vt tanto malo in posterum præcauerent, ciues optimi annis redditibus domum illam adauxerunt. Puella quædam in monasterio dum tirocinii exercitationibus excolebatur, cum à vocatione defecisset, egressum meditari cœpit. Ne verò summa animi leuitas inde argui posset, insanire se, grauique morbo afflictiari simulabat. At nostri sacerdotis suafu meliorem animum induit, ficta que illa insania, mētisque ægritudine deposita; Religionis bona perpendere, statuta seruare, tria vota ardentissime contendere cœpit. quæ res summâ monialibus lætitiâ, sibi & animi æquitatem, & feruentius religiosæ perfectionis desiderium peperit. Vtiliter etiam posita à nostris opera est in multis mulieribus à flagitiosa vita extrahendis: ex quibus aliquot ad Religionem animum applicuerunt, in eaque piè sancteque viuunt. Dissoluti animi adolescens B. P. Ignatii commentationibus excultus à mundi deliciis ac voluptatibus ad Capucinorum familiam vel inuitis parentibus, tamquam è manibus hostis infestissimi, ad tutissimum salutis perfugium, euasit. Fructus etiam in eo constitit plurimus. mulier, qua cum perditus quidam vir diu

non sine aliorum offensione versabatur, nostri sacerdotis operâ, eam mentem induit, vt, ne sibi ad salutem aliquid obstare posset, famularum alia in vrbe, in quam profugit, exercere sponte decreuerit: quod egregiũ facinus, cęlestibus donis egregiè Deus compensauit. Mira animi præstantia in imbelli femina enituit: cum ea à nostris sacerdotibus, quibus ad confessionem utebatur, ita ad Christianam pietatem informata esset, vt diuinę gratiæ vitam & reliqua omnia posthaberet, quo pacto ad hæc omnia animata esset, luculentam habuit declarandi occasionẽ. cum paupertate coacta aliò itura prima noctis hora domo sua discederet; vix pedem domo extulerat, cum tres perditissimi adolescentes illam inuadunt, vim faciunt, pudicitiam expugnare conantur. Mulier verò Dei auxilio adiuta, se ab illorum manibus, eripit, fuga pudori consulens, sed nec illorum impudentia, vel libido repressa. in se ipsos enim indignati quòd à femina victi desisterent, iterum illam insequuntur; animi constantiam, corporis pudorem violare summis viribus contendunt: quos illa conatus omnes per fugam rursus & vociferationes eludit. quod cum Dei benignitati tribueret: ne se immemorem tanti beneficii ostenderet, postero die noxis omnibus expiatis, cęlesti se pane muniuit ac refecit. Cum semper, tum hoc anno præcipuè, mira ciuium exstitit in parentem nostrum Ignatium pietas, quæ variis ab ipso collatis beneficiis aucta est. Quædam mulier in primis nobilis in maximo vitæ periculo versabatur. nam præterquam quòd graui morbo laborabat, nullum à pharmacis, aliisque rebus leuamen consequi poterat: simul enim illa hauserat, ob maximam stomachi vel imbecillitatem, vel nauseam euomebat. quæ cum nihil intentatum reliquisset, tandem à nostris B. Ignatii cęstigiæ.



effigiem exposcit: cui cum se magno sensu ac pietate omnisque familia commendasset; eum voluit morem frequentari, ut nullum sibi pharmacum daretur, quod biberet, nisi prius B. Ignatii nomine inuocato. Admirabile ac potentissimum hoc fuit remedium: mulier pharmaca omnia semper hac beati nominis inuocatione retinuit. id quod totius familiae negligētia fecit, ut apertius intelligi posset. cum enim aliquot in pharmacis porrigēdis Ignatii nomen non inuocassent, statim illa euomuit. quod cum omnes animaduertissent, & Ignatio ægrotantem commendassent, omnia facillimè fœmina continuit; nec diu optata valetudine caruit. Iterum eidem fœminæ se propitium ostendit Ignatius. vix à prima valetudine firma ea noctu nasum inflammatione affectum sensit, ut ne grauiore corripere morbo, vehementer addubitaret; sed toties experta remedium facillè adinuenit, ad B. Ignatii imaginem, quam iuxta se adseruabat, conuersa; ope implorata, omnis inflammatio euanescit. Mulier effigiem B. Ignatii in tabula egregiè pictam intuita, quem illa referret edoceri studuit; quæ cum accepisset B. Ignatii familiae nostræ parentis & auctoris effigiem esse, ea in illum pietate & religione exarsit, ut parua quadam eiusdem imagine impetrata, è vestigio ad oculis grauissimè laborantem euolauerit: cui cum suassisset, ut sacram illam effigiem oculis impostam per noctem teneret, postero die ad ortum solis doloris omnes ac morbi nubes dissolutæ, salus reddita. quæ re cognita mulier felici euentu audacior facta, fœminæ concitata febris laboranti eandem effigiem imposuit mirum dictu, manè finita febris, mulier ad integram sanitatem restituta est.



*Collegium Syracusanum.*

Vitam obiit feliciter Gaspar Balduccius, qui sex ipsos annos cum magno omnium exemplo in Societate vixerat. tam magnę tamen virtutis adolescentis iacturam duo, quos Sodalitates B. Virginis Societati dedere, compensarunt. Fuit hoc anno præcipuè huic ciuitati nostrorum opera maximè utilis. Plurimæ ac grauissimæ inimiciæ sedatæ sunt, dataque consilia omnibus salutaria; nihil enim quod vel ad publicam, vel ad priuatam salutem procurandam pertineat, nisi de nostrorum consilio aggrediuntur. Per quadragesimam noster sacerdos in templo maximo concionatus, præter Christianam pietatem, nihil habuit potius, quàm eleëmofynam commendare; cuius virtutis tanta in animis auditorum insedit opinio & amor, vt præterquam quod copiosam stipem sub concionem largiti sunt, quidam honestam virginem è suis opibus dicta dote in matrimonio collocauerit. Nec templi nostri cultus piorum hominum liberalitate neglectus. Sacellum ad vniuersi templi ornatum necessarium non paruo sumptu & artificio exstructum est. alterum peregregiè exornatum. Honestæ verò mulieris liberalitas illustris admodum fuit, quæ adseruandæ sacre Eucharistię pyxidem argenteam largita est. Multi etiam sacram vestem commodissimè auxerunt. Magnam Sodalitatis opificum frequētiam, maior Sodalium pietas & exemplum illustrat. ea res erit argumēto, quod Saturni quoque die & celebriorum solemnitatum peruigiliis paulo ante primam noctis horam in templum nostrum omnes conueniunt, & psalmum L. aliasque preces concinentes, ad vnius horæ quadrantem acerrimè flagris se cædunt.

dunt. Visunt præterea vinctos, & ægrotos, ærum-  
nosam eorum vitam, quâ piis adhortationibus,  
quâ pecuniis subleuantes. Nobilium etiam Sodali-  
tas in ædem suis sumptibus exædificatam, & suis  
exercitationibus commodiorem transmigravit.  
Excursum est à nostris Netum oppidum finiti-  
mum, ac celeberrimum. Ibi cum nostri Societatis  
munia obirent, populum christianis moribus in-  
stituerent, aures omnibus confessione se expianti-  
bus accommodarent; miram omnium ciuium con-  
ceptam iam animo benevolentiam in nostros ma-  
ximè excitarunt. Sanctimoniales nostris in eluen-  
dis animi sordibus vtentes summopere adiutæ, &  
adhortationibus, ac saluberrimis præceptis infor-  
matæ. quamobrem cum iam pridem Societatem  
vniuersus populus expetisset, summam quamdam  
pecuniæ ad fabricam & nostrorum sustentationem  
dicauit. quæ licet necessariis redditibus non respon-  
derit, tamen piorum ciuium votis breui satisfactum  
iri censemus. Fructus interim maximus è meliore  
complurium vitæ genere instituto, & eorum, qui  
ad Societatem aspirant, præclare constat.

### *Collegium Biuonense, & Calataiero- nense.*

Cum ea siccitas, qua tota ferè Sicilia hoc anno  
miserè laborauit, hos etiam campos vreret;  
cum sub quadraginta horarum precibus lignum  
sanctissimæ crucis è nostro templo cum omnium  
lacrymis publica supplicatione efferretur, tempe-  
stiuos imbres, vt sæpius aliàs, obtinuimus. Cuius  
in maiorem cultum, singulis Veneris diebus men-  
sis Martii institutæ sunt in nostro templo publicæ  
preces, habitique sermones magno populi totius  
sensu

sensu ac pietate. Præclarè etiam nauata est opera in informanda pueritia Christianis rudimentis. In quinque enim classes distributa est omnis multitudo, ita vt virorum ac feminarum, puerorum ac puellarum, aliorũ denique adolescentũ alia ratio habeatur. Hoc etiã anno extra spiritualẽ nostrorũ profectum, qui maximus fuit, temporaliũ bonorum copia addita est: duũ enim millium aureorũ heredes instituti sumus pij hominis liberalitate, præter eas, quas quotquot potuit opes, viuis ad nos transtulit. Neque intra nostra solùm mœnia nimium animorum desiderium se continuit. excursus etiam est à nostris per vicina oppida, in quibus res diuina optimè Deo volente procurata est.

CALATA IERONAE admodum opportunè priuatis publicisq̃ue rebus à nostris sæpissimè subuentum est. id quod in pace inter præcipuas familias concilianda, qua in re primates ciuitatis, & totius regni Dynastæ, ac Prælati plurimi incassum laborauerant, concilianda maximè probatum est. Nec non duæ familiæ ob grauissimas iniurias vtrò citroq̃ue illatas capitali odio dissidentes, nostrorum operâ ad concordiam reductæ, insperatam patriæ tranquillitatem peperere. Nostro verò labori par munificentia ciuitatis respondit. cùm enim domus ære alieno admodum grauaretur, nec soluendo esset; illius insigni liberalitate æs omne solutum. nec non etiam templum mirificè adornatum. Excursus hinc à duobus è nostris sacerdotibus in proximum oppidum quod Ragusam appellant. ciues, & primates præceteris maxima venientes effusè lætitia exceperunt: quæ fructu, qui semper in dies maior constabat, adaucta est. nam quâ concionando, quâ pueros aliosq̃ue nostræ fidei elementis instruendo, quâ vel totius antea vitæ, vel multis ab annis repe-



titas confessiones audiendo; quà rebus ad animorum salutem spectantibus consulendo, cunctis, diuino fauente numine, factum satis est. idque nostri in omnium animis sui desiderium reliquerunt, vt abeuntes ad prosequentium voces & lacrymas, vix ipsi lacrymis abstinere potuerint.

### *Collegiũ Montis Regalis, & Mineęse.*

QVOD hoc anno præcipuè litteris mandandum ex hoc Collegio visum est, id fuit. Nam nostrorum suafu duo viri nobiles, qui diu graua inter se odia nutriebant, arma posuere: tum aliis nostræ Societatis ministeriis spiritali ciuium profectui consultum est. Illud silentio inuoluendum minimè fuit. Frater quidam è nostris vehementi capitis dolore diu vexatus, cùm aliquando acerbis afflitteretur, interno spiritus instinctu frustū lapidis ex antro, in quo B.P.N. Ignatius in Nauarreto orauerat, fronti imponens, dolorem omnem continuò abegit. Plurimi adolescentes minùs commodis moribus affecti, ad faciliorem & honestiorem normam reducti sunt. restitutiones etiam aliquot factæ, ex vsuris iniquè comparatæ. pars viridarij proxima nostri Collegii mœnibus addita clausuram & vtiliorè & commodiorè fecit.

MINEI quidam publico pænè apud omnes sceneratoris crimine notatus, nostrorum operâ B. Virginis Congregationem ingressus, nostrum Sacerdotem in ipsa congregatorum frequentia flexis genibus orauit, vt ipsius nomine, quibus aliqua per ipsum vel honoris vel bonorum incommoditas fuisset facta, absolutam rerum omnium satisfactionem polliceretur. Multa præterea è re diuina gesta sunt, corporum & animorum paupertati consulendo, catechismo tradendo, confes-

sioni-



tionibusque excipiendis. Illud in primis eximium. Vir è prima nobilitate viduam, & valdè nobilem feminam domi habebat, & legitimi spe coniugij non sine magna ciuium offensione liberè cum ea versabatur; vt id scandali tolleretur, diu multumque à nostris insudatum. Nostrorum industriæ coniunctorum metus, praua hominis consuetudo, & nescio quod minimè metuendum dedecus obstabat: nec ideo desistendum nec desperandum nostri censuere. sæpe hominem inuadunt, mulierem vt ducat hortantur; diuinæ iracundiæ minas intentant, ni faciat. ille verbis aurem occludere, diuinas suasiones præ coniunctorum metu minimi facere. Quid plura? durum animum durior vicit perseuerantia. iis enim sacerdos è nostris vsus est verborum telis, vt diuina impellente vi, facilè ferreum hominis pectus penetrauerint. feminam nullis propinquorum minis, vel amicorum, nullis dæmonum terriculamentis fractus, vulgari ciuium lætitiâ & acclamatione, matrimonio sibi coniunxit; eaque in nostros tanquam illius beneficii auctores beneuolentiæ signa præ se tulit, vt diuturnum laborem tam felix abunde compensarit euentus.

### *Collegium Drepanitanum.*


**A** Dolefcens quidam cum à sibi coniunctissimo non leue vulnus accepisset; nostrorum oratione eam mentem induit, vt inimicum accessit iusserit, eique omnem iniuriam condonarit, eumque amplectens atque deosculans summis precibus à patre contenderit, vt nullam illi molestiam priuata publicaque actione exhiberet. Illud etiam non vulgare existimandum est. vir quidam nobilis filii sui interfectores non modò persecutus non

est, sed cum eorum causam ad Proregem delatam cognouisset; dedit etiam ad ipsum Proregem ceterosque magistratus commendatitias litteras, quibus, ut in eos minus seuerè procederent, efflagitabat. Mulieres aliquot, quibus vitæ periculum à suis maritis & fratribus imminebat, tutiore in loco collocatæ præter salutem corporis, animi etiam honestiorè vitam instituentes lucratae sunt. Ciuum aliquot, qui per singulare certamen intestinum odium explere decreuerant, per nostros amentiae obuiam itum est, furorque compressus. Vir quidam primarius Societati nostræ antea admodum deditus, ob inanes quasdam & falsas suspiciones nostris iniquior factus, mirificè nostrum vitabat congressum, aded ut P. Prouincialis, cuius erat perquam studiosus, neque ab illo impetrare potuerit, ut domum nostram accederet, fore ut ipsi factum satis esset promittens. tandem ad Collegium deductus conuiuioque exceptus, aded permotus est animo, tantam nostrorum caritatem in calumniatorem admirans, ut remotis mensis, gratiisque Deo ex more habitis, ad terram se proiecerit, ac flens & eiulans, nostrorum omnium pedes deosculari, & veniam petere efflagitarit; idque etiam in foro se facturum promiserit. itaque ex calumniatore in mirificum laudatorem euasit, omnisque illa suspicio maiorem in obseruantiam & amorem processit. Multi etiam, qui se inuicem salutationibus atque congressibus cum magna totius ciuitatis offensione prohibebant, nostrorum interuentu ad mutuam pacem & benevolentiam sunt reducti. Magnus etiam constitit fructus ex ea, quam nostri in marito cum vxore conciliando operam locarunt; maritum enim quamuis non modò alii, sed neque aded ipse à se impetrare potuerit, tantum ut vxorem adiret, se morem illi in omnibus gesturum

gesturum promitteret, animarunt. rem odorata mulier cùm virum scalas ascendentem vidit, domum totam clamoribus miscere, turbas excitare, vt maritum omni aditu prohiberet, quàm maxime potest conari: instare tamen noster, qui aderat, rem vrgere, nutantem hominem, ac reditum cogitantem ad insignem sui victoriam incitare. itaque fugientem tota domo insequitur, ad illius genua prostratus veniam petit, animum conciliat, & aduenientem tunc fortè temporis vxoris fratrem, Patris hortatione complexus, pacem diu optatissimam confirmat. re tam feliciter peracta, vir schedulam è sinu profert hæc verba habentem, *In tempore iracundia facta est reconciliatio.* Quæ verba templum ingrediens, cùm canentem chorum audisset, tamquam ignea spicula sensit in animo, vehementer ipsum ad pacis desiderium inflammantia. quod denique, Deo dante, nostrorum operâ, cùm minima spes esset, completum est.

### *Collegium Calatanissettense.*

Magni fiunt ad nos interdium noctuque concursus sacerdotes nostros euocantium, tum ad confessiones excipiendas, tum ad moribundos in extremo illo conflictu iuuandos, vt tantæ multitudini vix à nostris interdum satisfieri possit. Multis acceptis vulneribus feminæ domi iacentis, qui confessionem audire vellet, nemo repertus. è Collegio opem illam petendam, quamquam multa nocte summis tenebris clamabant omnes. Sacerdos è nostris accersitus operam minimè denegauit; cuius alacritas magnæ fuit populo admirationi, Societati verò existimationem maximam peperit. Multorum etiam animi simul & corporis salus per nostros procurata. Cùm pluiam temporaneam





raneam sitibundi agri saraq̄ue panè arida vehementer expeterent, nullum ferè lapidem non mouerunt opidani, vt id à Deo optimo maximo impetrarent. quod cum frustra quotidianis fermè supplicationibus efflagitassent, ea, quæ omnium animis opinio infederat, vulgi cœpit sermone increbrescere; frustra tentari reliqua, nisi à Societatis hominibus in templo suo quadraginta horarum preces indicerentur. quid plura? rem aliàs experti, nunc etiam planius sensere: tantus enim sub indictæ orationis medium cælo ingruit imber, tanta pluuiarum copia, vt segetum sitientium ariditati, & ciuium votis, cumulatè satisfecerit. cui beneficio vt aliqua grati animi significatione populus respõderet, solemnem illam orationis pompam ad quintum vsque diem produxit; ratus non aliam opportuniorè esse diuinæ gratiæ persoluedæ rationè, quàm quæ fuerat impetrandæ. Damnati ad patibulum duo à sacerdote nostro cõfessione expiati, ac cælesti pane refecti, animatiq̄ue per aliquot dies ad mortem alacriter obeundam: quibus ritè peractis concione ad populum habita, audiètiuum animos ad pietatem incitauit. Ad sacram supellectilem hoc anno insignis altaris ornatus accessit, Principis bene merètiissimæ fæminæ liberalitate donatus; centenis fermè aureis æstimatur. Maior etiam indies Ducissæ Collegij fundatricis erga Societatem beneuolentiæ significatio.

### *Collegium Reginum.*

V Nus è nostris Coadiutor ad superos, vt spes est, euolauit. Ciuium verò salutem, & eorum qui in carceribus detinentur paupertati & utilitati strenuè consultum est. Damnati ad extremum supplicium à nostris deducuntur. Vnus autem è nostris

nostris virum quemdam Religiosum, sæculari habitu vteñtē, cū de sceleribus plurimis conuictu<sup>s</sup> capite à temporali magistratu damnatus, mori penitus recusaret, ad mortem æquo animo obeundam mirificè confirmavit. Alius vt se à mortis supplicio liberaret, infantes alios in idem periculum adduxerat; nostrorum tamen oratione permotus, vt sibi manus abscinderetur, passus est, mortemque, vt illos absolueret, libenter subjicit. Duæ rostratæ naues huc appulere, ex multarum gentium colluione instructæ, in ostium Marca expeditionē parantes; ad eas nostri sæpiùs accessere, nautarum & militum animos, & confessione & adhortatione munientes. Ex aduentu Turcarum, qui apparatusissima classe totius Calabriae litora maximè infestabant, magna nostris oblata occasio est vñitata Societati munera exercendi in corporum animorumque saluti consulendo. sæpiùs ciues manus cum hostibus ad littus conseruere. verū cū paucitas nostrorum hostium innumerabili multitudini, quæ è triremibus continuò immittebatur, resistere non posset. & loco cedens intra mœnia se reciperet, ciuitatem ipsam mox oppugnaturi Turcæ videbantur. Itaque nostri cogitantes in ea re nō solum ciuitatem, sed etiam Christianam religionem periclitaturam, Rheginos omnes adhortantur, vt ad hostem propellendum omni ope conderent: qua adhortatione ciues omnes vsque eò animati sunt, vt moriendum sibi, quàm fidei hostibus seruiendum potiùs statuerent. Quare omnes è vestigio in arma ruentes, criminibus à nostris expiati, breuique, & ad rē apposita oratione confirmati, eruptione facta ea vi ac animo in hostes impetum fecere, vt paucis è nostris, ex ijs quàm plurimis absumptis, Turcas turpiter in fugam verterint, & vsque ad triemes cedere compulerint.

pulerint. Cùm ex iussu R. P. N. Generalis Collegiũ Abbatiam S. Nicolai abrenuntiarit, quæ victui ac totius domus recreationi percommoda videbatur, tota ciuitas magnam suæ in nos beneuolentiæ significationẽ præ se tulit. dedit enim ad summum Pontificem in eam rem litteras, & ad nostrũ P. Generalem; quin etiam Decano huius metropolis, vt de ea Collegio restituenda Romæ ageret, rem demandauit. Quanti verò Archiepiscopus, atque eius omnes Suffraganei Societatem faciant, illud argumento sit. cùm enim totius Diœcesis Concilium celebraretur, nihil quod alicuius momenti esset, sine nostrorum interuentu & consilio, sanciri voluerunt. Neque nos solùm ferè quotidie inuisunt, & rem diuinam nostro in templo faciunt: sub discessum etiam eorũ vnus domum veniens, nostris omnibus conuocatis, post multa & singularia beneuolentiæ signa; nihil sibi antiquius esse ostendit, quàm Collegium in suo oppido erigere, idque summis precibus Deo commendari a nostris efflagitauit. quod si fieret, tum deinum vita feliciter defunctorum.

### *Missio Calannensis.*

**M**issus è Rhegino Collegio, Quadragesimæ tẽpore vnus è nostris & idẽ sacerdos in Calãnense oppidum, qui fructus maximos reportauit. Fructus verò potissimus is extitit. Superstitiones permultæ, ac prauæ consuetudines penitus abrogatæ, aliæ rectæ institutæ. non minùs centum totius vitę sordibus per confessionem abluti. restitutiones permultæ plũrium aureorum factæ. duo capitali inter se odio dissidentes conciliati. mercaturæ quoddam genus, quod fœnori accedebat, & ex veteri consuetudine penè sine alicuius religione verfabatur,



fabatur, omnino sublatum. Restinctum etiam est  
 magiæ incendium à religioso quodam viro nefariè  
 excitatum. Duabus virginibus, quas totidem  
 iuuenes, ad id quod volebant varijs pollicitatio-  
 nibus induxerant, dos ab iisdem procurata, & in  
 matrimonium collocata. Ceterùm omnes non si-  
 ne fructu Christianæ fidei mysterijs impertiti. Il-  
 lud autem in primis sanctissimè institutum vt viri  
 simul & mulieres quot mensibus à criminibus ex-  
 piati cælesti pane se reficerent. Quæ res à die  
 B. Mariæ Annuntiationi sacro initium & auspi-  
 cium sumpsit, quo die omnibus ferè oppidanis sa-  
 cra Eucharistia distributa. quod in maximam  
 Dei gloriam cessurum bene ominata promittunt  
 exordia.

### *Collegium Melitense.*

**T**Vrcicæ classis aduentus magnam nostris occa-  
 sionem præbuit in proximorum salutem ma-  
 iore cum sollicitudine incumbendi. cùm enim  
 omnes mulieres, pueri, ac reliqua imbellium tur-  
 ba è veteri in nouam, quam dicunt vrbem, conflu-  
 xisset, amplior facta messis ampliorem fructum  
 reddidit. Duo è nostris singulis quibusque die-  
 bus, ad multitudinem illam Christianis moribus  
 informandam iuere, quibusdam discipulis vrbani  
 idiomatis optimè gnaris internuntijs vtètes. Qua  
 in re pietas primarij ac religiosi viri D. Bernardi  
 Espeletæ Prioris Nauarræ ex illustri Hierosolymi-  
 tana Equitum familia maximè enituit. qui cum se  
 comitem nostris adiunxisset, munusculis promif-  
 sis, pecunia præsentem ipse omnes inuitabat, ad Ca-  
 tholicæ fidei mysteria addiscenda. Duo Mauri per-  
 fidam Mahometis sectam abiurantes nostro in  
 templo baptizati sunt. celebriore tamen pompa

septem Hebræi, inter quos mater cum tribus filiis fuit, baptismum susceperunt. ad id autem vnus ex suis sacerdotibus exemplo & adhortatione adducti; qui diuinam potius, quam humanam in sua conuersione suasionem prædicabat. albescente enim die panè vigilans mira suauitate concinentibus viris se quibusdã sacerdotalibus vestibus adornatis septem vndique videre sibi videbatur: dextræ autem crucis albæ signum, sinistræ verò ceream niuei coloris facem sibi porrigi admirabatur. Rem ille totam senem quemdam edocuit. ille verò: Eia ô Simon (id Hebræo nomen erat) iam proximè ad Christianum accedis. tum Simon: At fortasse sunt hæc meæ salutis auspicia. Demum cū permultos dies baptismi ardorem pectore tenuisset, eo feruore spiritus correptus est, vt, quasi ex improviso aliquo periculo se protiperet, præcipiti fuga domũ nostram peteret. Quod cum alius Hebræus animaduertisset: Quò, inquit, Simon? Ad baptismum; respondit. tum ille, Et me, inquit, socium habebis. ita à Deo ducti quinque reliquos ad idem adhortati Christiana catechesi eruditi ad Ecclesiam Catholicam adiuncti sunt. Quod vel ab ipsis huius Collegij exordijs ad Melitenses commodius in re Christiana adiuuandos optatissimum erat, vt aliquis è nostris Melite ortus, has gentes instituere posset; tãdem hoc anno, Deo ita iubente, obtinuimus. Ad cuius aduentum tanti ex omnibus oppidis, quæ haud proximè absunt, concursus fiunt, vt apertè videri possit, quod antea salutis suæ desiderium habuerint. Tum per proximos vicos excursus est, tradita omnibus Christianæ fidei mysteria: auditæ confessione conciones habitæ: salus animorum procurata diligenter: messis denique latissima supra quàm credi possit. Famosa quædam meretrix per aliquot annos ad templum nostrum

nostrum spe melioris vitæ ventitabat ; rem verò dæmon diu impedire conatus est. deinum mulier oppositis à dæmone obicibus superatis, è turpi flagitiorum cœno ad legitimi matrimonij tranquillitatem emerfit. Magnus etiam labor in hæreticis Romanæ Ecclesiæ conciliandis impensus maiorem attulit fructum: multi enim hæresin relinquere. Summus totius Hierosolymitanæ militiæ Magister Societatem maximi facit: cuius etiam inopiam egregiè subleuat, captiuum quemdam ex Turcis dono Collegio dedit. tum semper in templo nostro, tum præcipuè in nostris solennitatibus est assiduus. Ipso Dominicæ circūcisionis die concionē à nostro habitam ipsius ac insuper Episcopi, & Inquisitoris præsentia cohonestavit. Bacchanalibus itē diebus dum solēnes quadraginta horarū preces ad Deum funderentur, magna etiam ipse significatione pietatis horam integram prima luce in Deo exorando persoluit. At verò maximam Fratris Cateliani Casati Equitis nobilissimi liberalitatem ac benevolentiam experti sumus. Videns ipse inopiam, qua hoc anno præcipuè ira laborauimus, vt ne pars quidem Collegij sustentari posset; sponte sua ad pedes Romani Pontificis ire constituit, vt quo in statu Collegij Melitensis res essent, commonefaceret. quod ne efficeret, nullo labore, nullis impensis ac periculis deterreri potuit. deinde à sanctissimo pedis osculo in Hispaniā etiam profectus à Catholici Regis munificentissima liberalitate mille & quingentos aureos nobis impetrauit. Quem virum adeò de nostris bene meritum omnibus Societatis nostræ Religiosis commendatum apud Deum cupimus & efflagitamus.



*Collegium Marsalense.*

V T templi incommoditatem tolleremus, frequentem populum excludentis, imminutus est hoc anno nostrorum numerus, non tamen minus est labor. Fructus qui ex totius vitæ confessionibus, compositis inimiciis, pauperum inopia subleuanda, aliis demum Societatis nostræ spiritualibus exercitationibus perceptus est, idem pænè fuit, qui anno superiore. Scholæ adolescentium numero & nobilitate florent maximè. earum existimationem progymnasmata, aliæque huiusmodi actiones, quæ assiduò dantur, plurimum augent. Sodalitates cum nobilium tum reliquorum maximum suæ virtutis & feruoris specimen ceteris præbent: Scholasticos duos, Coadiutores totidem Societati nostræ dedere. Institutum etiam est hoc anno, vt Catechismus seiunctim viris à feminis traderetur. hoc autem anno & nostrorum diligentia, & dialogis aliquot datis perbellè processit.

*Residentia Agragentina.*

A Gragenti quinque è nostris maxima cum omnium vtilitate versati; sed quo minor fuit numerus, eo maiorem fuisse laborem oportuit. numquam enim à quopiam nostri suam operam desiderari passi sunt. Nosocomia, & carceres sæpius inuisa: capite damnati ad extremum supplicium ducti. Non minor verò fuit totius ciuitatis in nostros beneuolentia. nam præterquam, quòd Principes viri ad P. Visitatoris aduentum Professorum domum hìc institui enixè efflagitarunt; statim habito concilio millenos aureos ad ædes ædificandas decreuere, certis quibusdam viris ad id operis

operis vrgēdum designatis. Episcopus etiam eam in rem quingentos aureos per totidem annos solvendo, quos ipse in episcopatu esset, attribuit. Itaque multæ ædes ex eadem summa coëmptæ brevis domum instituendam promittunt. Sed neque nostrorum caritas intra vrbis mœnia se continuit, verùm ad finitimos etiam populos eximio cum emolumento emanavit.

*Missio Platiensis.*

**P**latia vrbis præ ceteris Siciliae mediterraneis opibus ac multitudine civium nobilissima, Societatis vsque eò percupida fuit, ut è primatibus unum ad Missionem hanc impetrandam ad P. Provinciale destinaverit, & ad id litteras ad R. P. Generalem dederit. Rem ille alacriter aggressus, ob nostrorum inopiam primò exclusus, ad huius regni Proregem accurrit, ut per eum quod in votis ac commissis habebat, consequi posset. tandem cum se ad suos numquam rediturum sponderet, nisi è nostris aliquem, & eum vel Coadiutorem Platiam duceret, per aliquot menses tam enixè petentibus Missio concessa est. Itaque xvii. Kal. Octobr. ann. M. Dc. ii. nostri urbem magno cum omnium plausu ac læticia ingressi, consueta Societatis nostræ munia obire, nosocomia inuisere, confessiones audire, conciones habere, cõcurrenti multitudini in omnibus præstò esse, nulli suam operam denegare. Quæ quidem civium animos ad se ad eò attraxere, ut quacumque nostri iter facerent, tamquam genus hominum de cælo missum, vultu paradisi iucunditatem præ se ferentes, denique sanctorum Patrum nomine acclamarentur. Energumenos, ut super ipsos orationem aliquam recitarem, ad nos ducebant: alios præter-

ea periculose ægrotantes, vbi nostris peccata aperuissent, melius se habuisse dicebant. Quod verò insolens ac prodigij panè loco apud omnes habebatur, & omnium animos Societati summo opere conciliauit, id fuit, quòd nullam ob tam imminē-  
 sos labores, tamque assiduos mercedem, vel oblatam acciperemus. Et verò vel ex eo ciuitatis amor in nos & beneuolentia perspici facile potuit. Cùm enim in ipso panè ingressu P. Ioannes Catalanus sacerdos è nostris vita sanctissime functus esset; præter animi sensum, qui fuit maximus, campanas vrbis omnes funebri pulsu mœstitiam significare iussit. clerus etiam ipse ad psalmodiam funebrem decantandam venit. Quidam è principibus ciuitatis, qui Societatis aduentum sollicitè curauerat, in grauem ac periculosum morbum incidens, id, quod futurum, vt scilicet in nostrorum manibus moriturus esset, hilari animo præcepit. Itaque nostro Sacerdote accersito totius antea vitæ confessionem peregit; animumque ad mortem obeundam ita disposuit, vt à nostris futuræ felicitatis pignus allatum sibi existimaret. Dum igitur hoc ille morbo conflictaretur, Pater vt B. P. Franciscum Xauerium in patronum susciperet, suavit. & ipsius B. P. effigie, quam præ oculis continuo haberet, est largitus. Mira hinc extitit diuinæ opis significatio. Iacebat ægrotus postera nocte nimia exæstuans feбри, cùm à B. Xauerio accersiri, & scalis quibusdam superatis, in horrea, vbi confusa omnia, sordibusque oppleta, introduci sibi visus est. deinde porta quadam egressus, in amœnissimum campum duci, vbi lata omnia, gemineæ florum varietas, cæli numquam non nitentis serenitas, gelidæ fontium perennitates, mirum quantum intuentis oculos alliciebant. Tum, At video, inquit B. Pater, tuam hîc habitationem



te percipere. cuius verbis cū annuisset ille: At, inquit dux, conscientiam rite prius disponas oportet, & confusionem, quam tibi horrea illa referebant, penitus auferas. obstupuit ægrotus: Et quid oro te, adhuc mihi deest? omnia quidem per absolutam confessionem me expiasse putaram. ait illi B Xauerius, I, omnium commonescies; dein ad hæc amœnissimam facillimus tibi patebit aditus. vbi hæc dixit, euauit. ille verò quemdam omnia, quæ vel ab ipsa pueritia fecerat. in memoriam reducentem vidit; quæ deinde euigilans, & ordinate memoria tenens, per integram confessionem Patri aperuit; remque omnem enarrauit. Ingrauescente dehinc morbo, de potestate mentis exijt; ita tamē, vt in ipso febris æstu nihil nisi cælestia ac Societatis laudes deliraret. Patre verò adueniente morbus aliquantulum remittebat. Ægrotus etiam Patri in omnibus obediens, cū in ipsis doloribus se amplius continere non posset, veniam à Patre petebat, vt sibi clamoribus morbum, vt sæpe fit, leuare liceret. Cū verò deterius haberet in extremo illo conflictu, Christi è cruce pendentis effigiem afferri iussit; & vbi multa cum Christo collocutus, & circumfusam nobilium multitudinem ad salutem animi procurandam, ad frequentem criminum confessionem, ad Societatem nostram omnibus officijs tuendam atque fouendam, vehemēti oratione esset hortatus; ad matrem conuersus, vt ob tam præclaram mortem filij iacturam moderatè ferret, à lacrymis omnino abstineret, sorores suas ad nostros sordium animi expurgandarum causa adduceret, rogauit. demum omnes orauit, vt sibi quoties Iesu Seruatoris nostri nomen inuocaret, toties vnà responderent; dein ter sanctissimo Iesu Christi nomine inuocato, sanctissimè ex hac vita discessit. Ceterum concursus quanto vix nostri satisfacere

tisfacere possent, factus est. tātum verò Societatis existimatio apud omnes creuit, vt per tres ipsos menses, quos hīc morati sumus, nulla ferè alia de re sermo apud omnes esset; nisi de fructu & voluptate, quam in animis, ex nostrorum pijs excitationibus experti erāt. Societatem verò sibi mirum in modum complectendam censebāt. Vnum sit instar omnium. Matrōna quædam totius ciuitatis nobilissima, dum vnà cum generis ac filijs pranderet, ita omnes hortata est, vt nostris in omnibus necessitatibus præstò essent, ac tuerentur, & se, suaque omnia in nostris adiuuandis, ac in ciuitate retinendis, infumerent. In diebus festis in tribus præcipuis templis catechisimum, ac reliqua quæ ad vitam Christiano dignam instituendam necessaria sunt, docuimus. Illud verò máximo exemplo fuit. docebat noster quidam sacerdos in carceribus Christiana mysteria, cum quidam illac iter faciens Deum impiè blasphemauit. aduocauit eum Pater, & vehementi oratione obiurgauit. Ille verò tanto sibi proposito facinore, in eam contritionē ac dolorem deuenit, vt mox ferrea catena collo imposita coram omnibus ad Patris pedes acciderit, & veniam tanti criminis efflagitarit. Confessiones totius vitæ criminum audite non minùs quingentæ. Senex ab ipsa adolescentia peccatum reticendo, semper Confessionis Sacramento impiè abusus erat. cum de nostrorum aduentu certior factus, ritè peccata omnia totius vitæ Patri aperiret, eum animi sensum præ se tulit, vt ipsi Patri lacrymas excusserit. tum Christum ipsum, nostro adueniente ad nefarium illud crimen condonandum, aduenientem, vt ipse prædicabat, videre sibi visus est. Mulieris, quæ tres ipsas filias ob inopiam prostituerat, salutis & paupertati consultum. Discordiæ graues ac superstitiones plurimæ sublatae sunt.

Ipsæ



Ipsæ etiam moniales eorum quæ in vrbe gerebantur, fama permotæ, aliquem e nostris summopere efflagitarunt. idque facilius impetraturæ sibi videbantur, quod se nostris ab Episcopo maximè commendatas nouerant. Itaque sacrarum Virginum monasteria inuisere cœpimus; tum horationibus, tum confessionibus audiendis omnes adiuuare, ex quibus fructus insignis constitit, ita ut laborem, qui pænè insuperabilis videbatur, largo pretio redemerit. Creuerat in hiscè monasterijs ob exiguum vectigal, & rerum incommoditatem licentia, paulatim religiosa labète disciplina; tum etiam, ob eorum, quorum munus erat curare que monasterij sunt, inscitiam, varijs erroribus earum conscientia implicabantur. plerisque ex ijs suspecti admodum eramus, nè eas arctiore, quam ferre possent disciplina coëceremus. itaque à nostrorū colloquijs, abstinebāt, dein verò, cum animorū fructum experirentur, & pristinam disciplinam suauiter restitui animaduerterent, tam erga nos admirationem ac beneuolentiam conceperunt, ut in ea verba per totas ades prorumperent, & clamarent, Seditibus in tenebris, & in umbrā mortis, lux orta est nobis. nostrum, qui à confessionibus erat, B. Benedictum, viros item Societatis Christi Apostolos, paradisi angelos appellarent. Peccata itaque antea vitæ per generalem confessionem pænè omnes expurgarunt, & obedientie iugo humiles colla libenter subdiderunt. quam ob rem nobis gratias agere numquam desistunt. Mulier quædam nobilissima cum per aliquot dies partus difficultate laboraret, omni humana ope destituta, à nostris diuinum aliquod remedium exquisiuit B. P. N. Ignatij effigiem illi tradidere. tum illa B. ope implorata Ignatij nomen fœtui se imposturum deuouit, & B. Ignatium inclamans, facillime



mè partum reddidit, filiumque Ignatij nomine donauit. Cùm fructus bellè procederet, nostri rebus ciuitatis bene constitutis à P. Prouinciali euocati suat: quod vbi rescuere, credi vix potest quãtam in æstetiam ac dolorem acceperint. populus enim nobilitatem; ciues sua crimina, quòd tanto bono orbarentur, inculpabant. Quare multos tabellarios ad P. Prouincialem expediunt necessitatem omnium, fructum ac mutationem ciuitatis ob oculos ponunt. At verò P. Prouincialis necessitate coactum se missionem illam tollere rescripsit. Nostri sub discessum quadraginta horarum supplicationem indixere, ipsis Natiuitatis Domini feriis habendam. pium ac humile præsepe in templo nostro extruxere, quod sacrosanctam Christi natiuitatem referret. Templum aulais sericoque apparatus conuestitum, varij symphonicorum concentus, assidui sermones, ciuium pietatem mirum in modum nouo ac insolito more excitarunt. Simili pietate Christi circumcisionis diem varioque apparatus exornantes, mirum sui desiderium abeuntes omnibus reliquere. id quod prosequentium lacrymæ apertissimè testatæ sunt.

## PROVINCIA MEDIOLANENSIS.



Abuit hoc anno Mediolanensis Prouincia ex nostris Socios fere trecentos. In Professa Domo Mediolanensi 31. in Collegio 88. Geniuz in Collegio 34. in Domo Paurani 4. In Collegio Taurinensi 24. In Cremonensi 13. vno minus in Comensi; vndecim in Vercellensi. In Collegio Montis Regalis, vna cum Domo Pœnitentiariorum omnino 16. In Domo Probationis Aronæ 50. In Missione Nicienſi duo. In Residentia Alexandria & Papiæ in vtraque quinque; Corlicæ sex. Admissi in Societatem 23. vlti subiecti septem.

*Domus Professa sancti Fidelis.*

**P**rofessæ Domui Mediolanensî, quam sacerdotes 18. Fratres 14. incolunt, ad proximatorum comoda & salutem defuit nihil, quod aut alibi nostri præstent, aut ipsa fecerit superioribus annis. Et verò adiecta sunt multa propitio Deo, quæ si honestè narrentur, etiam iucundè possint audiri. Concionator Quadragesimæ vt auditus est summa populi nobiliumque frequentia, ita pietatem in plurimis excitauit. A luxu vestium, mollioreque cultu ad Christianam moderationem feminas complures traduxit: diuites auditores ad eam miserationem commouit, vt liberali pecunia honestis puellis consuleret, quibus in matrimoniû, quibus in monasteria collocandis; vt taceam de mendicis multiplici variaque ope subleuatis. Vtrumque hoc genus auxilij ad corpus animumque pertinens magno ardore animi aggressus est, ac præstitit vnus è Patribus. Is exercitijs B. P. N. Ignatij multos excoluit:

luit: Sodalitium Beatæ Virginis ex artificibus instituit, quos suauissimo gustatu quotidianæ orationis, hebdomadarięque confessionis fructu illectos & incensos ad homines alios omni arte iuandos emittit. Venantur hi amicos & propinquos Christo Domino, & sæpe rapiunt prædam è Sathanæ faucibus; pauperes verò aut vinctos in carceribus, aut languentes in xenodochiis suas esse delicias putant: ita ad aliquam illam nascentis Ecclesię charitatem Patris exemplo ac verbis inflammati totos se tradunt misericordiæ operibus. Iam vt sentire ciues incolæque, nostrum hunc Patrem non sua quærere, ita eius facillè admittunt congressus & consilia, vt hominis humanissimi æquè ac docti: ita è multorum ædibus libri, alex, superstitiones, infames mulierculæ eiectæ, illecebræque peccandi aliæ multæ. Nobiles viri duo passi sunt sibi persuaderi honestum matrimonium cum feminis haud æqualis generis, quò iuri humano ac diuino satisfacerent. Nec verò aliorum Patrum fuit opera negligēs, domi forisque. Norunt peregrini heretici reconciliati, desperatæ mulieres ad animi tràquil-  
 litatem reductæ. Infamis mulier, vt de aliis sileam, quæ corruptela erat ciuitatis, cui videlicet ad animarum necem omnia suppetebant, ad solitudinē, modestiam, pietatem ita reuocata, vt vulgò fuerit admirationi hominibus: nec verò in femina nutauit virtus, etiam si multis postea machinis à malo dæmone, perditisque amatoribus appetita fuerit. Aliæ verò virgines honestissimæ, quæ indignè latebant ipsis etiam solemnioribus anni diebus præ mendicitate, ad lucem, & sacras epulas educatæ, decenti eis comparato ornatu corporis. Denique graues etiam argenti summæ sunt persolutæ, extinctis litium & disidiorū seminariis. Omitterem narrare factum, nisi vt fuit publicum, ita accidisset



cidisset gratissimum. Ex quo anniuersaria læta B. Caroli Borromæi Cardinalis, & Archiepiscopi toto orbe notissimi solemnè pompa celebrari sunt cœpta; multa fuere de eius vita moribusque sanctissimis, atque heroicis planè gestis scripta, edita, recitata omnino grauitè & disertè. Hoc ipso anno rogatus vnus è Patribus senioribus ad habendam de more orationem, ea in concionem attulit, quæ nouam lucem, eamque clarissimam ad res B. Præsulis inspiciendas propiùs effunderent. Vix perorauit Pater, cum vulgò, ac summis studiis efflagitata oratio est. His atque aliis rationibus dum proximi iuantur, benignus Deus præter cælestem consolationem, quam infundit animis, rei familiari prouidit. Nam præter eleëmofynas ad quotidianum victum, sacramque supellectilem auctam, sacellum sanctæ Crucis in templo absolutum egregio opere: bis mille & quingenti aurei nummi soluendo æri alieno fuere legati. Claudet narrationem obitus illustris viri Alexandri Luciagi Brixienfis. Hic est ille Alexander virgo quinquagenarius, hæres Apostolici Spiritus, quem instar clari fideris ita accendit Deus supra illius patriam, vt aliis quoque multis Italiæ vrbibus eluceret. Textetur suo tempore eius virtutum ac laudum historia. Is Religionem ab adolescēte fuerat meditatus, & in Societatem nostram iam natu grandior adscriptus, ea lege tamen, vt grandæuum parentem domi coleret; cui si fuisset superstes, statim ad Domum Probationis aduolaret; si prius decessisset, aliquot ante obitum horas allectum se in nostrorum numerum esse sciret. Ergo Mediolanum cum Brixia aduenisset, vt clauum sanctissimæ crucis Domini veneraretur, simulque sepulcrum B. Caroli, cui in vita fuerat addictissimus; illicò morbus, quo se tentari senserat ante disces-

sum, ita vrgere cœpit, vt domum rediens à pia reliquiarum veneratione hospes nostri amantissimus, lectuloque affixus quattiduo expirauerit. Ægrum inuisit tristis Federicus Cardinalis Archiepiscopus, quicum intercedebāt permultæ rationes necessitudinis: affuit morienti: mortuo parentauit in æde nostra quàm fieri poterat solemnibus exequijs; ipse primus mortuo vt viro sancto (sic enim appellauit) manus exosculatus est. Funus extulere viri nobiles maximo sensu pietatis: populus deinde frequens ad feretrum accessit venerabundus; vnus postremò è nostris laudationem habuit.

### *Collegium Braidense.*

Verunt in hoc Collegio è nostris hoc anno 88. ex quibus Sacerdotes 16. Excessere è viuis duo, qui mœrorem simul ac lætitiã attulere Collegio. Mœror inde exortus, quòd viuam illi atque frequentem excitabant B.P. Ignatii recordationē: ab eo enim ipso felicia germina in hortum Societatis fuerant insita. lætitiã peperit spes magna salutis, & excellentis gloriæ eorum animis tributæ, quòd essent viri multa virtute præditi. Obiit prior Nicolaus Ferrarius Coadiutor humilitatis & abstinentiæ specimen, laboris amantissimus, corporis castigator acerrimus, magnus omnino æmulator vitæ ac virtutis antiquorum Patrum. Proximè secutus est P. Ioannes Baptista Velatus vir morum simplicitate ac bonitate omnibus carus, pietate seruens, atque in rebus ad diuinam gloriam spectantibus strenuus. Huic cum morbus grauis per se, ac diuturnus animi vires labefactaret, magnus virtutis habitus id præstitit, vt ad obedientiæ vocem mirè tractabilem se & obsequen-

sequentem præberet: Mors penè improvisa accidit; nō tamen sine peculiari Dei prouidentia; nam Fratri apud eum proximè quiescenti intēpesta nocte visus est in somnis ipse, P. Velatus sacrum facere, pulcherrimo eoque albato ministrante iuvene; qui elatis à Sacerdote hostia & calice, arreptum è candelabro circum Fratri admiranti videbatur deferre, iubereque, vt protinus exiliret, Patri laturus opem agenti animam. Eo viso euigilans Frater illicò cura percussus profilit ad Patrem: cum morte luctantem inuenit. accurrunt tumultuosè excitati Patres, ac Fratres: connixis omnibus in preces & auxilia eius temporis, animus euestigè euolauit. In horum locum suffecti adolescentes alii probatæ indolis, ac spei. E quorum numero rogatus vnus ardentioris animi, vndenam tantum rapuisset ardorem, quibusque stimulis ad Societatem fuisset incitatus, respondit se, cum spectasset sepè Fratrum nostrorum itum ac reditum à concione, vultum, incessum, ordinem; tam vehementer commotum, vt verè eorum mentibus ac corporibus insidere crediderit Deum; flammamque inde pectori excitatam nostri Ordinis, neque futurum vt sedaretur, donec admissus foret. Alter in templo nostro dum sacrum fieret, oraretque attentius, excipere sibi visus est intimis medullis vocem cælitus intonantem ac geminantem, Relinque sæculum; qua voce tanta dulcedine delibutus est, vt à sacro totus in Deum effusus ad multam horam orauerit. lætus inde confessorium adit, aperitque sensa prædulcis animi. Pater gratulans optimam mentem iubet adolescentem reuerti ad Deum, exploraturum demissè ac studiosè, quamnam potissimum in Religione sibi ab eo deseruiri veller. & ecce, eodem sensu illabitur illa vox, In Societate Iesu. quo accepto oraculo, sine tunctatione paruit. Tertius à



matre vexatus & minis & blanditiis, adeò vt nullum vocationis suæ ferociorẽ haberet aduersariũ, eò compulit matrem agendi dicendique prudentia, vt ea sentiens in filio diuinam planè vim sibi imperantem, eidem ipsi filio prouoluta pacem ac veniam precata sit, quòd ei infesta in tam sancto consilio contra diuinam voluntatem apertè pugnare perstitisset. Hæc de scholasticis tironibus. Veterani duo in Indiam missi (humanitus dicam) luctuosè, ita videbãtur ad omnia facti; alter sacerdos, doctorque Philosophiæ, bonus alter discipulus Theologiæ; sed tamen libenter quoque matamur Deo Creatori corpus & animæ affectiones, licet ea ipsa non sine sensu doloris. Veniamus ad reliquos. Dimissio vnus Nouitii, cui per aliquot dies hospitium in Collegio datum est; satis indicauit amorem ac constantiam Religionis in aliis. Vt enim is primùm domo extulit pedẽ, vniuersos perfudit veluti quidam horror habitati cubiculi, vt aut eã transire cauerent, aut citi transfileret, aut quasi contra dæmonis diuersorium signũ crucis effugerent. Laudabiles motus in tironibus: at longè laudabiliore in Collegialibus. Alii pro temporum varietate ac necessitate emissi ad salutarem venationẽ, quatenus licuit per consueta studia, eam prædam ceperunt, quæ Deo fuerit gratissima. Vix sacerdote concionante, gemitus audietur in templo; & tamen concionante Fratre, comploratio facta est in populo. Ex vno hoc capite conicere licet, quanta, quamque multa excisa sint vitia inueterata, quot semina probatæ vitæ ingesta. molitur nimirum Deus præclara multa per hominum voluntatem efferuescentem cum simplicitate coniunctam. Iacebat primaria quædam femina morti proxima, intolerandis afflictata doloribus, cum admonita confessionis sacerdo-

tem è Collegio accersiri iussit, interim cruciatus  
 ita aucti, vt misera disrumperetur: desperationem  
 vitæ desperatio salutis subsequitur. sistit se Pater,  
 & infelix exclamat spem sibi salutis nullam, posse  
 quidem cōfessarium inchoare, absolueri non pos-  
 se. quid multa? cū essent irritæ rationes ac pre-  
 ces, quæsiuit Pater, num, si dolor remitteret, pur-  
 gare cōscientiã acquiesceret. illa vix annuēte pro-  
 cumbit Pater, cæteri que dolētes: illicò exorata di-  
 uina bonitas dolores lenit; confessio inchoatur, la-  
 crymantibus præ gaudio domesticis. Cū denuò  
 furore ac rabie draconis recrudescente acerbitate,  
 obstinatio desperatio redit, commutatis omnium  
 lacrymis; donec precibus repetitis ardentius, dolor  
 leuatus est, completa que exomologesi, anima  
 paullo post magna cum tranquillitate, ac spe æter-  
 næ vitæ à corpore soluta. Diuersum omnino acci-  
 dit cum muliere altera. Etenim natali die Beatissi-  
 mæ Virginis, qui dies solennis nostro templo est,  
 parata quædam ad generalem totius vitæ expia-  
 tionem accessit ad vnum è confessariis, votum que  
 exposuit, non sine gemitu. Pater modestè monuit;  
 non esse tempus, quodd frequentia populi ad cæle-  
 ste conuiuium accedentis non permetteret. Illa ni-  
 hilominus vrgeri, obsecrare, postremò edicere ita  
 sibi duabus continuatis noctibus imperatum esse  
 ab Angelo, vt ea ipsa luce ad nostrum templum  
 veniret, fore vt ibi salutis initium reperiret. Tali  
 narratione cū impetrasset, mirum qua affluentia  
 diuinæ cōsolationis pectus mulieris redundarit:  
 Vera nimirum sunt tua promissà Deus, exhilarata  
 dicebat. Et instituta deinceps vita ad normam  
 perfectionis pro conditione mulieris, satis indica-  
 uit certam fuisse visionem Angeli lucis, vocatio-  
 nem que optimi Dei singularem. Quatuor cele-  
 brauntur Congregationes Beatissimæ Virginis in



Collegio; quarta addita hoc anno ob excrescētem adolescentium multitudinem. Agitur quinta in Collegio nobillium quondam erecto à B. Carolo, qui ipsi quoque scholas nostras frequentant. Ex his omnibus effloruere insignes actiones innumerebilia pēnè dixerim virtutum. Ordiamur à nobilibus. Ut primū ad animos penetrauit cognitio, nobilitatem in virtute locatam, quę virtus exprimeretur Christi ac Sanctorum imitatione & amore, mutari cœpit Collegium in cœnobium: ibi orandi ac meditandi studium, ablegatio nugarum, moderatio sensuum, pœnitentię ardor, de abiectioe certamen: ipsi seruire mensis, ipsi patinas tergere: accusabant errata sua publicè, obiurgari, puniri volebant. Nec sese continebat intra domesticos parietes incensa virtus: docebant rudes ac pānosos homines Christianam doctrinam, nosocomijs ministrabant nihilo minus quàm conducti famuli, stupore defixis simul moderatioribus, ac ægrotis; atque ex his (quod erat in charitate excellens, in sui victoria præclarum) vlcerosos & saniosos amplexabantur, osculabantur. Hactenus de externis, atque nobilibus. Interiores nostri eodem planè alti atque educati spiritu paria edidere quę illi virtutum argumenta, actiones genere non dissimiles. Operę pretium fuerit ex aliquot singularibus gestis, omissis iis, quę cum nobilibus fuere communia, virtutem nosse adolescentium. Quidam mendico ac sordidato homini stipem collectam à cœtu Sodalium cum tribueret, isque lætus de munere in genua procumberet, repēnē noster se quoque abiicit, luridumque hominem exoscularus, Quid Deus bone, inquit, ad pedes meos accidis, Christi personam qui geris? Alius ex eo numero, qui gymnasi vestibulum atriumque verrebant, quo tempore feruet turba confluens.



confluentium ad signū scholarum (& hic erat è prima nobilitate iuuenis) cum aliquando sub eam ipsam horā locū Sodalium verriisset, collecta manibus purgamenta in holosericum pallium medium in atrium deportauit. Sodales carpere, cauillari, quòd sordes pallio coopertas ad vitandum ruborem detulisset: Ennuero, respondit, ruborem mihi non iniicit famulatus Sanctissimæ Virginis. cum igitur iterum rediisset ad opus Christianæ humilitatis, bis quoque reiecto pallio ac pileo ramenta in atrium lucē media extulit. Terrius castitatis amantissimus cum sibi affari sensisset ardorem libidinis, cōfestim genibus nixus, cruceque expressa manibus cancellatis ad pectus, & oculis in cælum defixis, illud Apostoli quinquages, & eo amplius iaculatus est, *Quis nos separabit à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro?* nec irritò conatu: non solum enim flamma restincta est, sed etiam cælestis ac suauissima quædam voluptas ad animum recreandum infusa. Octauo die post celebritatem augustissimi Corporis Christi Domini ad sacram mensam conuenere omnes Sodalium cœtus. Ut verò fructus beneficii diuini omnium præstantissimi manaret vberius, propositum publicè fuit, quid cuique scripto liberet offerre ad recolendam eius beneficii memoriam, siue quod corpus affligeret, siue quod animi affectiones cōstringeret. Expressit ingeniosus amor, quæ offerrent. Qui cōsignarunt generalem exomologesim, deincepsque continuè hebdomadariam: qui stata ieiunia, ac perpetua: qui sacram synaxim in octauum quemque diem. fuere, qui subscriberent, se per totam octauam obuiò cuique pauperi stipem apertò capite largituros: alii, qui expeterent publicas obiurgationes: alii, qui pollicerentur, se cōtra conuicia & probra nihil vnquam dicturos,

quin

quin etiam pro maledicis, tamquã pro beneuolis  
 Deo supplicaturos. Iam vnus exemplum aliorum  
 constantiam probabit in susceptis consiliis. Hic  
 enim animo & suas noxas, & hominum flagitia,  
 & Christi Saluatoris cruciatus apud se reputans,  
 noctu surgebat ad orandum nudis genibus; tum  
 se catena ferrea diuerberabat acrius. neque hoc  
 quotidiano supplicio contentus, ad instar prisco-  
 rum cœnobarum panis & aquæ ieiunium insti-  
 tuerat: postea interdum certos homines aggrediens,  
 hortatione, muneribus, seuera, si opus foret, ora-  
 tione permotos ad confessarios attrahebat, expia-  
 turos vitæ crimina, minimè ille territus duriori-  
 bus verbis, aut etiam irrisione, quæ erant aliquan-  
 do excipienda à malè sanis hominibus. quin et-  
 iam facinorosum hominem, & obduratum ad su-  
 premũ adduxit Pœnitentiariũ; & quoniam probè  
 norat, toto eum decennio confessionem neglexis-  
 se, numquam ab eius latere discessit, donec inolitas  
 animæ maculas confessione & lacrymis eluisset.  
 hæc vbi resciuimus à puero ipso, partim tēperata,  
 partim probata cum eruditione oportuna. Atque  
 has habuit præclara virtus laudes sine vlla prorsus  
 offensione criminis. Quòd si ab aliquo offen-  
 sum est, id quoque fuit generosè emendatum. Lu-  
 cratus erat Sodalis colludendo cum aliis, bono vi-  
 delicet ludo, non contemnendam pecuniæ sum-  
 mam. is sibi, vt se recepit, fecisse visus sordidè con-  
 tra suum ludum, atque etiam indignè, vt filio Ma-  
 tris Dei, recognitam cuiusque summam integrè  
 restituit. Ferox erat & contumax adolescens alius,  
 parenti viduæ acerbissima crux. Pulsauit superbũ  
 animũ Deus, vt se Reginæ misericordiæ submitte-  
 ret: petiit Sodalitium, qui noscebatur esse perditis  
 moribus. vix limina salutauit Sodalitii, cū insolentię  
 pertasus, & sibi grauissimè displicens, domum re-  
 dit,

dit, supplex se abiicit ad pedes matris perfusus lacrymis, orans, obtestans leuitati ignoscat; pacatam fore domum; omnium se deinceps in potestate futurū. Et verbis facta egregiè respōderunt. De studiis id vnum scribetur, quòd cum Mediolanensis ciuitas memoriam B. Archiepiscopi Caroli, quæ potest maxima veneratione prosequatur anniuersario eius obitus die, nostrum quoque Collegium, quod ille propè erexit, ac certè viuens perpetuis fouit auxitque beneficiis, ob grati animi significationē, quæ potuit officia libētissimè persoluit. Datū est drama elegās de eius virtute, atque præclare actis, notisque miraculis: oratio & carmen habitā nō vulgari stylo: parietes cōuestiti litterariis picturis: omnia audita, spectata, probata summa frequentia & consensione cultorum sancti viri, & litteratorum. Sed impates sunt conatus sanctitati, ac promeritis magni Caroli, quem neque satis possumus mente atque animo colere ac venerari. Hæc ferè digna visa sunt, quæ ederentur Braidensis Collegii propria.

### *Collegium Genuense.*

**I**N Collegio Genuensi 34. nostrorum numerus fuit, quorum sacerdotes ferè 20. Confitentium, & eorum, qui sacram Eucharistiam adierint, frequentia eadem, quæ superioribus annis. Diebus Bacchanaliorum extremis ad expositam summo apparatu & pompa sacram hostiam frequentissimi omnium ordinum facti concursus. Reliqua Societatis munera diligenter excolta.



*Collegium Taurinense.*

**F** Verunt è nostris hoc anno in Collegio ad 24:  
 sacerdotes 11. magistri 3. ceteri Coadiutores.  
 Nostrorum valetudo non nihil tentata, sed leui-  
 bus morbis. Ceterum prædia grandine verberata  
 ac vineæ, præsertim in summa vini caritate, paullo  
 angustiorem rem familiarem fecerunt. Ornata ta-  
 men sacra ædes donariis multi pretij: accepti item  
 aurei ducenti ex legato pii viri, ad fabricam tem-  
 pli promouendam. Laboratum est domi forisque  
 impigrè in proximorum salute promouenda; exti-  
 titque operæ fructus. Omittam vulgaria, seligam-  
 que paullo ratiora. quæ vel in carceribus, vel in re-  
 liqua vrbe, pagisque contrigere finitimis, quò à  
 duobus è nostris per Quadragesimæ dies excur-  
 sum ad verbum Dei persequendum. Laqueo ve-  
 scio quis addictus, cum sequenti die erat morte  
 plectendus, confessionis ne quidem mentionem  
 audire sustinebat, se diris per summam impieta-  
 tem deuouens: at cuiusdam è nostris adhortatio-  
 ne mollitus, mutato consilio, quam respuebat  
 peccatorum exomologesim auidè cœpit expetere:  
 eaque summo cum doloris sensu peracta, mortem  
 suis sceleribus debitam, animo patientissimo in  
 Christi Domini gratiam pertulit. Apud alterum  
 cum neque preces, neque minæ quidquã possent  
 ad ferocem animum edomandum, ac flectendum  
 ad pietatem; desperato animo collum in laqueum  
 inferebat. tandem diuinã gratia in alium mutatus,  
 vltro sacerdotem accersit, ac rite confessus mor-  
 tem obiit. Porro qui in vinculis continentur, col-  
 lecta etiam à piis viris pecunia nostrorum operã  
 adiuti sunt. Abeamus è carceribus. Femina qua-  
 dam grauissimo laborans morbo, cum aueret sum-  
 mopere

in opere communicare, sed à domesticis impediretur, quibus morbi vis non videbatur lethalis; salubri pertinacia cum voti compos facta fuisset; Christi corpore animum passa, corpus quoque morbo leuauit. Puella item eo ipso die quartanam febrim depulit, quo votum Deo, sanctisque Martyribus Solutori, Aduentori & Octauio nuncupauit. Quare voti rea cum cereo ad aram se sistit in nostro templo, in qua Martyrum reliquiae honorificè asseruantur. Multorum animi reconciliati. In hoc genere illud fortè non vulgare. Ardebat lig inter familias duas nobilissimas eo obstinatiote animo, quo arctius olim inter illas fuerat amicitiae vinculum: iamque res eò perueherat, vt quæ pars succumbere videbatur, animo extrema volueret, seque vi ac ferro tueri meditaretur, quando iure ac legibus nequibat. In lite dirimenda, animisque conciliandis, laborarant sæpè aliàs viri auctoritate insignes, sed casto labore. Tandem seges hæc multorum, vt videbatur, malorum non in vrbe sola, sed in regione tota, operâ vnus è nostris rescissa est: cui cum negotiũ hoc à Serenissimo Duce commissum fuisset, Deo bene iuuante, & pax inter disidentes conuenit, & lite dirempta, firmissimæ amicitiae in posterum fundamenta iacta sunt. Sodalitia B. Virginis bellè procedunt. Serenissimus Dux, vt est nostri nominis amantissimus, eo die, qui immaculatæ Conceptioni Virginis sacer est, cum quinque Serenissimis filiis Sodalitium illud inuifit; cui ipse adscriptus est, eoque ipso die tres Principes natu grandiores nomina dare voluit, ac natu maximum patronum Sodalitii constituit. Per eam occasionem multi quoque è prima nobilitate (sunt hi Equites torquati, qui Ordinis sui Virginẽ Annuntiatã patronam habent) in Sodalitium cooptati. At Serenissimus Dux non præsentia modò, sed



sed eleëmofyna etiam ducentorum aureorum fericæ vesti coëmendæ pro aulais Sodalitium iuuit. Ex hoc Sodalitio adolescens quidam, cum calce ab equo petitus in inguine vulnus accepisset, verecundia plusquam virginali vulnus medico aperire haud est passus, & cum in morbum incidisset, morbi causam eò vsque dissimulauit, licet grauissimis interim conficeretur doloribus, donec confessarij præcepto rem pandere coactus est: sed putrescenti vulnere, eò iam res deducta erat, vt morbi vis nullo potuerit remedio vinci: quo etiam non multo post summus inter dolores, sed summa cum patientia obiit, cum in testamento aureos ducentos Sodalitio legasset. Minoris porro Sodalitii alumni neque frequentia, neque virtutum omnium documentis vinci se passi sunt à maiore. Obiit vnus ex iis, qui sui desiderium & domi & foris reliquit, ob egregias animi dotes, & singularem in Sanctissimam Virginem pietatem. Nostræ erat Societatis candidatus: qui cum in morbum incidisset, diem multò antè prædixit, quo sibi obeundum aiebat: nec vanam fuisse prædictionem exitus comprobauit. Elatum est funus Sodalibus comitantibus, magna modestiæ ac pietatis specie, vt ad illud spectaculum admirabunda ciuitas confluerit. Alius adolescens non rudi ingenio, cum dies noctesque libris incumberet, vt magistro satisfaceret, à quo acriter vrgebatur, quotidie tamen videbatur dediscere, ac in peius ruere. monetur quodam die, au integrè esset confessus: se nonnihil collegit: ac confessione generali instituta, in alium panè mutatus hominem, tantos in litteris progressus fecit, vt panè miraculum videretur, quos progressus ille post Deū cōfessionis rite instituti acceptos refert. Alius adolescens 15. annos natus, cum rescisset nobilem quemdam adolescentulæ amore captum, quam

quam



quam habebat pro pellice, summa cum honestæ familiaritatis, ex qua ille erat, iniuria; hominem convenit, ac sensum se in eius dat familiaritatem: mox inter loquendum cum ad incertam mortis horam, & inferorum pœnas deflexisset, adeò oratione sua miseri illius animum perculit; ut qui aures amicis plurimis obstruxerat, simplici adolescentuli orationi cesserit, cui etiam de pellice, licet impari, in uxorem ducenda fidem dedit. Lætus adolescens statim scribam ipse accersit, ac fidem datam publicis tabulis curat consignari, quam non multò post exsoluit, nuptijs rite celebratis. Quod sequitur illustre est pudicitiae exemplum. Adolescens quidam ex eodem Sodalitio dum via publica incedit, nihil mali suspicans, à duabus feminis procaci conatu abripitur intra aedes, ut ad flagitium compellatur. bonus adolescens inopino impetu non nihil perterritus hæsit primùm admirabundus; mox Sanctissima Virgine patrona invocata, pugnis calcibusque ita malè multavit impudicas mulierculas, ut se ex earum manibus salva & victrici pudicitia proripuerit. Serenissimus Dux cū per quadragenarii ieiunii dies concionatorem in nostro templo de morte differentem audisset, ita commotus est, ut eiusdem concionis exemplum sibi omnino voluerit exhiberi, ut eius lectione tum eorum quæ audierat, tum extremi illius diei memoriam subinde renouare possit.

### *Missio in Valles Taurini.*

Extitit hoc anno missionum fructus, si vquam antea, vberimus: nam septingenti hoc anno hæretici ad fidem conuersi, & nonnulla etiam oppida ab hæresi purgata. Quo res explicatiùs scribatur, paulò altius videtur exordium. Iam ab

anno sæculi præteriti sexagesimosecundo prohibitum fuerat hæreticis, vt certis contenti terminis, extra eos egredi non auderent hæresis disseminandæ causa. Sed nimirum, quod ait Apostolus, cum eorum sermo vt cancer serpat, sensim egressi plura oppida occuparant. Huic malo occursum est sæpe missionibus: sed eas iecerat radices, vt maiore conatu esset euellendum. Itaque publico edicto Serenissimus Dux iubet, vt omnes hæretici, qui citra fluuium Pellicem incolebant, vel hæresi abiurata ad Ecclesiam redirent, vel ultra eundem fluuium se reciperēt. Oritur is in summis Alpibus, quæ fines Prouinciæ ac Delphinatus spectâtur, ac vallem Lucernensem interfluës campos nactus in Padum se euoluit. Per eam occasionem Taurinensis Archiepiscopus, in cuius diœcesi est tota vallis, adnitente Serenissimo Duce, cuius mandato comitem se adiungere Archiepiscopo necesse fuit P. Rectori Collegii; in ea se loca contulit, vt nutantes multorum animos sua præsentia ad meliora consilia pertraheret. Itaque & priuatis colloquiis, & publicis concionibus egregiè per eos dies laboratum est. Sæpe etiam cum obstinatis decertandum fuit, & in multorum cœtu refellendi errores, miserique conuincendi. In quorū numero cum quidam nõ vulgari apud eos loco argumētis ac rationibus cōuictus quid amplius responderet non haberet. Si adesset Minister, inquit, argumēta vtique dilueret. Tum Pater, Adsit Minister; & si volet, data fide à Serenissimo Duce publicis testata tabulis, quando illud, in quo tum versabantur, oppidum adire haud sibi tutum rebatur: sed nec fide data è cauernis suis egredi ausus est. Itaque ex condicto in interiorem vallem Patri eundem fuit. Dictus est dies concertationis quarto Idus Martii, quo die ex tabulis Ecclesiasticis sancti



ſti Gregorii Pontificis memoria celebratur. Igitur  
 inalbeſcēte aurora ſacrō ritē peractō, Pater paucis  
 Catholicis comitibus, ad locū certamini deſtina-  
 tum pergit. aberat quatuor circiter paſſuum milli-  
 bus ad fauces Angroniæ vallis. ſedes eſt illa præci-  
 pua peſtilentiæ ſitu & arte munitiſſima, anguſtiſ-  
 ſimo aditu inter præruptas rupes, & minaciter ſub-  
 terfluentis fluuii, à quo vallis nomē habet, tumen-  
 tes fluctus: quò ante quadringentos fermè annos  
 Vvaldeſes Lugduno expulſi ſe receperāt loci natu-  
 ra allecti. Non ita multo poſt aduentū Patris, ecce  
 tibi zizaniæ ſeminator, armato comitatu & fre-  
 quenti. Ducebant agmen ſcolopetarii quadringen-  
 ti; ſequēbatur Miniſter ſeptuagenarius, quadrage-  
 ſimum iam annum apoſtata. latus ſtipabant filii  
 duo, quorum alter Miniſtrum agit, duoq; alii Mi-  
 niſtri, ac primores totius vallis: agmen claudebant  
 200. item ſcolopetarii, vulgusq; innumerum, cum  
 armis ferè omnes. Exciuerat enim de vicinis mon-  
 tibus & vallibus innumeros mortalium concerta-  
 tionis fama, & ſuperba Miniſtri vox pro ſuggeſtu  
 audita, conuicturū ſe Catholicum concionatorem  
 ex ipſo Miſſali Romano: futura enim erat de Miſ-  
 ſæ ſacrificio diſputatio. Porro cum armata manu  
 aduenit Miniſter, tum ex iactantia, tum ex timore:  
 metuebat enim, vt eſt ſuſpicax mala conſciētia, ne  
 per eam occaſionem intento diſputationi inſidiæ  
 ſtruerētur à Catholicis. Cōnuenerat à principio, vt  
 priuato colloquio intra cubiculum paucis teſtibus  
 res perageretur: tum verò multa cauſatus Mini-  
 ſter, quò tāta multitudo intra anguſtos parietes  
 claudi non poſſet, nec etiam prohiberi, quo minùs  
 intereſſent, vt rogitabant; inſtat, vt ſub dio coram  
 omni multitudo diſputatio inſtituatur. Haud  
 abnuic Pater, licet non ſine periculo tumultus im-  
 peritiæ multitudini tantū negotium committi poſ-



se videret, Deo fîsus, ne lucem & aspectum vitando obloquendi daret ansam. Itaque in prato quodam peramplo, opacantibus locum arborum ramis, circum effusa multitudine confederunt. Tum Minister stans Patrem inuitat ad preces Deo fundendas. Auerfatur Pater. Cui ille, Abnuisne preces? Ego verò, inquit Pater, non preces, sed vestram in precibus societatem auersor. Minister igitur cum nescio quid submurmurando Deum malè precatus esset; noster aperto capite cum Catholicis qui aderant, conceptis catholico ritu verbis, elata voce signum crucis manu exprimit. Mox factum initium dicendi, scribis duobus dicta singillatim scripto excipientibus, altero Catholico, hæretico altero. Positiones duas domo attulerat cum grandi librorum supellectile Minister: in altera Catholicam veritatem de vera præsentia corporis diuini in sacrosancta Eucharistia ita verborum inuolucris inuoluerat, ad simpliciores animos illaqueandos, vt cum initio videretur catholicè loqui, ad extremum in Caluinum desineret: in altera palàm in augustissimum Missæ sacrificium inuehebatur. Vnica positione orthodoxa duas illas hæreticas euertit Pater: quam cum firmasset solidissimis rationibus ex sacra Scriptura, sanctisque Patribus petitis, fraudemque verborum detexisset; hæreticum fateri coëgit post diuturnam contentionem, in Eucharistia verè & realiter sub speciebus panis & vini corpus & sanguinem Christi Domini contineri; ac Missæ sacrificium non hominum, quod aiebat hæreticus, sed Christi Saluatoris institutionem esse. Nouem ipsæ horæ in disputatione positæ sunt, tum scribarum commodo, vt dicta singula scripto exciperent, tum astu Ministri, qui, vt tempus falleret, prolixius vsque ad fastidium, & nihil ad rem, homilias ingerebat. Disputationis

exitus multos hæreticorum perculit, quòd eorum  
 Minister factus esset, quæ antea negauerat: ac sæ-  
 pe, vti rescitum est, cum eodem expostularunt; vt  
 coactus fuerit non semel pro suggestu variè inter-  
 pretari, quæ inter disputandum concesserat: om-  
 nemque is mouit lapidem, vt à scriba Catholico  
 tabulas publicas ab hæretico quoque tabellione  
 subscriptas extorqueret, vt ad suam libidinem cor-  
 rumperet: sed eæ in tempore à Catholicis in tutum  
 receptæ, moxque ad Patrem delatæ. Mirum quan-  
 tum famæ & existimationis deperierit Ministro  
 ex hoc congressu: à quo etiam nonnulli hæretici,  
 qui lucem fidei cœperat aspicere, sed hærebant ad-  
 huc in tenebris, sine cunctatione ad Ecclesiæ gre-  
 mium rediere; Catholici egregiè in fide confirma-  
 ti. Ex his quidam cum expressam à Ministro con-  
 fessionem Catholicam de Eucharistia audissent,  
 sine mora abiere. interrogati ab amicis, cur ita dis-  
 cederent nondum dimisso congressu, satis super-  
 que sibi factum vnica illa confessione responde-  
 runt: videlicet ex hæreticorum societate non nihil  
 fortè contraxerant dubitationis, quæ tum primum  
 ex Ministri confessione absterfa est. Sed Minister  
 hæreticus conuinci potuit, vt est apud Augustinũ,  
 conuerti nõ potuit, nõ veritatis ignoratione, quam  
 aperta luce tum aspexit, sed vel desperatione ve-  
 niæ, quam in Ecclesia consecuturum vix sibi per-  
 suadere poterat, vel ambitione regnandi apud  
 suos, vel denique superbia recantandi, quæ tanta  
 pertinacia hætenus docuit. Ineunte etiam ætate  
 Archiepiscopus idem Taurinensis in valles Chi-  
 sonis & Pragelati penetrauit, eodem P. Rectore  
 comite. Sunt hæ valles inter summa Alpium iuga,  
 quæ in Delphinatum iter est, eiusdem ditionis,  
 quamuis Taurinensis diœcesis. In his numerantur  
 ad septem oppida incolis frequentia, in quibus ne



vnum quidem Catholicum respicias. Occupatæ  
 olim fuere à VValdensibus, deinde Lutherum se-  
 cutæ sunt, mox Caluinum. Exulat iam trigessimū  
 annum Catholica religio, pulla ex tota vtraque  
 valle cum cæde quorundam paucorum, qui licet  
 in medio nationis peruersæ, Catholicam tamē fidē  
 retinebāt. Ex eo tempore dominari hæretici, tem-  
 pla ædificare suo ritu, Catholica solo æquare, im-  
 pune grassari hæreses, vt nulli prorsus liceat esse  
 Catholico. Ante annos 20. cū iussu Gratianopoli-  
 tani senatus vir insignis cum sacerdotibus eò pe-  
 netrasset, vt sacrū ritu Catholico faceret, populari  
 tumultu expulsus ægrè incolumis euasit. In has  
 ergo valles profectus est Archiepiscopus, vti reli-  
 gionem Catholicam quasi postliminio restitue-  
 ret. Cauerat enim lege lata Rex Gallix post initam  
 pacem cum Hispaniæ rege, ne quis in toto regno  
 alteri esset impedimento, quo minùs liber esset,  
 in qua liberet profitenda religione. In finibus re-  
 gionis Pedemontanæ, qua vallis Petrosa vallem  
 Chisonis attingit, exceptus Præsul est à Brianzo-  
 ni Governatore iussu Regis Gallix, quem etiam in  
 toto itinere comitem habuit: quòd minimè tu-  
 tum esset sine tali custode loca illa peragrarè. tem-  
 pla omnia Catholica offendit à fundamentis ex-  
 cisa, cœmeteria polluta humatis hæreticorū cada-  
 veribus. Purgatis ergo de more cœmeterijs, sacel-  
 loque ex tempore excitato, in singulis fermè oppi-  
 dis ritu Catholico sacrificatum est, concioque ha-  
 bita ad eos qui aderant orthodoxos (erant autem  
 vel ex Archiepiscopi, vel ex Governatoris familia,  
 vel aduenæ, qui iter illac habebant:) nam incolæ  
 cū procul admirabundi spectarēt, propiùs tamē  
 accedere audebat nemo, Ministrorū territi minis.  
 Nec pauci sunt in his vallibus, qui si liceret sine  
 periculo, hæresi palam abiurata, ad Ecclesiæ caulas  
 redirent:



redirent: sed terrent lupi in rabiem efferati timidas  
 oves; & nihil non agunt & moliuntur hæretici, vt  
 Catholicis concionatoribus iter obstruant in eas  
 valles. Cùm in hoc Alpium tractu hunc ad modũ  
 aufereret Catholica fides, atque ab omni ditione  
 Salutarum edictis Ducis Sabaudix expellerentur  
 infecti hæresi; mirè in Catholicos exarserunt hæ-  
 retici, ac per quosdam facinorosos, multorumque  
 scelerum reos Lucernæ, ac Petrosæ vallis templa  
 inflammare, aliquot Catholicis manus inferre cœ-  
 perunt. Ex his sacerdotem vnum magno animo in  
 fide tuenda iter habentem cùm sclopeti ictu strauis-  
 sent, ea edidere Calvinianæ, hoc est plusquam bar-  
 baricæ, crudelitatis exempla, vt Anthropophagos  
 omnes superarint. Nam humi iacentem, adhucque  
 spirantem adorti, per ludibrium ac libidinem in  
 singula ferè membra vulneribus inflictis, quæ cru-  
 ciant, sed sensum non adimerent; tandem exen-  
 terato cor euellentes è pectore per summam im-  
 pietatem agenti animam in os identidem insere-  
 bant; ac tandem ferinis animis crudelitate exatu-  
 ratis, in frustra penè conciderunt. Clericum item ex  
 itinere aggressi, cùm minis morteque intentata  
 de fide Catholica deicere nequissent, exploso in  
 eum sclopeto abibant. concidit is ex vulnere: at  
 mox collecto animo sese in cubitum erigens pre-  
 mit libellum pium è sinu, vt se eius lectione pararet  
 ad mortem. Id intuens ex hæreticis vnus, qui fortè  
 respexerat, reuersus, impactoque in ceruices ense  
 obruncat. In his turbis ac cædibus illud fuit in  
 nostros (degunt autem ibi continuò sacerdotes  
 duo) diuinæ prouidentix singulare argumentum.  
 Nam cùm Parochis metu dilapsis, Catholici sacer-  
 dote carerent, ac nostri, ne in tanto discrimine Sa-  
 cramentorum præsidio destituerentur fideles, ad  
 sacra facienda, ministrandaque Sacramenta eò se

conferrent, quò salus animarum vocabat, nullo periculi respectu, incolumes semper Deo protegente euaserunt. Sed speramus breuì fore, vt fracta hæreticorum audacia, minisq; contusis, res Catholica maiora in dies cãpiat incrementa.

### *Collegium Cremonense.*

**I**N Collegio Cremonensi fuere hoc anno è nostris omnino tredecim, sacerdotes quinque, totidemq; Adiutores, magistri ttes. Tribus humaniorum litterarum scholis adiecta est in gratiam Episcopi Theologica explicatio de moribus & officijs Christiani hominis, ac conscientia difficultatibus, qua clerus erudiatur. Ipse Episcopus cum gregi inuigilans edixisset, ne quis suorum clericorum susciperet sacros Ordines, nisi colligens sese pijs meditationibus animum excoluisset aliquandiu; cura eos dirigendi incubuit in nostros, & constitit operæ fructus ac laboris. Doctrinæ item Christianæ studium, quod neglectum valde frigebat, eiusdem Episcopi voluntate ac rogatu per nostros consuetis exercitationibus excitatum aded èst, vt insigniter ferueat, non sine magna ciuium approbatione, voluptatè Episcopi, ac puerorum contentione. Quo tempore mortalitas quædam nescio vnde orta Collegium affligebat vehementissimè, mira charitas optimi Episcopi tanquã amantissimi patris primùm, deinde ciuitatis totius publicè & priuatim eluxit in nostrum Ordinem. Cui respondere conatus P. Prouincialis quàm primùm in demortuorum magistrorum locum valentes præceptores recentelq; submitit. Atque illis ipsis ferè diebus, quibus nostri excesserant è vita, dedit ciuitas Cremonensis Societati nostræ primitias, adolescentes duos optimæ indolis ac  
spei



Spei. Quatuor omnino nobis nec opinantibus mors abstulit ex improviso, quibus tamquam columnis nitebatur Collegium. Primus fuit P Horatius Camossius vir mansuetus ac simplex insigniter; qui Nicæ Prouinciæ natus honestis parentibus iam grandis natu, & diu versatus in Iuris scientiæ studio, sponsæ nuntium remisit, vt ad meliora Societatis vota conuolaret, data eidem grandi pecunia, ne se profunde data retardaret. In Societate se penitus Grammaticæ scholæ dicauit præ amore Dei: quo in munere, quod multos annos laudabiliter & vtiliter exercuit, totus erat, adeò vt in eo diligentia cum charitate certaret. Hunc secutus est P. Bartholomæus Cicada, qui Collegium gubernabat, magna cum nostrorum, tum externorum approbatione. Hic Genuæ nobili loco natus Societatem complexus adolescens, annos in ea 30. totos exegerat sine querela. Nostris adolescentibus perutilis fuit, poësis & eloquentiæ, ac rerum spiritalium studia coniungens, quas multis annis primùm dicendi, postea tironum Magister professus est. Eminebat in eo mansuetudo, & apud externos gratia, adeò vt magnum sui reliquerit toti ciuitati desiderium. Episcopo autem tam carus erat, vt eum inuisens moribundum humanitatis ergò, temperare à lacrymis nõ posset; id quod nec in propinqui, nec in amici vllius morte sibi accidisse testabatur. Tertius Iacobus Lombardus Mediolanensis fuit, iuuenis regularum obseruantissimus, & mansuetudine insignis, qui sese item Grammaticæ tradendæ gratia penitus dediderat Societati; quo in munere quantopere placeret, mirum est. Postremus Antonius Petachius Comensis excessit è vita, iuuenis ætate, ingenio ac valetudine florens, ad multa idoneus, ad magna præstanda natus; qui suspirans Indiam, & animarum zelo fer-



uens, de se, suaq; paullo ferociore natura præclaras victorias identidem referebat. Hic præter humaniorum litterarum ludum, quem regebat egregiè, doctrinæ Christianæ studium adeò excitarat in hac ciuitate, & pro sua virili parte, adeò promouebat, vt vel hoc vno nomine mortuum ciues Cremonenses defleant vniuersi.

### *Collegium Comense.*

**F** Verunt in Collegio 12. sacerdotes 6. duo præceptores, Coadiutores 4. Adsciti in Societatem duo, quorum alter sacerdos doctrina insignis. Nostrorum opera vtiliter posita in consuetis Societatis ministerijs. Sacerdos vnus è nostris iam octogenarius, charitate in eo sufficiète vires, ad exemplum & incitamentum nostrorum, ad auxilium & solatium externorum, præter alia multa, quæ egregiè ac de more præstitit, vinctos in carceribus, quos fratres suos vocitat, magno pietatis studio complexus est. Curatis animis spirituali multaque opera, curauit etiam corpora frigore penè enectâ, emendicatis ostiatim vestimentis, quæ ciues liberaliter Patri multis virtutibus nobilitato tribuebant. Feminae plures nobiles bacchanaliorum diebus à viris primoribus inuitatæ ad ludos publicos, pulcherrimum spectaculum vel diabolo, vel eius instigatoribus præbere parabant: factum verò est operâ nostrorum, vt ab iniuria Numinis abstinerent. Adolescentula honesta, sed fortunæ tenuioris cum triennium iam in cœnobio vixisset, ibi quoque perpetuò se Deo mancipare decreuerat. Vt voti compos fieret, consilium communicat cum auia, quæ sibi dotem copiosam sponderat, arbitrata, quòd viro nuberet. Proposito cognito, excanduit auia, totisque viribus pertrahere

here virginem in sententiam aliam conatur: sed cum nihil proficeret, se nihil esse daturam dotis loco apertè denuntiat. Virgo tamè haud perterrita rogare Deum institit, ad se ut aliquem diuitem hominem mitteret, qui sufficeret necessariã dotem. Cum in hac cogitatione precibusque peristeret, nocte quadam videre sibi per somnium visa est sacerdotè Societate aduentantem Comum, cuius operã voti compos facillè efficeretur. Læta mittit proxima luce ad Collegium, qui de aduentu Patris, nomine etiam appellato, cognoscat: si venerit, roget, ut se quàm primùm ad cœnobium conferat. Et prorsus superiore ipso die Mediolano is Pater aduenerat. Res visa est admirationis plena; & itum est ad monasterium. Ei igitur virgo se totam aperit, rogat, obsecrat demissè simul ac piè, ne se deferat; hanc suæ coronæ fulgentem immortalè que gemmã inserat, ut dote conquisita, ipsa per eum Christo se sponso coniungat; Christum omnino ei adfuturum, ut quoscumque adeat eleëmofynæ causa, beneuolos inueniat. Pater collaudato proposito virginis eam bono animo esse iubet; operam studiòse pollicetur: inde ciues conueniens, ab eis perfacillè corrogata dote virginem lætabundam monasterio inclusit. A Scholasticis egregium ingeniorum specimen datum. Nam die anniuersario B. P. Ignatii atrium Collegij insolito apparatu exornatum plurimo carmine, oratione, picturaque eleganti: quæ res ut noua visa est & inexpectata, ita ciues frequentissimè exciuit, excitos cumulauit lætitia. Vnus è nostris cum non ea, qua uolisset, pace animi frueretur, sed multas experiretur in Religione difficultates, orabat Deum, sibi ut aliquid remedij & tranquillitatis afferret. Id aliquando dum enixius contenderet, somnus eum complectitur: in somnis uidet scalas, quas ipse cum

aliquot



aliquot è nostris conscendebat: Et illæ quidem in inferiore parte latæ satis, paullatim deinde constringebantur: medius tamen ascensus tamquam obtortus difficilior erat. Eò cum omnes peruenissent, ac quisque maximè superare niteretur, ipse vnus parua corporis declinatione euasit; magna alij cum difficultate superarunt, videlicet cum membrorum dilaceratione, qui viderentur corpore crassiores: reliquus ascensus facilis fuit. Ingressi regiam aulam magnificè exornatam, & collucentem, medium vident Christum stantem, ac præstolanti similem, ætate media, forma pulcherrima, sereno vultu, præclara circumfusum nostrorum corona. Ad Christi pedes dum certatim accidunt, benignus ipse complectitur singulos, erigitque; tum desigens obtutum in eorum vultus, miraque animos iucunditate complens, gratulatur benè omnes saluos. Hac Ille visione mirificè recreatus spiritus sumpsit, ad reliqua Religionis incommoda perferenda.

### *Collegium Vercellense.*

ANLuit hoc anno Collegium Vercellense vndecim è nostris, & inter hos sacerdotes 5, magistros duos. Adlecti quatuor in Societatem; nonnulli in alias concessere religiosas familias, & aliquot virgines in sacra cœnobia ingressæ. Disturbatus est operâ nostrorum cœtus adolescentum, qui in ludis & comestationibus dies ac noctes ponebant, cæterisque ad scelera & flagitia facem præferebāt. Resipuit ex his perditissimus omnium adolescens, qui apud ciues grauiter offenderat, proque ferocitate ac ferro, pietatem ac modestiam induit cum admiratione bonorum & laude. Ægroti duo humano auxilio destituti, inuocata B.P. Ignatij ope,



ope, valetudinem recuperarunt. Ereptæ nonnullis pellices, quibuscum diu turpiter vixerant. Reconciliatus parenti filius, qui inter se capitali odio dissidebant. qua in re cum plurimam lussissent operam viri nobiles permulti, vbi accessit industria nostri sacerdotis, sedatus parens mitiorem se præbuit filio: qui deinde rite confessus factæ pacis ac reconciliationis conseruatores delegit B. Patres Ignarium, & Xauerium. Essent alia congerenda ad fructuosum in hac ciuitate nostrorum laborem explicandum; sed quia ea ferè quotidiana sunt & contrita, consultò omittuntur.

### *Collegium Montis regalis.*

Versati sunt in hoc Collegio ad 14. Extremum vitæ diem obiit P. Ioan. Petrus Maiolus Collegij procurator, vir multæ patientiæ & charitatis, qui munus illud laboriosum ac molestum diu in multis prouinciæ locis cum virtute sustinuit. Aliquot in populo graues inimicitia ex contumelijs ac vulneribus exorta inter viros primarios non sine magno labore per nostros sedata. Doctrinæ Christianæ rudimenta in varijs vrbs templis ita explicata pueris, vt viri etiam feminæque allicerentur. Quo ex opere non minor extitit fructus ad ciuium salutem, quàm ex cõcionibus Quadragessimæ tempore habitis à nostro sacerdote in summo templo, magna cum populi approbatione. Vir quidam cum inter ludendum collusorem appetijffet contumelijs, iacturam argenti miserè resarciens, in templum nostrum concessit perturbatus. Fortè descenderat in templum ad orandum sacerdos, qui hominem intuitus ore inflammato, defixis in terram oculis, coniecit facilè ingentem animi commotionem. ergo accessit blandè, causamque

samque perturbationis sciscitatus, ut detrimentum pecuniæ à ludo profectum cognouit; amicum ac piè illius studij incommodis explicatis, simulque damnatis, adeò commouit hominem, ut protinus subnixus genibus coram sacro altari, Deo, Virgini que Beatissimæ sit pollicitus se non deinceps lufurum: si secus fecisset, crimen capite lueret: totumque in lacrymas solutus alia pœnitentiæ signa edere perrexit, exuto hostili animo, quem contra collusorem susceperat. Passim tota vrbe hoc anno debacchatus est morbus pestilentiæ simillimus, qui innumeros penè viros, in ijsque magnam primæ nobilitatis partem absumpsit; nulla ut domus immunis à funere sit relicta: quo tempore nostri ægris, plebeis æquè ac nobilibus nulla occasione, nullo loco defuere. Afflictos excitare, confitentès audire, moribundis præstò esse, nulli labori, aut incommodo parcere: quæ omnia charitatis officia dici vix potest, qualè quantumque studium amoris & obseruantix erga Societatem excitarint. Laboratum est etiam in vrbe annonæ caritate. Et hinc etiam oblata nostris materia ingens bene merendi de ciuibus. E re familiari nostra subuentum est inopiæ communi, elaboratumque omni studio, ut quique ciuium pauperibus tribuerent: qua in misericordia excelluere Sodales B. Virginis, tum viri, tum adolescentes. Excursum etiam est sæpe ad finitimos pagos & oppida, ibique sacris concionibus & adhortationibus tum alia multa præclare gesta, tum verò scœneratores non pauci à nefaria arte reuocati, iisdem inductis, quod perdifficile est, ad restitutionem impuræ mulieres à vita flagitiosa deterritæ: adducti populi ad frequentem vsu diuinorum Sacramentorum. idque in eis locis ex omni hominum memoria fuerat inuisum.



*Pœnitentiaria Montis regalis.*

**C**onstans & perpetuus labor eorum Patrum, qui Pœnitentiariorum agunt, ut plurimum in audiendis confessionibus est positus: qui licet vberes gignat fructus, ij tamē ut sacri cœlesti aulæ referuantur secreti; pauca tamen vulgabuntur, quæ oculis & auribus hominum patuere. Puellam Gallicam iam natu grandem adduxit Comes ad unū de sacerdotibus causa confessionis, quam illa nunquam fecerat. Cognouit Pater eam natam parentibus hæreticis, vixdum septennem ijsdem orbatam transisse ad Catholicos, Catholiceque vixisse, ac credidisse; sed actum esse negligenter, ut ea nunquam Pœnitentiæ Sacramentum susciperet: satis ergo pro tempore instructam, ac Deo per sacram pœnitentiam reconciliatam ad cœlestem quoque mensam admisit. Alia quædam virgo, & ipsa ætate grandior, ab ortu ipso muta ac surda, à Parochis negligebatur, non sanè magna cum culpa: putabant enim fortè stupidam, ut natura similibus cōtingit. Hęc tamē (quod instar miraculi videri queat, eratque omnino animaduersione dignū) & nutibus & signis non modò ostēdebat se magno desiderio diuinæ Eucharistiæ teneri, sed etiam præcipua nostræ fidei mysteria capere & credere. Egit ergo Pater cum virgine per sororem optimā signorum interpretem: rudimenta fidei clarius explicauit: tum expiavit exomologesi; postremò sacri conuiuij participem effecit. Quidam homicidij reus cum iam tres menses in vinculis egisset, magno animo, ac diuinæ opis fiducia ingenua procumbit: hortatus socios ad se imitandum, vota nuncupat B. Virgini, quæ hic inuocatur. post preces se in strato collocat somnum capturus; quem

nulla



nulla ratione cūm posset conciliare, neque verò  
 quiesceret, surgit è lecto, mœstusque inambulatur  
 per carcerem; ac tandem, bono videlicet instinctu,  
 pede pulsat carceris ianuam, quæ subito aperta est.  
 Lætus ex inopinato casu, Diuæque Virginis bene-  
 ficium recognoscens, noctu è carcere euadit: quē  
 secuti sunt socij: sed illi iterum capti, & arctius cu-  
 stoditi, solus ille, qui spem salutis maiorem conce-  
 perat ex patrocinio Virginis, iudicium euasit: hoc  
 igitur in loco ipsi Virgini Deiparæ sacro vota per-  
 soluit, & animæ salutem magno cum sensu pietatis  
 consuluit. In maxima annonæ caritate cūm alijs  
 pauperibus subuentum est, tum aliquot ægrotis  
 omni humano auxilio destitutis. Vici, & quod op-  
 pidū est proximū, Christiana doctrina excultri di-  
 ligēter: sæpius dati dialogi cum maxima puerorū  
 alacritate, parentumque gaudio ac fructu. Et siue  
 ferueant iugenia hisce in locis, siue pietatem, quod  
 verius est, accendat Deipara, optimè constat fru-  
 ctus in edocendis fidei rudimentis.

### *Domus Probationis Aronensis.*

**A**RONÆ, vt in Probationis Domo, nostrorū va-  
 riè numerus habuit: superiores tamen annos,  
 licet tertianis aliò translatis, longè vicit. is fuit ca-  
 pitum 50. plus minus. Sacerdotes fuere quinque;  
 reliqui, præter paucos Adiutores domesticos, no-  
 uitij. Extraordinarij nihil accidit memoria dignū.  
 In ordinarijs tamen muneribus præclarè laboratū.  
 Auditæ confessiones pro confessatorum paucita-  
 te sat multæ: reconciliati dissidentes: in summa ca-  
 ritate annonæ opitulatum egentibus. Tirones in  
 appetitu edomando, sui que victoria, ac pietatis  
 ardore egregiam locarunt operam; siue domi in  
 humilibus exercitationibus, siue foris in stipe sin-  
 gulis

gulis hebdomadis emendicanda, quo maxime tempore ex omni circumfusa regione huc oppidani ad emporium confluunt. Propinqui religiosæ vitæ consilium omni ope dissuadentes ab ipsis, qui dissuadebantur, alacriter reiecti. Pridie Kal. Augusti, quo die B. P. Ignatij memoriam colimus, Federicus Cardinalis Borromæus, reclamantibus licet suis, qui hac in re consuetudinem opponebant, ac priuilegium maximi templi, omnia tamen posthabuit, & Confirmationis Sacramentum administravit in nostro templo.

### *Missio Niciensis.*

**E**Xeunte hoc anno finem habuit Niciensis missio quinquennalis, ingenti cum mœrore & lacrymis plurimorum, qui Missioni succellurum putabant Collegium, quo ipsi posterique alerentur ad omnem pietatem & virtutem. Non enim male conijciebant ex opera salutari duorum sacerdotum Societatis, qualia quantaque bona in ciuitatem ac regionem vniuersam ab integro Collegio fuissent profectura. Omnino tamen desperatum non putatur negotium, tametsi ea capita populi, sine quibus confici nequit, hæctenus suam cum studiosa ciuium voluntate non coniunxerint. Quæ fuerant inchoata superioribus annis ad eius populi salutem, egregia ceperunt incrementa, præcipue frequentatio Sacramentorum, & Doctrinæ Christianæ. Hæretici præterea reconciliati duo; binæ malorum hydræ, quæ scelera ferè publica euomebant turpitudinis & luxuriæ, Deo adiutore resectæ; factum, ut clerici tota vrbe ac diœcesi censores morum haberent; ut ex præscripto visitationis Apostolicæ, qui sacerdotes non erant, diuinis crebro mysterijs animos expiant & pascere: ne sacerdotes ante



auroram ex Pontificijs decretis celebrarent: nevé alchymix calices in facris adhiberent: vt qui alter-natim inter se confitebantur sedente altero & au-diente, tantum procumberet is, qui se accusabat, is verò, qui audierat, continenter absolueret; non au-tem ipse confessione subinde facta, & absolutione accepta, priori iam confesso absolutionem ad ex-tremum impenderet: vsurpabant nimirum ignari sacerdotes non posse soluere, qui foret ligatus, etiamsi de nullis ageretur censuris. Atque hæc ad-ïumenta solis Ecclesiasticis. alia porro tributa coniunctim Ecclesiasticis, & laicis. Mos erat, vt confessarij dictarent ipsi confessionem pœnitenti-bus cuiusque generis continua interrogatione; qua de more absoluta, mox etiam subsequebatur absolutio. tamdiu est laboratum, tamdiu reclama-tum, vt inscitia tandem ac labe agnosceretur; & Præsul in Synodo monitis instructisque confessa-riis, præcepta insuper necessaria ad informatione ederet. Actum, vt in Paschate scriptum testimoniũ daretur confessis, eorundemque nomina describe-rentur in tabulis: vt nullum Sacramentum mini-straretur adultis, qui capita ignorarent Christianæ fidei, si non vrgeret periculum salutis: quique ea-dem laborarent ignorantia, patrini neque in ba-ptismo, neque in Confirmatione esse possent. No-stris etiam adnitētibus cautum est, vt in baptismo eodem simul tempore aqua infunderetur, ac for-mula verborum pronuntiaretur: periculosè enim ministrabatur tam necessarium omnibus Sacra-mentum: vtque viaticum moribundis deferretur, etiam non ieiunis, à prandio, noctuque, quod an-tea negligebatur: atque vt decentius quàm antea sa-cra vrna tecta velataque circumferretur. Hæc fue-re communia. Virgines duæ voto castitatis emis-so, domi monasticam & euangelicam vitam de-gunt,



gunt, donec construatur cœnobium. Duo illi nobiles coniugati, de quibus antea scriptum est, Christianæ & antiquæ perfectionis æmulatores duorum filiorum orbitatem mira constantia & patientia tulerunt: tertius superest, quem nostræ Religioni deuouerunt, alios minimè suscepturi liberos, tametsi viribus integris sint, cum ipsi quoque se voto astrinxerint: facti sunt pauperum actores curatoresque, donec adolescat filius: quo siue Religioso, siue laico, adulto tamè, vterque vitam religiosam suscipiet, si Deus O.M. concesserit superstitem. eam ipsi vitam, si non habitu votisque nuncupatis, moribus certè modò profitentur; ad eò se abijciunt, abnegant, perdunt, despicique ab aliis & cupiunt, & gestiunt; & quod est caput in vita spirituali, nihil ex suo sensu iudicio faciant. In discessu prouisum est, ut quæ bene cœpta erant, felicem tenerent cursum, quoad fieri posset: multi collacrymantes scripto excepere institutiones ad normam vitæ, quæ tamen iis, ut sit, in priuatis colloquiis antea fuerant traditæ. Confessarii certi assignati pro loco & tempore, probatoris vitæ, prudentiorisque consilii: ex feminis confirmatæ virtutis, spectatæque humanitatis constitutæ aliquot morum magistræ, iisque singulis attributa mulierum virginumque classis, à quibus officia pietatis exigent: ut verò illa capita inter se coalescerent, decretum, ut singulis hebdomadis conuentu habito, congruas personis actiones virtutis meditentur & ederent.

### *Residentia Alexandria.*

Degunt Alexandria Patres tres, Fratres duo. Hoc anno inter plures dissidentes, etiam odio graui, pax per nostros conciliata. Qui suspen-

die vitam finire coacti sunt in hac vrbe (tres autem omnino fuerunt) à nostro sacerdote adiuti, non sine laudatione ciuium spectatorum. E carcere duo educti, qui ære alieno obstricti erant miserabiles, inita transactione cum creditoribus. E cœno meretricio emerere nostrorum operâ dux. Confessiones totius vitæ auditæ complures: ab vno eodemque sacerdote septem dumtaxat mensium spatio septuaginta. Commentationibus B.P. Ignatii exerciti aliquot: ex iis duo iuuenes sponte, ac ritè, dum exercebantur, votum perpetuæ castitatis Deo nuncuparunt. Tres viri nos monuerunt, se, quia liberos non habent, testamentis confectis, vel heredes nos, vel legatarios instituisse: ij non quidem sunt locupletes, sed quàm libenter Collegium expectetur ac exoptetur in ciuitate, vel hac significatione beneuolentiæ declararunt. Reliqua à superioribus annis non discrepant.

### *Residentia Papie.*

**I**nitium habuit residentia hæc anno proximè elapso, rogatu Reuerèdissimi Episcopi Bastonii, aliorumque quorundam Societatis nostræ studiosorum virorum. Fuere nostri fere semper quinque, sacerdotes tres, Adiutores duo. Victum omnem suppeditant eleëmofynæ haud extortæ precibus, sed sponte exhibitæ, non sine illustri significatione charitatis. Ab ingenuo virò, qui primariæ cuiusdam in hac vrbe ecclesiæ Præpositum agit, dono datæ sunt nobis domus duæ, quæ minimum aureorum nummorum tribus millibus æstimantur. Alii præcipuarum ecclesiarum præfecti non pauci obtulerunt nobis omnia prolixè, ac studiosè curarūt, vt ad Ecclesiastica ministeria suorum oportunitate templorum vteremur. Concursum ad confessiones

fectiones non mediocris, & verò nobilium personarum. Omnino in eo munere ea cum approbatione ciuium versati sunt nostri, vt viri interdum Principes laudes nostras tum priuatim, tum publicè celebrauerint, affirmarintque nō pauci, quod numquam aliàs ritè fecissent, se huius Sacramenti beneficio nunc demum apud nostros culparum labe salubriter expiassè. Grandes pecuniæ nostrorum operâ sunt restitutæ; concubinæ ereptæ nonnullis; reconciliati multorum inter se animi; confessiones totius vitæ exceptæ plurimæ; ad sanctimoniales virgines adhortationes frequenter habitæ magno cum fructu. Diuino numine bene propitio bene apud omnes audiunt nostri. Collegium expetitur à plerisque; ad quod vtique construendum viam instruere haudquaquam desinit diuina benignitas.

### *Residentia Corsicæ.*

**S** Ex omnino è nostris hoc anno Corsicam insulam incoluerunt, sacerdotes quatuor, quorum vnus grammaticæ rudimenta tradidit pueris: alter præterea præceptor humaniorum litterarum; & Coadiutor vnus. Noui inde perlatum nihil,



## PROVINCIA LVSITANIÆ.



VNT in hac prouincia sexcenti & viginti. In domo Professa D. Rochi octo & quinquaginta, in Collegio D. Antonij quinquaginta, in Domo Probationis Olisiponensi viginti quatuor. In Collegio Conimbricēsi ducēti & viginti. In Collegio Eborensi centum triginta sex. In Collegio Portuensi decem & octo. In Collegio Bracharensi viginti octo. In Collegio Brigantino octodecim. In domo Villauicosa decem. In domo Faroensi regni Algarbiorum decē. In Collegio Funchalēsi insulæ Madeyra sexdecim. In Collegio Angrēsi insulæ quę Tercera vocatur, quatuordecim. In Residentia insulæ Diui Michaēlis commorantur quinque ex nostris. At verò in regno Angolæ in oppido Loanda resident ex nostris duodecim; duo in vrbe Vallisoletæ ad negotia pertractanda huius prouinciæ.

*Domus Professa Olisiponensis.*

SUPERSTITES fuere nostri toto anno, & incolumes, munere planè diuino, præsertim cùm in magna morborum contagione, quæ Olisiponē iam diu incessit, ægrotantium lectis, passim ac sine discrimine incubuerint, confessiones audiendo. Cum viribus corporum facta incrementa virtutum. Omnes se ab externis curis ad spirituales exercitationes retulere, alij aliis macerationibus vsi. Fuit, qui ita se abdiderit, vt totos octo dies nec aspici voluerit, nec aspicere: ita parcè & duriter victitauerit, vt ad panem atrum, vix quicquam præter frigidam adhibuerit.

hibuerit. Quæ lux religioſæ diſciplinæ, licet à noſtris ingenuo pudore intra domesticos parietes premeretur; non potuit tamen, quin foras erumperet, externorumque oculos perſtringeret, mirantium in vrbe ſolitudinem, in æſtu negotiorum, contemplationis otium, denique in præſenti memoria repetitam à priſcis ſæculis ſanctitatem. Eoque magis probabant omnes viuendi rationem, quo altius inſederat eorum animis illa perſuaſio, ſic à noſtris inſtitutam, vt mollirent iram Numinis, crebris calamitatibus in hanc urbem detonantis. Cæterum non minus gratus extitit in vulgus noſtrorum labor, omnium ſaluti procurandæ gnauiter impenſus. In conuenas, quorum magna frequentia in hac vrbe, vt magis depositos, & humano diuinoque ſubſidio egentiores, ſalubriter conſultum. Adoleſcens natus annos vndeuiſcenos ſacerdotem è noſtris adit, narrat parentes ſuos fuiſſe de ſæce Anabaptiſtarum, ideoque luſtrali fonte ſe nunquam lotum: reſeſſit à ſacerdote baptiſmo expiatus, atque ad pietatem ſic inſtructus, vt modò de religioſa vita ineunda meditetur. Alter à puero hæreticus, morbo preſſus vnum è noſtris acciri iubet; coram eiurat hæreſim, fidem profiteretur, ac totius vitæ noxas confeſſione eluit: poſterio die, quàm Eccleſiæ reſtituitur, ore euomit tetrum & ſqualentem hydram, ſanguineis maculis interſtinctum, non obſcuro argumento iam dæmonem ab eius animo foras extruſum. Erant in littore huius urbis triremes octo ſub vno regio Præfecto conſtitutæ: vnus milites remigeſque captiui rebellionem cœptauerant, inani conatu; nam malo per indices reſcito in tempore itur obuiam, ternis denis extremo ſupplicio deſtinatis. totidem ex hac domo euocantur confeſſarii. adſunt properi, ſingulos audiunt confeſſantes, animant, ſolantur, &



nequid spei desit morituris; Bullas Cruciatæ eleē-  
 mofyna quæfitas in singulos partiuntur. His ita  
 prouifis in salutem animorum; nihilo feciūs agunt  
 de salute corporum, fi qua poffint, vendicāda: nam  
 res quibufdam vifa ad diritatem vergens tam mul-  
 tos vna hora dari in lanienam, maxime cum non  
 omnes eadem culpæ grauitate tenerentur. Igitur  
 facerdos nofter vnā cum ampliffimo Dynafta mi-  
 fericordiæ Sodalitij patrono Trierarchum adit,  
 quoquod ille recesserat auertendæ interceffionis  
 caufa infecutus: mortem miseris deprecatur, fal-  
 tem iis, in quibus leuior habebat culpa. Ille demū  
 iuftis precibus exorari fe finit: tribus tantum in  
 crucem actis, decem abfoluit; quo & misericordiæ  
 locum daret, & militum audaciam coërceret, ter-  
 rentium femper, nifi paueāt. Nihil vrbi gratius effe  
 potuit; & communi in tot reorum capita commi-  
 ferationi fuffecit incredibilis in nostros fauor &  
 gratulatio. Cum incolis non minus fructuose la-  
 boratum. Puella furtim rapta, diu retenta, diligen-  
 ter cuftodita, nequa vi eriperetur, tandem ex-  
 torta ab impuro homine, & in tranquillo colloca-  
 ta. Insignis meretrix, quæ bonam vrbis partem in-  
 fecerat, & cuius caufa multa coniugia abierant in  
 diuortia, cum ne magistratum quidem operā  
 trudi poffet, noftrorum labore prorsus exacta. In  
 aliam vrbis partem honeftis cultoribus frequen-  
 tem peftis effrontium muliercularum incubuit:  
 glifcente indies malo, lasciuia, vt plerumque fit,  
 vertitur in fœuitiam: paffim iurgia & cædes, riu-  
 libus fe in mutuos gladios induentibus. neque re-  
 ftinguendo incendio vlla vis etiam publica par-  
 fuit, omnibus fuo capiti metuentibus, dum alienis  
 mederentur. Occurrunt noftri; nihil non tentant;  
 fæpius victi. regium decretum impetrant, demo-  
 liendis proftibulis turpitudinis. frustra: illud enim  
 effrænis.



effrænâ audacia sic interuertit, vt nusquam inueniretur. Sed plures habet malicia conatus, quàm vires. diu quæsitum paruit. tandem effectum Proregis ope, magistratum cura, nostrorum diligentia, vt illa colluione aliò deriuata, pristina vrbi gratia, pax & honestas redderetur. Sex feminæ haud dubiè pessum ituræ per prærupta vitiorû, nisi maturè in tuto sisterentur; nostris auctoribus ruinam euasere. Quidam sedecim iam annos in adulterio insenscens, nostrorum hortatu resipuit. Iuuenis in eodem cœno diu volutatus tandem emerfit; & ne relaberetur turpius, quàm ceciderat, vltro sibi in dicitur exilium ab vrbe sempiternû. quod vbi eius pater nouit per nos curatum, venit in hanc domum, nobis de beneficio apud filium posito gratulaturus. Adolescens iuramenti religione obstrictus cû virgine extremæ orbitatis contrahendi, amœnis quâ verbis, quâ promissis ad alias nuptias pellicitur, sine dubio inescandus, nisi à nostris monitus resiliret: sic periurium euasit, virgo indigentia subsidium non amisit. Femina, quæ virum diu apud hostes in seruitute commoratum, tanquam vita functum deplorarat, nupsit alteri; ex quo tribus iam liberis susceptis, prior redit; vtrique coniugi legitimè persuasum, vt in prius matrimonium coirent, adulterinos liberos non excluderent. Sex coniugia præposterè inita, legitimè in posterum stabilita. multorum conscientia varijs cum scrupulis, tum criminibus innexa, confessionis beneficio explicata. grandis pecunia ab iniquis possessoribus ad veros dominos redijt; ab vno aurei sexies milleni restituti; ab altero vectigales pecuniæ, quas multos iam annos auertebar, in integrum reposita. Nosocomia frequenter adita: plurima morborum fomenta delinimenta que vulnerum sparsa in ægrotos. Triremes sæpius lu-

stratæ, vt quæ ibi vitiorum sentina esse solet, exhauriretur: publicæ custodiæ passim inuisæ, vbi multi collectitia stipe adiuti; decem nostrorum rogatu à vinculis liberati. Qui ad capitale supplicium efferuntur, vtuntur nostris ad bene moriendum consulētibus. Aliquando cùm iam reus obli-  
 sis faucibus expiraret, sacerdos noster ad circumfusam multitudinem orationem vertit; inonet quo exitu scelerosi homines finiantur; nemini malefacta impunè fore: ocyùs, seriùs luendum quod quis licenter auferit; peccatricem vitam breuissimam esse ad orcum viam; redirent ad frugem, qui tradi in pœnas nollent. Adfuit dicenti Numen, adfuit audienti: fit ingens lachrymantium admurmuratio: omnibus mens eadem se ad meliorem vitam aggregandi, vni ad religiosam. Dissidia inter multos coërcita, lites compositæ, inueterata odia extincta. Matri cū filia graues erāt discordiæ; adeò, vt illi iam iam morituræ hæc nunquam assederit. curatum à nostris, vt filia non deesset morienti, à qua vitam acceperat; & mater antequam sepeliretur, inimicitias cum filia sepeliret. factum: quin filiam constituens heredem ex triente satis opimo mater cum gaudio decessit. Eleëmofynæ largiter corrogatæ. Vnus depositis apud nostrum confessarium criminibus, mille quoque aureorum deposuit, locandis virgunculis egentioribus. In eisdem vsus sacerdos alter duplicem dotem comparauit. Quidam è nostris, qui in præcipuis vrbis celebritatibus ad concionandum euocatur, optimam impulit in sententiam Sodalitates ferè omnes: nimirum, vt in solennibus Diuorum, alijs sumptibus siqui forent superuacui, compartcerent; & ad locandam virginem ex eadem curia lectam, quantum satis esset pecuniæ, conferrent. quod cùm iam ab omnium Sodalitatum administratoribus diligentissimè



mè curetur, multarum orbitati conciliatur leuamentum, antequam ad scopulos impuditiæ miserè allidantur. Iuuenes quidam egregiè moratidum apud nos Sacramenta frequentes obeunt in sacello Cruci dicato, acti in eam mentem, vt Crucis Sodalitatem instituerent, in qua singulis annis Christi patientis memoriam replicarent. cōsiliū maturant: à nostra tamen domo exclusi iustas ob causas, collocant Sodalitium apud diui Augustini Cœnobitas, qui à nobis totidem passus distant, quot Seruator noster, cū ad moriendum efferretur, dicitur peregrisse: in cuius rei gratiam hæc via religiosè coli cœpta est. nam sextis ferijs maioris ieiunij flexis iam in vesperam, incredibili concursu virorum ac feminarum terebatur, quà nudis pedibus incedentium, quà prouolutis genibus reptantium, quà in se hamatis flagellis acriter sæuientium. Fouebant singulorum pietatem aræ per interualla dispositæ, in quibus Christi simulacra nunc hos, nunc illos cruciatus subeuntis visebantur. Iam statò die à prandio concione præuia non sine fletu audientium, celebris è nostro templo exhibat supplicatio, apparatu iuxtà funebri & luculento. præibant Sodalitates de more paludatæ, accēsis cereis: sequebātur Religiosorum Ordinum conuentus, cum cantu lugubri: comitabantur pluri in morem pœnitentium linteati, terga verberibus cruentantes: ponè inter humeros ferebatur Christi crucem baiulantis simulacrum, factum omnino ad fletus exprimendos: ita demum affusa circum multitudine ad diui Augustini pompa incedebat, vbi sub noctem soluebatur. Hæc publica religio, quæ aliquot iam annos cum ingenti fructu ciuitatis inoleuerat, certatum à nonnullis vt exolesceret; siue ad id mali suspicaces hominum animi, siue inueterati dæmonum astus niterentur,

Refes-



Refertur ad vrbis Antiftitem religionem illam verti in fuperftitionem, & fub fpecie pietatis multa scelera occultari. Præfule igitur interminante nequa vlteriùs fieret fupplicatio, imò nequis pro no in noctem die viam illam infifteret; parent omnes, & priftinus ille ardor pietatis fubitò exarefcit. Noftri illico ad Antiftitem: id quod res eft, feriò monent; licet aliquid aliquando fecùs caderet, quàm illius fupplicationis religio poftularet, femper tamen ex ea re maiorem fructum conftitiffe: neque ob herbulas noxias internafcentes fructuofam fegetem extirpandam. Annuìt ille noftorum precibus non ingratus. illicò religio extincta reuiuifcit: & eo folum profuit intermitti, vt maiori alacritate, quàm antea inftauraretur. Cæterùm ex catechifimo multiplex fructus: Sacramèta frequèntata, iurandi confuetudines abolitæ, iuuenum lufus feriantium coërciti, in Diuos cognomines, tutelaresq̃ue Angelos aucta religio; vno verbo, nulum genus hominum tam rude, tamq̃ue hofpes à pietate . quod hinc bene viuendi præfidia non petat . fua omnibus adefit illecebra præmiorum, quibus dum inhiant comparandis, fiunt ad virtutem audiores. Homini, cuius domus laruarum plena, etiam dum tempus erat diei, palàm terrenum, dono data imago cæleftis agni. rem miram: qui dedit, proximam in noctem lemorum infultu terretur; qui accepit, lymphatico pauore in pofterum liberatur. At quàm Deo gratus fit doctrinæ tradendæ labor, exemplo clarebit. Adulta erat hoc anno æftas, adhuc hiemabat, cum ingenti pernicie fatorum; quæ neque poterant demeti iam nata, neque exteri iam demeffa. Siftendo imbri Catechifta nofter fuos alumnos educit composito agmine in Deiparam à Monte (facellum eft suburbanum in monte fitum ) Huc vbi ventum, continuò cælum

mitefcit,

mitescit, serenitate consecuta. quod Beatæ Virgini haud temere datum est, suorum vota exaudienti. Missi ex hac domo, qui varia oppida lustrarent Societatis munera obeundo: bini ad vicina; totidem ad remotiora; vtrique magno labori pares fructus retulere. Priores adeò grati erant omnibus suo accessu, adeò suo discessu molesti, vt Principes viri oppidorum Patrem Præpositum literis adirēt, ne tales suarum animarum curatores tam citò inde auelli pateretur: posteriores sui muneris tam bene gerentes, vt mallent viribus deficere, quàm non sufficere laboribus, quos excolendis omnium animis impendere æquum erat. Sic vtrique ex nimia lassitudine correpti morbo, antè sibi, quàm alijs defuere. Sed missio in Indiam suscepta ante alias illustris fuit: quæ licet cæteris huius prouincię domiciliis communis sit; his tamen, quæ Olisipone sunt, propria est. nam qui ab alijs sedibus primò euocantur in Indiam mittendi, in his excipiuntur vltimò profecturi; & qui in illis hauriunt egregia virtutis documenta, in his planè relinquunt expressa vestigia sanctitatis. Hi fuere hoc anno natione quidem Lusitani pariter atque Itali, ætate integri, doctrina Theologi plerique, ingenio habiles, moribus præcellentes, numero sexaginta, caritate vnus. Lusitaniæ spectaculo fuit tam lecta manus: Indiæ, vt speramus, futura quidem est miraculo. nam neque Lusitania tam egregium militem vnquam parauit, neque India præsidiarias cohortes tales excepit. Soluerunt octauo Kalendas Aprilis, in quem diem incidit anniuersaria celebritas Virginis annunciatæ: læto auspicio, eos fauore Virginis tanquam Fauonio prosequēdos. Certè ex hac domo, vt nihil interim de reliqua prouincia, iuges ad Deū fusæ preces, vti incolumes in India sisterentur. Hactenus de nostrorum cura in exter-



nos; breuius deinceps de externorum in nos be-  
 neuolentia. Illa communia, quod nos vbique que-  
 runt, consulunt, venerantur. Hæc planè singularia,  
 quod tam innumeris beneficijs prosequuntur, vt  
 dubitem, sit ne magis modesti animi reticere, an  
 grati deprædicare. Fratrem è nostris, cui obsonan-  
 di munus, sector zonarius expoliavit paucis num-  
 mulis, quos in obsonatum deferebat. factum rescii-  
 uit matrona nobilis, Fratrem accersit, & leuem ia-  
 cturam nummulorum quinquaginta aureis refar-  
 cit. Sublatum nostro è templo stragulum textile,  
 diu quæsitum, nunquam inuentum. Vnus è Socijs  
 illicò se ad diui Antonij simulacrum, & pio quo-  
 dam ludrico ab eius amplexu crucem eripit, non  
 redditurus, vt aiebat, antequam stragulum redde-  
 retur. sed mox veluti audacię in Diuum pœnitens,  
 ereptam redhibet: quo facto duplicè à Diuo iniuit  
 gratiam, alteram pro erepta cruce, alteram pro re-  
 stituta. nã vir dignitate Comes, liberalitate Prin-  
 ceptus, simul ac damni conscius fuit, duplici stragu-  
 lo maioris pretij dono dato vnus furtum compen-  
 sauit. Oblata ad sacrificalem apparatus, vestien-  
 dumque suggestum ornamenta ex argento texti-  
 li, opere non vulgari: ad Eucharistiam continendã  
 aurata pyxis, artificio antiquo pariter & visendo:  
 ad ornandum templi adytum lautæ vestes ex auro  
 textili, purpureoque bombycino villosa, partem au-  
 reis quinquaginta supra sexcentos: ad Diuorum  
 reliquias regendas, quarum magnus thesaurus in  
 hac domo, capsæ aureæ, & argentæ nonnullæ: ad  
 prælucendum diuo Gregorio Thaumaturgo  
 lychnuchus pensilis, fabrè ex argento factus, re-  
 dimitus multis flosculis ex serico discolori artifi-  
 ciosè ductis; opus trecentis circiter aureis pretio-  
 sum. Mira religio ciuitatis in omnia Diuorum li-  
 psana, seorsim verò Thaumaturgi, cuius vim bene-  
 ficam



ficam sanandis ægris, leniendis doloribus, impro-  
libus fœcundandis multi testantur experti; plures  
vt experiantur, sacri Pontificis tiaram certatim  
exposcūt. Iam verò penetralis templi pars elegan-  
tius exculta; illusis auro facellis, in quibus Diuo-  
rum ossa continentur: nec minori cultu reliquum  
templi illustratum, appensis ex vtrouis pariete  
quaternis tabulis picturæ singularis; in quarum  
medijs hinc inde quatuor Ecclesiæ Doctores ex-  
primuntur; in extremis verò totidem Angeli, tres  
diuinis Literis celebres, vnus Lusitaniæ custos &  
patronus. Quibus oculorum illecebris ita homi-  
nes tenentur, vt dicant nullum esse templum reli-  
gione par, decore expolitius, amplitudine augu-  
stius, suaque sponte adducantur ad maiorem in-  
dies ornatum ex suo conferendum. Celebritas  
diui Rochi, qui vt suum nomen huic templo, ita  
& patrociniū commodauit, gratior hoc anno il-  
luxit. nam & finem attulit pestilentiæ, quadri-  
ennium iam grassatæ, clausis tandem ab eo die publi-  
cis valetudinarijs, & expletis: & initium publicæ  
iucunditatis, duabus ex India nauibus ad stationē  
appulsis. omnes vtrumque beneficium sanctissimi  
viri patrociniū acceptum retulerunt. Ac de priori  
quidem quotus quisque est, qui ambigat? cum  
diui Rochi vis pestilentium morborum expul-  
trix, & sit, & habeatur. De posteriori verò nequis  
dubitet, res ipsa fidem facit: nam cum in Diui per-  
uigilio vespertinæ preces nostro in templo de mo-  
re funderentur, cantu florido, Pontificio ritu, om-  
nium rerum, quantum in amplissima vrbe fingi  
potest, apparatu: illis solutis, plausuque exceptis  
tibiarum; ecce tibi in confertissima corona qui-  
dam de plebe sublimem locum capessit, & cōtenta  
voce, Grates, inquit, Lusitani, grates summo Deo  
immortales. Duæ vobis ex India naues (haud vana  
fides)

fides) iam sunt in ostio, crastino erunt in portu. Nec plura: omnes in illum oculos: mendacium putarent, an vaticinium; dolum, an oraculum? propriunt se plurimi ad littus impigri, rem explorât, veram renunciant. luce postera Diuo Rocho nuncupata duæ in urbem naues inuehuntur. Vix dici potest quantum gaudij sit vrbi obiectum ex tristitia ac desperatione consecutum: nam de harum quidem nauium ad urbem appulsu plerique desperauerant; cum viderent Oceanum late piraticis nauigiis infestatum, in quæ tandem malè ominabantur incidendum. de priorum verò iactura adhuc recens vulnus hærebat animo: nimirum duæ, quæ hoc anno præcucurrerant, à prædonibus occupatæ, & in Angliam auectæ; altera quidem ab insula Diuæ Helenæ, altera verò penè ab hoc portu, militum incuriâ, an ira Numinis, vi auulsa. quâ iniuriam tam grauem, tam atrocem, tam denique Lusitaniæ insolentem, ita omnes iniquè acceperunt, vt nemo bonorum ciuium fuerit, qui illam vel proprio sanguine deletam nõ optarit. Sed cum duæ in urbem naues ex tot periculis sospites illaberentur, lætior post infortunium fortuna visa, & præsentis prosperitatis medicamine superioris calamitatis vulnera; licet eatenus cruda essent, bona ex parte coierunt: quam felicitatem omnes Diui Rochi meritis tribuebant, vel vnico iudicio, quòd in eius celebritate subitò erumperet, & ab eius templo primùm in totam urbem vulgaretur. Sub idem tempus alia vrbi felicitas nata est, quinque virginibus claris genere, virtute clarioribus ex Anglia huc aduectis, ea mente, vt ab hæreticorum commercio expeditæ, liberiùs ad Christianam pietatem niterentur. Quod quia à nostris diligenter curatum est, & à Deo mirabiliter perfectum, scitu erit non iniucundum, ac planè dignum, quod

curatiùs



curatiùs differatur. Sunt hæ virgines loco in primis nobiles, catholicis ortæ parentibus; atque hoc vno nomine multa ab hæreticis detrimenta æquo animo perpessæ. Ab ineunte ætate virginitatem ac fidem non modò coluerunt, sed habuerunt etiam rebus omnibus cariora. Virginitatem vt illibatam ad extremam vitam conseruarent, perpetuo voto munierunt: ad quod nuncupandum nullo humano consilio inductæ, sed diuino: imò parentibus longè diuersam in sententiam impellere cogitantibus, & iam sponso nobiles pariter, & opulentos obtrudere aggressis fortiter obstiterunt. Fidem vt integram & illæsam retinerent, procul se auerrebant ab hæreticorum consortio, & in Catholicorũ societatem proximè ingerebant; hos adibant carceribus inclusos, iuuabant inopiã oppressos, errantes tuta in hospitia deducebant, vbi sine arbitris immunes à discrimine sacerdotibus Deo operantibus adessent. Harum vna Thomam Antistitem Cantuariensem acerrimum fidei defensorem, sicuti cognatione attingit, ita moribus imitata est: nam sexies traditam in vincula nunquam hæretici magistratus fide mouere potuerunt. Altera sæpius in carcerem detrusa, vna cum fratre alijsq; cognatis, specimen constantiæ præbuit singulare, nullis neque minis deterrita, neque blanditijs auocata à Christiana religione publicè profitenda. Neque verò tertia animum induit degenerem ab vtraque: nam & paternis bonis ob fidem publicatis non succubuit, & matre ob eandem causam in ergastulum inclusa, non indoluit: imò verò gemitu solabatur ægram, adiuuabat inopem, currentem ad certamen fidei acrius incendebat. Extremæ duæ in aula à primis annis enutrite: & vbi summa licentia morum esse solet, ibi summam viuendi continentiam seruauerunt. E quibus altera, vt Christiana of-



ficia obiret, & nulla sui suspicio hæreticis incidere, mundo ornatu muliebri regio exibat è gynæceio, & in Catholicorum ædes tanquam aliud actura penetrabat; vbi splendido cultu corporis ancillarem in habitum comutato rebus diuinis aderat cum incredibili sensu pietatis; quibus tandem absolutis eodem, quo venerat, ornatu vestiũ auro gemmisque fulgentium, se ad aulam referebat, solita Reginæ obsequia præstituta. Præerat his virginibus ad Christianæ pietatis normam imbuendis sacerdos è Societate Pater Michaël Rogerius vir quidem spectatæ doctrinæ pariter & virtutis: qui de illis Olyssiponem transmittendis cogitabat, vt ibi nomen suum darent in diuæ Brigittæ parthenonem, quem de Sion vulgus appellat. Est autem hoc cœnobium, vt leuiter perstringam, vestigium quoddam illius augustissimi, quod in Anglia floruit prope Londinum, sub eadem diuæ Brigittæ tutela constitutum & eodem Sionis cognomento insignitum: quod licet Henricus Anglorum Rex huius nominis octauus fax & incendium patriæ, bustumque religionis demoliretur; efficere tamen non potuit, vt eius memoriam sepeliret, aut sanctitatem aboleret. nam paucis abhinc annis Olyssipone institutum hoc cœnobium, quod illius veteris Londinensis simulacrum esset ac monumentum, vt profugæ ex Anglia virgines in externo solo patrium domicilium inuenirent. Sed hanc virginum profectionem minùs virgere poterat Pater Rogerius ab hæreticis causa fidei traditus in custodiam; inde, vt sperat, ad coronam martyrij propediem efferendus. Igitur diuino, vt pat est credere, consilio factum est, vt nostri qui proximo anno Olyssipone soluerant in Brasiliam, à piratis intercepti in Angliam auherentur, vt suam quoque operam præstarent his virginibus

in

in Lusitaniam profecturis. Nam Pater Ferdinandus Cardinus cum reliquis Socioꝝ captus à prædonibus, Londinumque abductus, virgines alloquitur, literas dat Olisiponem commendatitias, & ad maturandam profectionem adhortatur. quare fugam ornant, collecto viatico, certè quod possint, si non quo indigeant; nauem conscendunt exiguo comitatu, ne maior proderet fugientes, nauiculatori se committunt, licet hæretico, pecunia tamen ad fidem præstandam subornato. Et primum aduersa vsæ tempestate, senos tandem post dies Caletum incolumes euadunt: inde rectà Audomarum, vbi à matrona nobili liberaliter exceptæ, à nostris, qui ibi degunt, non mediocriter adiutæ, acceptoque in reliquum itineris duce probatæ fidei, bonam Franciæ partem prælegerunt. Rhotomagum ingressas hæretici rem subodorati ambiunt ad colloquium, non exorant. Aduectæ Parisios cautiùs se gerunt, ne hæreticis, qui legato ex Anglia ibi adhærebant, proderentur. Aureliæ honorificè excipiuntur, cum à Religiosis, tum à primoribus viris ciuitatis, in debitis honoribus deferendis, nemine cuiquam secundo. Denique quacumque eunt, frementibus hæreticis, à Catholicis perhumaniter tractantur. Sed dum Burdigalam nauigatur, saua cooritur tempestat, nauis compages panè dissolui, nautæ exanimari, omnes de salute sua actum credere, virginibus nullo metu percussis, sed orationi iugiter affixis rogatæ in media procella à sacerdote viæ ductore, qui haberent, Bene, inquit, Pater, Dei munere, & te æquo animo esse oportet. nam ad Sion hac via itur: quò si antequam peruenerimus, occumbamus, id parum cura; viuæ, mortuæ, Sionis membra sumus: hic haustis corporibus, illò animi conuolabunt. Tandem reddita serenitate, Burdigalam deferuntur.



Effusa ciuitas in obsequia, fausta gratulatione excipit veniētes, amplissimis muneribus afficit commemorantes, omnibus officijs prosequitur abeuntes. Inde in alias, atque alias vrbes ingressæ, fide publica, viatico abundanti, pedestri & equestri comitatu liberaliter donatæ: at hæreticis, qui cum illis sermonem inire cupiebant, semper elusis, veniunt in Cantabriam; vnde vix vi auelli possunt, omnibus ad resistendum penè cogentibus. Hinc Burgos iter: vbi celebre illud Christi morientis simulacrum, seu miraculum, vti vocant, veneratæ, Vallisoletum abeunt. tres earum à Nuntio Apostolico sacro Confirmationis oleo inunctæ: omnes à fæmina principe hospitaliter exceptæ, à Regina honorificè compellatæ, reliquum itineris Olisiponē versus feliciter emetiuntur. Urbem ingressuris veniūt obuiam primates, & quæsitissimis honoribus in cœnobium prosequuntur. Magna deinde per eos dies concursatio nobilium virorum ac feminarum, gratulantium lætos ab Anglia exitus, felices in Lusitaniam ingressus. Iam verò lautia per id temporis præstita non vulgaria, sed quæ donantiū liberalitas accipientiumque dignitas exigebat. Prius tamen quam in cœnobium abderentur, religiosæ vitæ rudimenta inituræ, è re visum Nuntio Collectori, vti nostrum templum adirent: quod in eum diem lautius, quàm aliàs excultum, serico peristromate conuestitum, amplissimo omnium ordinum concursu frequentatum. Iamque adsunt carpento vectæ, celebri comitatu, nobilissimis feminis circum obeuntibus, omni vocum neruorumque concentu auribus blandiente: Diuorum reliquias patefactis sacrarijs inspiciunt, adorant, venerantur, omnibus bene fauentibus, pariterque mirantibus tam insignem erga res diuinas pietatem in sterili solo hæreticorum diuinitus enutritam.

tam.



tam. Ad cœnobium regressæ diem statuunt, in quo rebus humanis valere iussis aditum sibi ad religiosam vitam moliantur. Is fuit in hac vrbe celebratissimus Proregis, Dynastarum, Religiosorumque conuentu. concionem habuit vnus è nostris facundè doctus, qui cùm aliàs benevolentissimè audiat, tunc extraordinario plausu audientium fuit acceptus. Deum precamur omnes vt lætis ortis succellus prosperos det.

### *Collegium Olisiponense.*

REquens in hoc Collegium hospitem concursus, hoc anno maior, quo sexageni de nostris in Indiam, vndeni in Brasiliam concessere, erga quos diligenter obita officia charitatis. Parenti nostro Ignatio dicatus dies tanta religione celebratus, vt si iam Diuis additus esset, non maiori studio prosequendus videretur. Princeps industria magistrorum, qui præter cultum & varium carmen, sermonem præterea de sanctissimi viri laudibus compositò meditatam vltro citroque habuerunt; ea pietate, vt lacrymas excuterent audientibus, ea rerum & verborum dignitate, vt multi primorum Patrũ, qui aderant, negarent se quicquam grauius audiuisse. Gymnasium floret auditorum numero, & virtute, multi se in alios, nonnulli in nostrum Ordinem abdiderunt. Omnes tollendis bacchanalibus à magistris educti, in suas quique classes decuriati, præeuntibus qui tibias canerent coronis redimiti; secuti triplici interuallo, qui suaves concentus funderent, vernantibus pariter flosculis coronati. Fructus eo maior, quo ciuitas amplior, & in orgia effusior. quacumque ibant, fiebant alcedonia, & ne in eadem ludicra reuoluerentur, multi se pompæ comites adiungebant. Cæterum

quod lucrum animarum consequatur ex carceribus, nosocomijs ac triremibus inuisendis, mittere, quia vulgare. Aliarum rerum capita, quia maiora sunt quotidianis, omnino recedenda. Quidam ex aliena domo tantum facti infectique argenti compilarat, vt aureis bis millenis æstimaretur. ab hoc vnus è nostris clauem imprimis adulterinam extorsit; deinde cælatum argentum totum expressit, magnaque ex parte impositum; tandem quod reliquum erat, vt à domino remitteretur, exorauit. Alius vno è nostris suasore, sex millia aureorum, quæ debebat, exoluit. Fuit, qui bonam pecuniæ summam mallet amittere, quàm eam iniqua ratione (quæ vnica illi patebat via) à debitore extorquere. Litigium de binis aureorum millibus vnus è nostris optatus arbiter, prorsus diremit. & cum se alter disputatis rationibus quadringentorum aureorum debitorem fateretur; creditor bonam partem remisit, alteram cum solui commodum posset, recepturus. Vnus verò tercetum aureorum debitori inopia presso, nostrorum oratu semissem condonauit. Sex viri ob æs alienum in carcerem detrusi, inde collectitia stipe liberati. Puellæ & egestate & orbitate periclitanti matura ope subuentum. Viro inopi ad extremum, tolerandæ vitæ subsidia abunde præstita. At confitentium numerus. certat cum fructu; vterque magnus. Quidam certus exitij annos quaternosdenos nullum in flagitium nomen non dabat; & quod extremæ fuit dementiae, à confessionis præcepto se credebat immunem. sic enim cum eo visus est antiquus ille veterator ratiocinari, nemini fas esse trudere quempiam in ruinam, præsertim animi, cuius quo status pretiosior, eo lapsus exitialisior: at illius crimina tam esse grauia, vt cuius confessario detecta, subditura essent illecebram peccandi, ac demum innocentem

nocentem confessorum tranſuerſum actura viderentur; ergo præter ius & æquum aperienda fore, etiam cum virgeret neceſſitas moriendi. Sed cauillum quod inimicus fabrè cuderat, vnus è noſtris eluſit, & præcipitem hominem ad interitum, Deo auſpice, ad meliorem vitam reuocauit. Femina, vt alteri nuberet, quem deperibat, viro ſuo ſemel atque iterum toxicum propinauit: ſed & hic è leti faucibus ereptus, diuina ope; & illa à peccandi libidine coërcita, noſtrorum hortatu; nec minus diligens modò eſt in ſalute coniugis fouenda, quàm antè fuerat in interitu machinando furioſa. Plures quindenſis virginibus, clam parentibus ſuis matrimonia agitabant; inde quidem ſibi exitio, maioribus ſuis dedecori futuræ: ſed vno è noſtris duce, cum parentibus rem communicarunt, quorum arbitratu multis ſe periculorum plagis exuerunt. Sacerdos noſter, vt ex vno quid de reliquis putandum ſit, conijciatur, pluribus quam centum hominibus, aures commodauit, ea peccata confitentibus, quæ nulli antea confeffario crediderant. idè multas ſyngraphas conciliatrices incontinentiæ, verſus innumeros illices turpitudinis flammas aboleuit. Homines non pauciores quinquaginta è cœno libidinum, in quo palam ac diu iacuerunt, excitati. Mater, quæ faciendo quæſtui, tres filias prostitueraſt, cum nollet reſpiſcere, vrbe pulſa. Nonnulli qui irrito matrimonio utebantur, vel penitus dirempti, vel legitimè copulati. Verùm & diſſidia quæ videbantur immortalia, tandè emortua. Vir vnus vt ſtomachum diu reconditum in alterum euomeret, falſam calumniam ingerit, latrocinij palam arceſſit. Sanatur a noſtris vnus infamia, alterius conſcientia; dum calumniator impellitur ad probrum recantandum, & veniam exigendam: qua data innocens ne in poſterum pateret ſi-



milibus malevolentia vulneribus, totius vitæ maculis expiatis, vltro sese abdit Religiosi Ordinis in recessum. Principes familiae duæ sic auersæ, vt sicubi occurrerent, in pugnas ruerent; & iam vtrimque in promptu erant æneæ fistulæ ad manum, primo quouis tempore in obuios ex altera factione displodendæ; cum sacerdos noster auctor fuit, & armis abijciendis, & animis in veterem amicitiam reuocandis. Discordantes duo nouis sæpe iniurijs veteres refricabant: alterius præter ostium alter ingressus insolenti conuicio prouocat intus latentem: emicat ille cum globo famulantium, iniuriam vt iniuriâ repellat. facto ad ianuam concursu pugna quidem dirimitur, sed iræ in animo non mitescunt, acrius sine dubio, cum primùm tempus daret, expromendæ: nisi sacerdos noster compressisset, eâ lege, vt qui prior ad pugnam lacessiuerat, prior ad veniam prouocaret. statum pactione, atque alterum pronũ in genua, & veniam obtestantem in frequenti circo, alter beneuolo excipit & alloquio & amplexu. Ab his non longè abest inita inter alios concordia, quorum vnus gladiatorio animo affectabat ad alterum viam, illius vno verbo offensus, quod planè aliouersum, quàm acceptum fuerat spectabat: sed à nostro edoctus incallidũ dictum ab ira deferbuit. Mira quoque vnus erga nostros obseruantia, stricto mucrone ferebatur in hostem non solitarium, neque ipse singularis; cum subitò reuocatus à nostris illac forè prægressis, tanquam voce de cælo hausta, pedem siltit, ensẽ abijcit, ad sacerdotis genua procumbit, pollicitus quidquid iuberet, gnauiter obitutum. Repressa vnus audacia nimio opere cupientis dari sibi cum honesta virgine clandestina synodia, eoq̃ue illius fores cum examine armatorum intempesta nocte obsidentis. Nam illi quibus

negotium

negotium curæ esse debebat, admoniti, & tutandæ virgini, & arcendo hosti diligenter excubarunt. Sed & inter moniales virgines dissensionum scintilla, antequam excitaret incendium, consopita: cum enim duæ à cæteris alienæ de vertendo cœnobio cogitarent, & ad id propinquorum ope vterentur; cœpto destiterunt, in pristinam cum alijs gratiam restitutæ. Factum celebre vnius feminae, quæ primùm exosa adolescentem filio suo iniuriosum, postea salutis suæ consulens, odium ex animo erasit: & nocta tempus dandæ accipiendæque veniæ opportunum, feriam sextam Quadragesimæ, in qua, vt iam dixi, ciuitas effunditur vniuersa ad lustranda ea loca, in quibus videre sibi videtur expressa Christi vestigia ad supremum supplicium exeuntis: id, inquam, temporis congruum rata, abijcit se ad pedes iuuenis eadem loca collustrantis, precata, vt quam illi veniam libens dabat, eandem ab eò, ob illa, quibus insistebat, Christi vestigia, exoraret. Sed videte factum illiberale, ne dicam inhumanum. homo vecordissimus, & feminae, & supplici, & ad Christi merita prouocanti alapam infringit adeò violentam; vt sanguine è naribus expresso manum retraxerit cruentatam. Accurrit sacerdos noster qui propè aderat, & commotam feminam confirmat, vt quæ veterem iniuriam patienter remiserat, remittat patientius & recentem. facit illa ex animo, iubetque, vt omnes criminationis tabulæ, quæ iam erant, illico expungantur. Hæc cum indigenis, cum aduenis non minoræ: quorum paupertati subleuandæ collecti bis centum aurei. At vnus hæreticus ab errorum tenebris laudabiliter emerfit: sexagenarius erat, Scotus genere, opibus copiosus: diuino tamen afflatus instinctu, & patriæ, & familiæ, & opimis facultatibus remisso nuntio, in Lusitaniam contendit:

mox in hoc Collegium, vbi initiamenti fidei probè institutus, meliorem vitam auspiciatus est: & cum religio incesset, Compostellam ad diui Iacobi ædem peregrinandi, collato viatico demissus. Alter quoque huic congener parem exhibuit in euomenda hæresi, haurienda fide pietatem. Iam verò Angli vicini bini, postquam fidei elementa didicerunt, Ecclesiæ restituti, quorum vnus non multò post, necessarijs Sacramentis expiatus, ad superos, vt manifesta indicia fuerunt, euolauit.

### *Collegium Conimbricense.*

**R**ecruduit pestilentia, quæ superiori anno videbatur extincta. Dilapsi bona ex parte auditores: magistri loco & officio nunquam moti. Duo è nostris, qui ægrotantibus adessent, Collegio sepositi, mortuis fuere subsidio, viuis exemplo. Pestilentia comites inopia ægris depulsa, cibarijs ex Collegio in dies singulos viritim distributis. Irruit quoque in domesticos contagium, adedò repentinum, vt non antè prævideretur quàm in Collegio fieret celebris Academiae conuentus, thesibus ex tota Theologia defendendis adfuturus: qui subito diremptus indiçtâ causâ, nouitatem perstrinxit; eâ tamen rescitâ & prudẽtiam nostrorum in tacendo, & charitatem in demittendo commendauit. Nam ex vulgata causâ inanis timor ad omnes peruaderet, ex retento confessu lues fortasse ad nonnullos funderetur: non tamen latè ingruit incendium, fratrem vnum corripuit, pepercit cæteris, vtrumque æquè mirum: nam illum cui nulla consuetudo cum externis, securum crederes: hos, quibus familiaris vsus cum ægroto, diceres infectum iri; sed & ille conualuit, & vrbi sanitas restituta, & actio Theologica in frequentia non minori



noni instaurata. Sacerdos tamē decessit vnus morbo extinctus mitiori, quàm pestis sit, cætera difficili ac laborioso. is fuit Pater Gondizalus Dinius, qui quinquagesimo octauo ætatis anno, trigésimo septimo Societatis expleto, visus planè est virtutis numeros expleuisse; mira vir simplicitate ac pietate ad res diuinas. Cæterorum ad virtutem studia inualescunt. infra omnium animis religio in beatissimum parentem nostrum Ignatium indies adolescit; ex quo eius stola a Patre Nostro Generali huic Collegio dono data cuius præsentem vim sentiunt multi; sacerdos vnus planè expertus, cui letaliter ægrotanti brachium sic intumuit, vt periculum esset, ne refuso ad caput veneno, aut ad cor sensim permeante extingueretur; sed stola brachio obuoluta tumor emoto pure paulatim resedit, vis morbi dolorisque remisit, ac tandem valetudo in priorem statum restituta, non dubio fuit argumento, ab stola remedium defluisse, cui ferendo impares medicorum vires videbantur. quare venerationis augendæ inclusa est in argentum fabrè cælatum, & cum ea pariter inserta illa de obedientia epistola, quam parens Ignatius in hanc prouinciã miserat, & vt in nemosynon caritatis, & adhuc propria illius manu subscriptam hoc Collegium conseruabat. quare non immeritò visa est ab archiuo ad sacrarium referenda. vtrumque parentis nostri monumentum sub eius anniuersariam celebritatem propositum in sacello magnificè exornato festiuissimum declamãdi thema præbuit domesticis Rhetoricæ auditoribus, cæteris verò qui metricam artem callent, argumentum amplissimum poëtandi. Verùm externis data opera non inutilis; multorum indigentia subuentum; occursum odijs. peccandi periculis obuiam itum; moribus insignitè improbis consultum; pridie

Quadra-

Quadragesimæ debacchantium furor coercitus, vicos omnes ciuitatis catechistica pompa obeunte, cum plausu tibiarum, festiuo strepitu cymbalorum, bis millenûm circiter hominum comitatu. Qui nobis dant operam in litteris proficiunt & in moribus: inter eos vnus est regis Æthiopici filius natu maximus & regni hæres. Cuius regnum, (Oerio nomen est) in extrema Æthiopia situm ab Æquatore ad Aquilonem vergit, centum circiter leucas secundum maritimam oram extensum: toridem fermè anni sunt, postquam Christianæ veritatis luce collustratum est, & cum Lusitanis Regibus sociali fœdere coniunctum. Nunc tamen princeps adolescens parentum iussu in Lusitaniam conscendit, vt hîc litteras disceret ac virtutes, quas in patriam referret. Quare à Philippo Rege honorificè exceptus, & in hac vrbe sustentatus, apud nos Grammaticæ incumbit, nihilo ad virtutem minus habilis, quàm si in Europæo solo nutritus esset. Plurimi ex longo tempore, nonnulli ex vltima memoria vitam confessione replicarunt. Vnus vel alter cubitum discessuri, cum in vitam antea actam inquirerent (id enim salubre factu ex nostro concionatore non ita pridem acceperant) inueniunt nescio qua labe sordidatam: negant procrastinandum: illico ad Collegiû aduolant, expiato animo reuertuntur, securius dormituri. Carceres frequenter aditi cum epulo, nostris tunicatis præter omnium ora sportulas deferentibus. Qui flagitiosam vitam capitali supplicio luerunt, ad bene moriendum animati: in his vnus hereticus perfidiæ tam proteruæ, vt viuus in flammas tradendus esset, nisi nostrorum cohortatu resipisceret, mitioris leti pœnâ subiturus. Singulis quarta & sexta ferijs Quadragesimæ nostrum in templum ab vtraque schola concurritur: & ob Christi vapulantis simulacrum acriter



acriter vapulant ad nongentos: vbi multos tantus amor melioris vitæ incessit, vt eodem loci ac temporis contractas noxas apud confessarium detestentur. Catechismus non sine fructu explicatus in ijs locis ciuitatis, quò maior frequentia auditorium incumbit; nostro in templo Dominicis Aduentus ad confertissimum auditorem, non modò plebis, sed maioris Academia; numerofo concen- tu fastidium, si quod incidit, per interualla minuente, ad quem Præsulis iussu totus ex maiori templo musicorum chorus euocatur. Et nequid desit auctoritatis actioni puerilibus ingenijs institutæ, ipse vrbis Antistes, Rector Academia, Princeps Oerius, virique è religiosis familijs quàm plurimi sitientes aures afferunt ad audiendum, animos ad præstandum, quæ audierint paratiores. Parthenia Congregatio crescit indies Sodaliũ numero, & virtutum. Inde multi ad alios, nonnulli ad nostrum Ordinem aggregati; plures, si vota spectentur, cooprandi: omnes quintodecimo, nonnulli octauo quoque die cælesti pane conuiuantur. Quo die triumphus celebratur Christi in cælum ascendentis, indicta supplicatione pomeridiana, frequentes coierunt in sacellum eleganter expolitum, & alterno vocum ac neruorum modulatu ad pietatem excitati horam integram in statarijs precibus collocarunt. Adhæc initium habuit hoc anno non minoris vtilitatis Sodalitium ex vrbis opificibus conflatum: quod in primo satum conati sunt opprimere Misericordiæ Sodales, veriti, ne vna florescente, altera exaresceret Congregatio; sed irritò labore tandem cognouerunt nunquam germanam pietatem pietati inimicam. Nata igitur est noua Sodalitas tam lætis auspicijs, vt sub ipsa primordia ducentos quinquaginta alumnos complectatur, plures habitura, si candidatis omnibus



Omnibus pateret, quorum magnus numerus, fluentibus vbertim lachrymis obtestantium, vti in hanc arcem recipiantur, intra quam sperant dæmonum insultus facile eludendos. Duo inprimis auidi, alter de cuius moribus, alter de cuius natalibus læua suspicatio obsistebat, quo minùs admitterentur. Vterque publica auctoritate conficiunt instrumentum iuratis testibus firmatum, quò se à sinistra fama vitæ & generis eluunt & expurgant, ne aditu Sodalitatis arceantur. Frequens inter eos vsus Sacramentorum, vt sæpe duodeuiginti sacerdotes ab alijs vacui, his satisfacere nequeant confidentibus: quo incredibilis facta est morum instauratio, ludis, iuramentis, inimicitijs in totum abdicatis: & ex patrum moribus familiarum studia ad pietatem reuiuiscunt. Hoc planè mirum, quòd inter tam multos eiusdem conditionis homines, vix inuenias vnùm alteri subiratum, vt in hac solum Cõgregatione, nec figulus figulum oderit, nec faber fabrum. Ex vnico exemplo pronum erit cætera intelligere. Erant omnes eligendo Præsidi intenti: vnùm ferentem suffragium Præsides cessurus eligendo, ponte deturbat. Quo iure? inquit ille. Audit, Quia vnus è Sodalibus fugis alloquium. Fateor, rursus inquit, sed iam consulto confessario, quidquid visum est optimum factu, facio. Denique accepta facultate suffragandi adeò non infensus fuit interpellanti, vt secundùm illum ad repetendum munus ferret sententiã. Sed quantum hic nostrorum labor nobis plebem conciliauit, tantum alius, quem iam narro ciuitatem. Exeunte Maio, piratæ maritimam oram Lusitaniæ vellicantes sub auroram sereno cælo, tranquillo mari in littus emicant: & in oppidum (Buarco nomen est) in ostio Monde situm procul ab hac vrbe septenas leucas tam repentem faciunt impressionem, vt incauti oppidani

ni non antè euigilarint, quàm strepitu exciti fores  
pulsantium: quas cum incogitantes reserabant,  
hostes irruentes admittebant. Breui facta est ingès  
compilatio, neque pretiosis rebus parcente auari-  
tia, neque vilibus barbara diritate: illas ad naues  
exportabant, has in plateis, ue cui vsui forent, pro-  
tereabant. Quæ iactura ferenda esset si à templo vi-  
cinoque cœnobio abstinerent: sed huc etiam eo-  
rum prolata audacia, quorum ex animis abiecta  
religio. Nihil non corradunt ex sacris locis, quod  
vellent; nihil quod nollent, non euertunt. Aras ex-  
uunt, sacraria denudant, auri & argenti crustas è  
pictis tabulis refigunt, Diuorum cœlitum religiosa  
simulacra illotis manibus diripiunt, trahunt, lace-  
rant, consputant; & ne in præsens tantum nocentes  
sint, irreligiosis inscriptionibus profanant. Quin  
etiam haud scio, an aliquid licentiùs sacram in Eu-  
charistiam moliti fuerint: quod cum factu turpif-  
simum sit, mihi planè videtur etiam dictu indeco-  
rum. Res in vrbe nuntiata ad iustas iras omnes  
exciuit; & quæ vna esse debet in rebus nouis con-  
stantia, rapiuntur consilia, non quæruntur. Postero  
die, quàm hæc sunt, vtriusque scholæ auditores  
duce Academico Rectore in aciem educti, eunt  
composito agmine, hostiles iniurias vltum, aut  
maiores impeditum. Comitantur duo è nostris sa-  
cerdotes, curandis affectis, integris animandis,  
omnium confessionibus audiendis. Et quia re im-  
prouisa, periculum erat, ne miles magis libris  
quam armis fuerus, prius fame quàm hoste pre-  
meretur; liberalis è Collegio suppeditatur anno-  
na, vt meritò visus fuerit nostrorum labor, non  
minùs corporibus, quàm animis profuisse. Sed &  
hostis vbi sentit militem auxilio subeuntem, ne  
parta perdat, eadem festinatione, qua venerat, re-  
cedit non incruentus, relictis in littore duobus  
pueris,



pueris, incautè palantibus, qui Episcopo in famulatum cesserunt, libertate filiorum Dei donandi: dedocentur enim hæreses & rapinas, ad fidem & pietatem informantur, erroribus, quos cum lacte nutricis suxerant, solenni ritu abiuratis. Suus hic locus esto rei miraculo non eximendæ; quam eo libentiùs narro, quòd multorum fidem sacram in Eucharistiam excitarit; quam hæretici hoc anno partim violare factis, partim eleuare dictis ausi sunt. Vir vnus sacerdotio nuper initiatus in quodam vrbs templo primum Deo sacrificium offerebat. calicem hausturus, dum trepidantiùs, vt sit ab inexpertis, cum illo ob pectus de more crucem signat; vna vel altera stilla sanguinis ab imo foras exilit, & in primam mappulam Eucharistiæ substerni solitam refunditur, ac fortè ad alteram, quæ subter esse solet loco subtegminis, transmittitur. commouetur interim sacerdos; sed dissimulato casu Sacrum peragit: tunc qui præfuit sacrificanti (erat is illius curiæ præfectus) colligit vtramque mappulam, & reponit in labro infantibus Christiano ritu abluendis, vti postea quantula nota inesset, elueretur. Diuisit itaque post, explicat, inuenit vtramque sanguineis litam guttis; priorem quidem crebrioribus, ac toto albo linteï æquabiliter fufis; posteriorem verò rarioribus, & propter vltimas oras tantùm expressis. Hæret primum animi pendēs; deinde vtrumque linteolum, Eucharisticum abdit in sacrarium; tandem obortis lacrymis ad nos venit, quid agendum in re noua quæsiturus. Sacerdos noster cum illo pariter petit templum, rem expendit, renuntiat dignam esse, quæ ad sacrorum Antistitem referatur. Antistes nostrum in Collegium mappulas censet deportandas: vbi diligenter inspectæ, ac mirabiles planè visæ argentea in capsula asseruantur; interim dum in rem

totam



totam altius inquiratur, & veritas posteritate ipsa valeat. Hæc in vrbe: quæ foris gesta sunt, deinde cursum. Varia oppida obiere duodeni è nostris. Confitèrium numerum nemo facillè putarit. Hinc fiat coniectura, quòd ex vna concione paruo in oppidulo duodeuiginti inducti sint ad totam vitam confessione reluendam. Multi audita concione ad eorum, quos læserant, genua prouoluti, errati veniam exorarunt. Vnus alapa in os cæsus non solum abiecit præcipitem animum ad vindictam; sed etiam in templo multis spectantibus ad verberantis pedes accidit, veniam precatus iniuriæ, quæ prius illum prouocarat. Satores falsorum criminum; segetem, antequam cresceret, eliserunt in semine. Lites in seditiones abituræ, litigantium commodo extinctæ. Multi à libidine reuocati. Nonnulli ab adulterio ad coniugium regressi. Fæmina quæ salubriter monentem audire noluit, dum vixit; pœnas luit moritura: nam voce interclusa antequam confiteretur, supremum expirauit. Multiplex superstitio cum religiosa consuetudine commutata. publica in templo verberatio singulis quadragesimæ hebdomadis instituta. Aurei circiter quadringenti ad veros dominos reuersi. Quidam qui falsis testibus planum fecerat liberum se ab ære alieno, soluendo debito in quo erat ipse se sua sponte damnauit, meliorem vitam orsus à totius antea confessione. Nonnulli in soluendis decimis negligentes, reddiderunt debitas, reddituri in posterum quæ deberent. clerici animarum curatores ad Sacramenta ministranda satis instructi: vni, qui censibus ex Ecclesia simoniacè parta fruebatur, ita consultum, vt neque rem amitteret, neque conscientiam pessundaret. Aliqui spiritualibus commentationibus ad meliorem frugem exculsi, Quodam in oppido de Misericordiæ Sodalitio in-

stituendo cogitabant incolæ, de euertendo de-  
 mones laborabant; sacerdos noster illorum consilia  
 promouit, horum impeditioes difflauit. Alterius  
 Sodalitij administratores à noltris impulsî, vt ni-  
 mios sumptus in profanis ludicris poni solitos ad  
 B. Virginis effigiem, quæ vetustate extrabuerat, no-  
 uis illustrandam coloribus referrent. At sacellum  
 Deiparæ Lapensis, ita vocant, in Lamacensi diœ-  
 cesi situm, & ad hoc Collegium spectans augescē-  
 te peregrinantium pietate, magis in dies frequen-  
 tatur; vbi nouendialia sacra suscipiuntur à multis,  
 à pluribus votorum reis dicantur anathemata; ab  
 omnibus accepta, Virginis datu, beneficia decan-  
 tantur. Eminent vnus pietas, qui cæcus cum esset  
 in Algarbiorum regno, videre sibi visus est in som-  
 nis B. Virginem adhortantem, vt concederet in  
 hanc domum; at negligentiùs id habenti, seu diffi-  
 cultate itineris, seu vanitate insomnij, eadem ite-  
 rum species se obiecit, aurem vulsit & admonuit  
 peregrinationis in hanc ædem suscipiendæ. Igitur  
 parendum ratus quaternis lecythis accingitur  
 Virginis lampadi instillandis; & hyeme adulta cen-  
 tum triginta leucarum facturum iter, proficiscitur.  
 In primo Conimbricæ ingressu, vbi se conuallis  
 dat, cui nomen Inferno est, à profunda voragine  
 in quam dehiscit; fortè vnus è lecythis, rupta zona,  
 cui hærebat, per asperum ac decliue dorsum labi-  
 tur in subiacentem petram prorsus illæsus. quod  
 nemo viantium miraculo non adscripsit. Ad Dei-  
 paræ vbi venit, nouēdio peracto, linit oculos hau-  
 sto oleo è lucerna Virgini prælucente: quibus illic  
 noua lux suborta, licet primùm obscurior homi-  
 nes tanquam arbores præsentabat. Agit gratias  
 B. Virgini quas debet, de mendicatu suo stipem  
 erogat quaternis sacris faciendis, tendit in patriam  
 postero anno rediturus, vt beneficium conferri  
 cœptum,

*image  
not  
available*



ri luculentam plagam reposuerit; & nisi multorum interposito diuellerentur, alterius vterque gladio confossi occubuerint. Huc se nostri tirunculi pacificatum ingerunt, negotium ætate maius, maius viribus aggressi: & multi licet auerterent ab ausu, vti vocabant, temerario, & in irritum planè abituro; tamen cœpta prosequuntur diuina ope, quàm humana fidentiores: vt quæ res felicius verteret, priùs Deo tantisper vacant; inde hauisturi vires, quas ætas negabat, negotij tamen difficultas exigebat. Deinde singulos adeunt discordantium, ludibrio semper excepti, sibilo explosi, inorata concordia repulsi. Nihil tamen secius insistant, nunc fusi in preces, nunc in genua prouoluti; donec paulatim placari se sinunt animi implacabiles, eoque adducti, vt palàm mutuos ruerent in amplexus, testati præteritas iniurias perpetua obliuione in posterum abolendas. Aliorum feruor Lamacensem in urbem aduentantium spectaculo fuit oppidanis: nam primùm urbem ingressi, rectà abeunt ad publicum nosocomium, vbi expurgandis ædibus, componendis toris, fouendis ægrotis diligentem operam præstitere. Deinde cibariorum sportulas ab Episcopo impetratas suis ipsi humeris ad publicam custodiam deportarunt, singulos mortalium, qui ibi detinebantur, & cibo refocillantes, & consilio ad pietatem instruentes. Alij quoddam in oppidum delati, incuria, an infrequentia incolarum, nullo Eucharistiæ præsidio communitum, vnde necesse erat, vt multi passim obirent cælestis viatici expertes; eam mentem iniiciunt oppidanis, vt illico sumptus offerant Eucharistiæ Sodalitio in eundo, Pontificioque diplomate confirmando.

*Collegium Eborense.*

**A**ccesserunt ad Societatem sex & viginti, quatuor ad superiores exceſſerunt. Vnus domesticis officijs laudabiliter exercitus: alter è nouitiorum numero, qui cùm in lecto decumberet, Societatis vora emiſit, antequam animam, alacrior, vt sperabat, è religioſa vita initurus ſempiternam. Tertius Pater Petrus Ludouicus, Academiae Eborèſis Doctor emeritus, Societatis profeſſor obſeruantiffimus, qui totam ferè ætatem collocauit, adoleſcens in literis humanioribus tradendis, vir in duplici Philoſophiæ curriculo obeundo, ſenex in ſtudijs Theologiæ vltra viginti annos inculcandis: doctrinæ cultor ac modeſtiæ ſingularis non minora nobis reliquit ſuarum virtutum, quàm lucubratorum monumenta. Vltimus Pater Ioannes Rabello poſt ætatis annum ſexageſimum, Societatis quadrageſimum quartum, iam inde ab ingreſſu Religionis ſui deſpiciens, & popularis gloriæ proſtigiator, vt vel hoc vnicò argumento palàm erit. nam daturus nomen in Societatem, cubicularem lectulum in Collegium deferri iubet, ratus, id omnibus ſolemne eſſe, qui in Societatem cooptantur. increpitus tamen à Rectore, iuſſuſque vt ſuis ipſe humeris referret, antequam admitteretur; paret ingenuus adoleſcens, & in morem baiuli ceruice ſubitonus, ac frequentibus vijs domum reportat: alijs ſpectaculo exiſtens, pluribus ludibrio, nonnullis ad rerum humanarum deſpicientiam incitamento. Dum vixit, flagellatione in ſingulos dies uſus eſt, interdum non incruenta: adeò vt illi clàm eripienda forent flagella, aculeatis conſerta hamulis, quibus ſe acriùs, quàm ferendo erat, vlceraſſet. Animorum ſaluti ita deditus, vt ab informandis



viuis, & à mortuis expiandis nunquam vacaret. Testes sunt innumera Sodalitates, quas in ple-  
 risque oppidis prouinciæ Transtaganæ ad viuo-  
 rum præsidia, & suffragia mortuorum excitauit;  
 quæ ita gratæ extiterunt parenti & altori suo, vt  
 illi mortuo plusquam in quindecim locis solembi  
 ritu parentarint. Moriturus constantiæ exemplo  
 fuit. nam cum illi crus fœdè extumescens per-  
 stringendum esset ære candenti, cæsimque & pun-  
 ctim lancinandum, ne herpetis vitium exedentis  
 in reliquum corpus proferperet; dari sibi postula-  
 uit in manus Christi morientis simulacrum, ab il-  
 lius amplexu doloris solatia petiturus: cui affixus  
 & inhærens feni flammæque cruciamenta forti-  
 ter tolerauit. Cæterum ex opera cum externis fru-  
 ctus constitit. Discipuli non minus virtutibus stu-  
 dent, quam literis. Præeunt exemplo Parthenij So-  
 dales. Collegium conuictorum, cuius nobis in-  
 cumbit cura, diligenter fungitur munij pietatis.  
 Factus ad religiosos Ordines non exiguus iuuenū  
 accessus, ad conciones præsertim Quadragesimæ  
 totius ciuitatis incredibilis concursus. Ad Sacra-  
 menta ritè suscipiēda aliorum pulsa ignauia; alio-  
 rum alacritas in maius excitata. Magnus numerus  
 diuerberantium se nostro in templo singulis maio-  
 ris ieiunij sextis ferijs: sæpe ad plures septingentis  
 numerati. Capita doctrinæ Christianæ toto anno  
 vtiliter explicata: sed vltimo die ante quadragen-  
 arium ieiunium ad frænandos bacchanalium con-  
 citores vtilissimè reposita in ijs locis, in quibus  
 maior esse solet tumultuantium procacitas. nam  
 duplex pompa tota vrbe circumlata, suas quæque  
 in partes diuersa: in qua sacerdotes nostri signife-  
 ri, Fratres cum tintinnabulis antambulones gra-  
 tum ciuibus spectaculum præbuere. Qui publica  
 custodia detinentur, sapius epulo refecti. Fami-



næ, quæ in lustris impudentiæ diu vixerant, ad  
 cœtum earum, quas Conuersas vocât, aggregatæ.  
 Virgini præ inopia illocabili centum aureis con-  
 sultum. Aliis ad incitas redactis vestis lauta, & qua-  
 drageni aurei collecti. Excursum Quadragesima in  
 conterminos, neque parum fructus ex labore re-  
 portatum. Tria præsertim oppida nostris ibi com-  
 morantibus ad probitatem instituta. Hæc omni-  
 bus communia. Confessiones ex tota vita nõ pau-  
 cæ, plures ex longo tempore, ex propioribus inter-  
 uallis propè innumeræ. Nata in Collegijs diuer-  
 berantium se consuetudo, his etiam in oppidis  
 plantata fruticatur. Nam imprimis à finitimis locis  
 pariter ac distantibus coitur, præit concio, in qua  
 Seruatoris nostri memoria cruciatum aliquem  
 subeuntis refricatur: sequitur chorus lugubriter  
 modulantium: totum deinde fanum verberum  
 crepitu resultat. Sed & multi grauium difficultatû  
 ambage implicati, nostros vbi consulunt, cõscien-  
 tiæ errore liberantur. fenebres pecuniæ veris do-  
 minis redhibitæ: pueri suopte ingenio rudiculi,  
 meditaementis fidei instructi: à lasciuis cantilenis  
 deterriti, honestiores edocti: iurandi consuetudi-  
 nę depulsi; natu maximos, si quos iurare vident,  
 modestè increpant: ab illis quando colapho excep-  
 pti, contumelia abstinent, obiurgatione non desi-  
 stût. Nunc pauca singularim. Quoddam oppidum  
 veluti ciuili bello diductum erat, contentione de  
 magistratu eligendo orta inter viros principes;  
 quos vulgus secutum in partes abierat, nullo si-  
 ne, vt videbatur, tranquillandas. sacerdos noster  
 adit factionum duces, sectatores alloquitur, om-  
 nes ita expugnat, vt palàm in templo perpetuam  
 in amicitiam conspirarent: mutuo complexu con-  
 cordiæ indice inhærentes. Vir loco nobilis homi-  
 nem iniurijs prosciderat, insuper falsi homicidij

apud iudices postulauerat; sed à nostris monitus, & iniuriarum veniam petiit, & ficti criminis cecinit palinodiam. Virgo nobilis cum à patre duriusculè obiurgaretur, domo pedè extulit, nunquam, vt erat animus, reuocatura; persuasum tamen filix, vt ad parentem remigraret; parenti ne filiam, quod statuerat, ab aditu arceret. Sed vt multa eiusdem generis conferantur in pauca, vnus conuiciis, alter fustibus, duo luculentis plagis malè acceptis; à nostris exorati, vt cum iis, qui offensionis fuerant, redirent in gratiam, & ultione desisterent, quam iure & iniuria machinabantur. Quidam, cui ab alio manus fuerat duobus digitis detruncata, dum sanesceret, odiū in animo cōcoquebat, vt postea auctum expromeret in vindictam; huic sacerdos noster auctor fuit exuēdi iratum animum, ac dexteras cum inimico renouandi. Fæminæ, quæ mariti sui interfectorem violenta luctu, & nescia tolerandi exigebat ad supplicium, persuasum, vt remitteret; sed viduitatem obtendenti & egestatem, collectitia pecunia, quanta satis visa est, consultum. Multi à sceleribus extruendis reuocati. vnus venenum in cyatho diluerat, quo sibi confanguineum tollere decreuerat; sed à propinādo deterritus, vitam animi sibi lucratus est; alteri vitam corporis non ademit. Fæmina de salute sua desperans in præceps vitiorum ferebatur, necabat infantulos, in pluraque id genus maleficia conspirabat. scilicet contemptu salutis, virtutes contemnuntur. Sed vbi ex nostrorum verbis meliorem animo spem hausit, ad frugem quoque rediit meliorem, & antea actam vitam innumeris obsitam flagitiis confessione detexit. Inter coniuges diu dissidētes sublata diuortia. inter famulos ancillasque nobilium virorum licentiū communicantes, dirempta contubernia. Quidam ære grauis alieno, vt suis nominibus satisfaceret,



tisfaceret, fecit bonorum suorum auctione. Quodam in oppido, cum à nostro sacerdote, tum à primariis hominibus, ipsoque oppidi summate cibaria ostiatim emendicata, postero die ad carcerem deferenda: vbi omnibus qui in vinculis erant cælesti prius conuiuio resectis, cœna deinde recta liberaliter administrata est. Alio in oppido institutum erat Sodalitium ad Christi memoriam patientis quotannis renouandam: quod aliquantulum collabi cœptum, visum est hoc anno nostrorum industria reuixisse. nam & plures centum quinquaginta aureis ad Sodalitatis cultum erogati, & supplicatio indicta, in qua Sodales chlamydati nudis pedibus ad tercentum, toto oppido mira cum specie pietatis circumfuso: vt merito singuli testarentur, tantæ religionis spectaculum nunquam sibi eatenus obiectum.

### *Collegium Portuense.*

Patientiæ seges Collegio nata est, ciuitate in nos haud leuiter commota. prima semina, ex quibus pullulauit, præbuit schola Theologiæ de moribus tradendæ, à nostris denuo instituta: cui ciues nimium quantum restitere, veriti, ne infusa in vrbem peregrinitas auditorum flagellaret annonam, & rem tam publicam quam priuatam pessum premeret. & quamuis nostri totius incommodi cautores se præstiterint: adduci tamen nunquam potuerunt, vt acquiescerent, etiam ad vim inferendam hortati plebem tumultuantem, vt iam non ratione agi, sed peruicacia videretur. Quare ne gratiam, quam nobis remittebant, malè locando perderemus, cœpto desistendum fuit, nisi prius ipsi saniora respexerint, nobisque ad orsa prosequenda accesserint impulsores. Prouehitur igitur inchoatus



labor, omnibus bene fauentibus, gymnasium indies augetur, & numero auditorum & dignitate, Vnde iam fructus carpti, & maiores carptum iri speramus: nam si vix natum germinat, adultum iam ac vegetum minimè sterilefcet: sed quibus in hoc negotio vsi fuimus aduersariis, iisdem nobis vsi fuerunt in suo negotio adiutoribus, ne illis par reponere videremur. Horum de numero triumviri imprimis vrbanus (sic appello tres illos magistratus, qui vrbanæ curiæ præesse solent) cum a Rege compingi in carcerem iuberentur, nostrum se ad patrocinium receperunt: quod cum inuenirent paratissimum omnia in obsequia caritatis, & se parum officiosos nobis fuisse arguebant, & nos oppido quàm studiosos sui esse dilaudabant. Sic alterius ciuis gratiam demeruimus, qui à nostris rebus cum esset animo alieno, postea benevolentissimo esse cœpit, vbi nouit quantum nostrorum laborarit industria, vt se è custodia, qua tenebatur, eximerent. Ad nouum gymnasium, nouum accessit Sodalitium Parthenium. Sodales ex primo florenobilitatis collecti, vrbis gubernator, Comites duo, Taroquensis, & Penaguiensis, senatores Regii plerique, ex Canonicorum cœtu qui præcipuis muneribus funguntur. Coeunt omnes singulis mensibus in sacellum, confessione imprimis lautum peccata sua, deinde cælesti pane conuiatum, ac reliqua Sodalitatis officia persolutum. vt quisque dignitate princeps est, ita facilitate par infirmis, vt natu maior, ita promptior Virginis famulatu. Sunt, qui ne statò ad conueniendum die desidererentur, ex villis ab vrbe sepositis quindena & vicena milliaria proficiscantur. Sed in aliis quoque labor extitit fructuosus. Inter tribunum militarem, & magistratum vrbanum de ditione contentio; inter viros nobiles de re pecuniaria litigium;

gium; inter parentes, & eorum filii occiforem depunienda nece diuturna criminatio; inter alios de rebus aliis periculofa diffidia, noſtroium placata monito, decifa arbitrio Nonnulli damnati exilio, antequam cederent, apud nos confessione eluti, & ſibi & rebus ſuis conſulerunt: quorum vnus fæminam, cui diu aſſuerat, duxit vxorem, & ſecum pariter in exilium abduxit. Quidam natione Anglus, deteſtandæ hæreſis & amplectendæ fidei cauſa recessit à patria, & appulit in hanc urbem, illius ſemper in tergo hærente hoſte humani generis, & ad perfidiam reuocante, ad eò importuno, vt non modò in animum irreperet latentibus dolis, ſed etiam larualibus formis ſe truderet in aſpectum. Quem ille vtrovis pugne genere concurrentem planè effugit, imò fugauit, dum ad nos venit confessionis beneficio contra vim & fraudem dæmonis roborandus. Caterum catechiſmo probè inſtituitur iuuentus: confessionum ope multiplex collabentium morum inſtauratio: frequentes in carceres & noſodochia itiones agris ſolatio eſſe ſolent, pauperculis remedio, morituris ſubſidio, omnibus ad honeſtiorẽ vitam incitamento. Qui ſcrupulis aliſque difficultatibus implicantur, ad nos ventitant e longinquo, abeuntque, vt rentur, noſtris conſiliis expediti. In his urbanæ curiæ præfecti, cum in re graui alia aliſ ſentirent, Collegii Rectorem optarunt arbitrum, definitorem au-dierunt.

### *Collegium Bracharenſe.*

¶ Lorei gymnaſium, & auiditati literaturæ exæquat ſtadium pietatis. Ad vtrumque munus Illuſtriſſimo Archipræſule vtitur macenate, qui Collegium cum frequentet, ſcholas aliquando luſtrauit.



strauit, & magistrorum doctrinam, & disciplinam auditorum admiratus. Sed Calendis Ianuarijs nobiscum conuixit, minùs delectatus epularum lautitia, quàm modestia conuiuorum, & concione octilingui habitâ dum prandetur. Verùm vterum ad discipulos, ad Religionem nituntur multi, ad probitatem omnes. Ex illis aptiores admissi cum in alios Ordines, tum in nostrum: ex his frequens ad Sacramenta concursus. Classes aliquot suapte sponte, an magistrorum ductu, eò conspirarunt, vt singulis mensibus omnes simul ad communicandum coirent: aliis futuræ exemplo, vt idem facerent; sibi inuicem, ne deficerent, hortamento. Catechismus traditus vberi fructu, sed quo die bacchationes feruēt, vberimo. Urbem perambulauit compositum agmen ex discipulis in classes tributis, cum insignibus de more prælatis, & alios quidem à conuiuijs auerit, pompæ sese aggregantes; alios à ludis abstraxit, vltro aleas offerentes, igni tradendas: omnes ad fenestras elicuit, spectaculo lætos, fructu recipiendo lætiores. Accessit, quòd multi eo die aded se non abdidit in popinas, vt potius cubitum se contulerint incænati: vt meritò spes fuerit, eos in ieiunio fore sobrios, qui ita sibi in comestationum licentia temperarint. Aliàs quoque tam paruis, quàm grandibus natu, qui catechesi diligentius vacant, præmia diuiduntur, sedulitatis illicia: quorum mirus vsus, non solùm ad salutem animi, sed & corporis. Puer, tumori, qui fauces obsederat tam strictim, vt ne spiritum quidem de cælo haurire posset; applicata effigie agni cælestis, respirare liberius cœpit. Alterum è sublimi ruentem eiusdem agni thecula, è collo appensa, in imo collocauit illæsum. Ob hæc maior alacritas contendentium de his piacularibus donis: nam die sacro vndenis Virginum millibus, quæsi-

tum



tum à catechista, quibus quisque votis erga sanctissimas Virgines vteretur, laturus præmium, qui maiora pandisset. alijs alia promentibus, vnus iam erat ex omnibus victor renunciandus; cùm matrona assurgit loco in primis nobilis, annis maior septuaginta, illius veteris Annæ, quæ dies noctesque in templo excubabat, sicut cognominis, ita æmula sanctitatis, quæ tot votorum ream se esse dicit in Virginum gratiam, tot preces singulis diebus, seu propè horis funditare, vt omnium punctis & maior exemplo, & dignior præmio videretur. Concionibus fructus respondet. Indicta denuo supplicatio, imago illius in qua Seruator hominum ad moriendum elatus. ad nostrum templum, vnde exeundum erat, ciuitas se tota effudit, & concionem à nostro habitam secutæ lachrymæ auditorum. Ille quoque ritus publicæ in templo verberationis ab alijs Collegiis ad hoc transmissus, mirum quantam ad pietatem exciuerit oppidanos: alios nudis plantis templum ingressos, alios præ foribus templi stratos humi subeuntium pedibus atterendos, plerosque inter verberum sonores, ac desilentium gemitus, vt frugi fierent, animatos. Hinc ad confessiones incredibilis concursus, vt cùm assiduitate confessorum certare videretur pietas confitentium. Et vt interim nihil de alijs, vnus tantum confessarius quinos circiter intra dies plusquam ducentis quadraginta confitentibus vacauit. Secuta morum emendatio. Aurei tercentum restituti: dotes virginibus confectæ: nonnulli è vinculis abire iussi: odia inter consanguineos, quo rariora, eo acriora extirpata: quatuor ab ipsa gladiatura, in qua iam fuso cruore imbuti erant, ad templum retracti, & multis spectantibus non solum in gratiam reuerterunt, sed etiam animos antea vitæ confessione expiarunt. Varia quoque

quoque oppida concionibus exulta, præsertim Quadragesima. In vno par Sociorū commoratum & peccata euulsi, & virtutes inseruit, & ad beneuolentiam erga Societatem omnium animos sic erexit, vt de Collegio extruendo cogitent, & quid quid ad id sumptus necessarium sit, polliceantur. Cæterum res domestica non parum aucta externis præfidiis: bibliotheca quidem librorum numero, qui pluris sint quàm aureis trecētis; sacrum instrumentum iis donis, quæ aureis quingenis denis æstimantur.

### *Collegium Brigantinum.*

Ciues erga nos beneuoli, inter se dissidētes. Curatum, vt beneuolentia auferret, & dissidia tollerentur. Inter principes viros discordia incidit, quam non modicè aluerunt, nescio quæ epigraphæ probrorum plenæ, incertum quo auctore, in publicum elata. Res eò venerat, vt iurarent prius vitam, quàm vltionem amissuros. Ergo ad arma vtrique ruitur; nec ab illis antè disceditur, quàm vni ex primarijs lethale vulnus imponatur. Leuia hæc essent mala, si extrema; sed maiora timebantur, recrudescentibus animis, & vires ad capitalia recolligentibus; nisi tandem felici nostrorum conatu placarentur. Felicius quoque laboratum cum alijs, iras nutrientibus nihilo mitiores, quas non modò vetera iurgia, sed recentes quoque ad arma congressus exasperant: ducti scilicet in Collegiū, & venia vtro citroque data & accepta fœderati, totum de re pecuniaria litigium ad arbitros retulerunt. Verum discipuli magistris, seu literas doceant, seu virtutes, perinde obsequuntur: Sacramentis obeundis crebri sunt: ludis perniciosis ad eò inimici, vt & aleones prodant puniēdos, & quas aleas  
vsquam



vsquam reperiunt, gymnasiarcho offerant vstulandas. Iam verò puritatis tam acres amatores, vt si quem deprehendant lutescentem, antequam malum gliscat, curent ab aliorum consortio exigendum, & tanquam pestem iuuentutis deuitandum. Bacchicis tumultibus coërcendis inuēta ratio pariter utilis & iucunda. Tria in tribus vrbis locis frequentioribus fixa tabernacula: in quæ agmen catechisticum ex magistris, discipulis & primoribus viris ciuitatis, effulsi quæ multitudinem conflatum incurreret, dum vrbe vagaretur. In singulis choragio scenico instructis paulum sistebatur, dum in vulgus daretur tantulum drama, ad licentiam frangendam, & pietatem excitandam arte factum: primo quidem in theatro à pueris elementarijs; in altero ab Humanitatis professoribus; in tertio à Rhetorices candidatis; in omnibus tantum leporis visum est inesse, vt quilibet spectantium inimicos sales fastidiret, Corybanticos furores auersaretur, hisce tantum dialogis audiēdis inhiaret. In Parthenijs Sodalibus enitet pietas: cuius singulare specimen cum aliàs sæpe, tum præsertim eo die, quo illorum vnus decessit, præbuerunt. nam quidquid Sodalium in vrbe erat, adcurandum funus conuocatum, & quaternis in morem vespillonum feretrum subeuntibus, reliqui bini anteibāt longo agmine, multis facibus, composito incessu: vt meritò spectandi gratia vulgus effunderetur, multos quæ oppidanorum incesseret cupiditas se Sodalitati aggregandi, tam religiosæ funerum curatrici. **Q**uadragesima excurritur in vicina loca. fuit in vno oppido, qui ceteris persuasum vellet, ne concionator nostro è Collegio peteretur; sed cum ab eo seorsum omnes sentirent, noster accersitus, tantum operæ collocavit in oppido ad pietatem excolendo, vt ille met, qui obstiterat, bis apud eum

confellus



confessus palàm testaretur, non aliunde quàm è  
 Societate concionatores in posterum euocandos,  
 seque in ea re dum superesset, non modò curam,  
 sed etiam rem totam libenter positurum. Aliud  
 oppidum nostri multis scelerum maculis elima-  
 runt. Quidam prohibitus sacrilego ad virginem  
 accessu. alter, qui in sacerdotem superbis dictis in-  
 currerat, ne incurreret fustibus, reuocatus. vnus  
 iuri suo renuntiavit, quo alterum facinoris com-  
 pertum ad supplicium exigebat. sed & qui sclopum  
 ad alterius cædem instruxerat, audita concione in-  
 sanientem animum abiecit. Denique inter quinde-  
 nos viros, quos neque propinquitatis iura, neque  
 veteris amicitia leges, neque multorum hortatus  
 ad pacem trahere potuerunt, nostrorum interpo-  
 situ placata discordia. Multi in hoc oppido, quod  
 duobus regnis finitimum est, hinc inde veritas  
 merces, quando aliter non possent, periurijs tran-  
 mittebant; rati (tantum valuit inueterata consue-  
 tudo) periurium lucro posthabendum: ab ea igno-  
 ratione depulsi, & à iuramentis fraudeq; deterriti,  
 resipuerunt. Alia quoque cõsuetudo sensim irrepēs  
 in prauum obduruerat, vt pastores, quorum ma-  
 gnus numerus in hoc oppido, festis diebus greges  
 soluerent, & in pascuos agros deducerent sacro  
 inaudito: ea tamen vt sine vlla rei pecuaria iactu-  
 ra tolleretur, consultum est. Sed ne ipsi pastores,  
 qui in syluis dies solidos vagantur, errent à Chri-  
 stianæ fidei rudimentis, postquam pecus ad caulas  
 cogunt, singulis diebus dubia iam luce ad cate-  
 chismum audiendum conuocantur. Ferijs tamen  
 sextis cum nox appetit, dato signo ædes deserun-  
 tur, ad templum omnes, pars scuticis, nonnulli lo-  
 ris, alii flagellis armatis vbi concione de Seruatoris  
 cruciatibus primùm exstimulati in se tandem acriter  
 verberare inuehuntur. Inde quidam egressi ante-  
 quam

quam domum abeant, sacerdotis se ad pedes abijciunt, vbi confessione rite facta maculas ab animo exigunt peccatorum.

### *Sedes Villaniçosa.*

Villaniçosa oppidum est Transtaganum vberi solo, salubri cælo, Ducum Brigantiæ peranti-quum domicilium, vbi hodieque moratur excel-lentissimus Theodosius alter huius nominis Dux; qui patriæ & auitæ benevolentię erga Societatem heres, diu est, ex quo composuit ad Patrem No-strum Generalem codicillos, vti sibi liceret suo in oppido colere & fouere Societatem, nunc demum impetrauit. Igitur quaterni missi Professæ domus fundamenta posituri, à Duce liberaliter excepti; ab oppidanis incredibili plausu, bonisque precatio-nibus; à tribus Religiosorum hominum cœnobijs (plura in oppido non sunt) tanta significatione charitatis, vt de nostrorum aduentu palàm gratu-larentur concioni, vberes ex eo fructus perceptum iri augurati. Itaque recipimur in ædes nobiles, à Duce coëmptas, domestica supellectile instructas, adhærente hortulo laxiores. Fanum item tempo-rarium præparatum, sacro instrumento, quantum satis est, excultum: cui sacrandò inaugurandoque Serenissima Catharina Ducis mater, Dux ipse, fra-tresque germani adfuerunt: res diuina pontificio ritu celebrata; concio habita ab vno è nostris, qua-lem res & auditor exigebat. Verùm ad nostrum victum, cæteraque præsidia viuendi sumptus qui-bus opus est, à Duce interim collocantur; certam in singulos annos stipem collaturo, que simul cum subsidijs vicariorum, viginti minimum è nostris sustentandis par esse videatur. Sed paupertatis ex-cercendæ gratia, & instituti Professæ domus obser- uandi,

uandi, quothebdomadis à nostris eleëmofyna ostiatim emendicatur. Etiam multorum fauor & benignitas in nos patescit, sacram ac domesticam supellectilem, quibus possunt muneribus auctantium. Singularis vnus feminae liberalitas, quæ huic domui satis diuitem supellectilem legauit: quam terni quaterniue alij primores viri se imitatuos pollicentur. Sub hæc primordia, in moribus oppidanorum probè formandis impendio magis laboratum, nec sine fructu operis in vicina oppida excursum.

## PROVINCIA TOLETANA.



OMPLEXA est Toletana prouincia in septemdecim domicilijs, Socios 519. In Professa domo 47. In Collegio Madritano 54. In Cõplutensi 93. In Murciano 63. In Domino probationis Villaregiensi 54. In Placentino Collegio 29. In Oropesano 39. In Ocaniensi 15. In Talabricensi 12. In Toletano 6. In Huetensi 30. In Conchensi 10. In Belmontensi 17. In Securitano 14. In Caruacensi 23. In Almagrensi residentia morantur 8. In domo Probationis Madritensi 4. præter Prouincialem, & eius socium. Tredecim obiere, in eorum locû suffecti sunt 23.

### *Domus Professa Toletana.*

IN hac domo frequentia ciuium ad expianda peccata, & ad concionatorem nostrum audendum, & ad quæcunque alia ministeria, maxima, iuxta maximam eorum omnium erga nostram Societatem beneuolentiam, præsertim Magistratum,



tuum, & Illustrissimi Cardinalis Toletani Archiepiscopi, qui tum visitationibus, tum opera sua ac subsidio, & nostros afflictos consolatur, & laborantes in vinea Domini iuuat. Multi inter alios, qui inhonesto amore concubinis adhærebant à multis annis, & cum proximorum scandalo, ad meliorem frugem per nostros reducti, in frequenti confessione, ac Sacramenti susceptione perseuerant. Iniuste ablata restituta dominis, ab vno duo millia ducatorum nostrorum operâ soluta. Trium Congregationum operâ ac studio multi & in literis & in virtute proficiunt. multis quoque necessaria tribuuntur. Omnes ferè ex Academia Doctores, Magistri, cæteri que eruditi viri, decimoquinto quoque die domi nostræ congregantur, conferuntque inter sese, vel de quæstione aliqua proposita, ad conscientiam pertinente, vel de loco aliquo difficili Scripturæ. Altera Congregatio 50. habet. honoratiores ciues cum nonnullis sacerdotibus hi in curandis infirmis sese exercent, præsertim qui se detegere præ pudore renuunt: ad mille hoc anno curati sunt. Noctu quoque vniuersam discurrunt per ciuitatem, vt si quos inuenerint in periculo constitutos, vel frigoris causa, vel alia quauis, in domum ad id paratam deducant; sicque multis prouisum est, qui sanè periissent. Tertia Congregatio 6. tamen continet, qui satis sunt ad sustentandos 300. pauperes in carcere detentos. Tres missiones factæ multo cum fructu. Duo missi sunt in urbem Tuxillum, vbi, cum Societas ignota esset, ministeriis nostrorum adeò reformati sunt mores, & in Societatem nostram omnium amor inflammatus, vt Collegiū fundare statuerint. Duo alii vocati ad duo oppida, seditionibus ac litibus multis implicata, & odiis capitalibus; sed paucis diebus Dei gratia tranquilliora reddita omnia,

lites compositæ, odia remissa, & pax cum omnium admiratione reddita. Alius finitima oppida peragrans, & multis coactis hinc inde eleëmolyntis, multis oppidanis summè indigentibus prouidit necessaria, simulque & eos, & diuites quamplurimos Deo lucratus est.

### *Complutense Collegium.*

**E**Duplici exercitiorum genere huic Collegio peculiari, vnum est litterarum nostræ Societati consuetarum, Philosophiæ, & Theologiæ: in quibus studiis adeò elucet nostrorum diligentia & doctrina, vt aliàs dictum est, vt secundum & Scholasticorum, & Doctorum Academiæ opinionem de ipsis conceptam, nullus sit, qui vel nostris non adsit exercitationibus, nullus qui nostros non adeat, in doctrina præficiendi gratia. Auxit opinionem, quòd viderint copiosam emblematum, epigrammatum, aliorumque pœseos generum, in omni lingua, varietatem, summaque industria exornatum altare, nostris proximû ædibus, quod nos curauimus erigi & adornari in gratiã Patrum Prædicatorum ordinis sancti Dominici, cum S. Raymundum in Sanctorum canonein ab Ecclesia relatum per vias publicas solemni pompa circumducerent: quod adeò præstitit aliis, tum in sacro ornatu, tû in litterario, vt in omni genere litterarum nostris primas deberi, affirmaret omnes. Sed ne summo ac communi applausu nostri fortasse extollerentur, non multò post huiusmodi tentamento probati sunt. Nam Censores fidei, qui Toleti suo inquirendi de rebus fidei munere funguntur, è nostris quatuor ad se accersiri iubent ac comprehendendi, Patrem Rectorem, quem in Professâ domo nostra detrusum reliquerunt, & duos  
Theologiæ

Theologiæ Magistros cū discipulo Thesium quarundam propugnatore; quos in carcerem, liberior tamen coniecerunt. Tumultus varius exortus vbiq̄ue. scinditur incertum studia in contraria vulgus, etiam doctorum hominum; sed paulò post cognita causa, cum tres quoque Academię Doctores, qui Theologiæ cathedras regebant, quorum vnus erat Decanus Theologiæ facultatis, comprehendi iuberentur; libertas dicendi compressa est. Nihilominus non potuit non nostrorum animos eiusmodi malum excruciare: quamuis Deo fidei se ipsos consolabantur, considerātes iudicum fidei rectitudinem & iustitiam. Duo tamē præter hæc hunc dolorem lenierunt. Vnum fuit, quòd cum Catholicus Rex Hispaniarum Philippus III. cum vxore sua Margarita Complutum aduentassent, tres tantum dies ibi cōmoraturi, voluerūt consolandi gratia in tempore adeò calamitoso nostrum Collegiū inuisere: quod nulli alij Religioni concessum est. Venerunt igitur, & dum in templū nostrum ingrederentur, tanta humanitate, & vultuum hilaritate nos nostraq̄ue omnia circumspererunt, vt omnes haberent admirādi occasionem. Fufis de more precibus in domus compluuium ad id omni ornamentorum genere paratum, & diuersis poëmatibus exstructum ingressi sunt, & vndequaque circumducti, vt quæ scripta erant legerēt, vel ab alijs lecta exciperent, & demum ad thronum Regibus compositum confessuri accesserunt. Inde facultate ad dicendum concessa, vnus è nostris Scripturæ sacræ Professor, è suggestu sermonem habuit, quo breuiter, iucundè, & eruditè, & pro Reginum auditorum captu, illa ex 1. Reg. 2. verba declarauit: *Domini enim sunt cardines terra, & posuit super eos orbem.* Postquam gratias pro beneficio tam singulari Regibus egisset, placuit



adeò & poëmatum inspectorum compositio Regibus, & sacra lectio viris etiã alijs Principibus, qui aderant, vt Rex ipse Patri Prouinciali, dum res nostras illi commendasset, præceperit, vt poëmata omnia ad se deferri iuberet, & Principes nonnulli exemplaria non pauca lectionis sacrae, quam audierant, postulauerint. & Regina ipsa eo ipso die Ducissæ Gandiæ (id nostris ipsa retulit) summa cū gratulatione dixit, valdè se & festo & sermone habito recreatam. Quæ res effecit, vt omnes, qui ea occasione res nostras non bene successuras sperabant, feliciores futuras existimarent. Alterum quo dolor nostrorum & amicorum lenitus est, illud fuit, quòd fidei Cēsores pro sua rectitudine, è quatuor, quos vt reos comprehenderant, non post multos dies Patrem Rectorem, & primarium Magistrum liberos domum remiserunt; alios verò duos è carcere in Domum Professam deduxerunt, vbi exitum felicem expectarent. deinde & libera ciuitate donarunt. Quod beneficium Societati præstitum quanta cum hilaritate exceperit Toletana ciuitas, vix dici potest; cū vt nostris gratularetur, Cardinalis & Archiepiscopus Toletanus D. Bernardus Roxas & Sandoual, non semel nostros inuiserit: cui multū Societas debet ob susceptum modis omnibus pro nobis patrociniū. Sed Complutensis, tum ciuitas, tum Academia suam erga Patres qui liberi remittebantur in suum Collegium, multo excellentiùs beneuolentiam ostentarunt. Decreuerant solemnī publicaq; pompa eis obuiam procedere: & quòd à nostris, multis modis exquirentes diem & horam, qua ingressuri essent, extorquere non potuerunt; aliquos in viam, tum etiam Madritum præmiserunt, qui de eorum aduentu, & de tempore, quo essent Complutum ingressuri, opportunè referrent. Sed delusi omnes sunt,

sunt, & nostri nocte ineunte, illis nescientibus, domum peruenerunt. Verum illi, quò dolorem lenirent, & lætitiæ suæ aliquod specimen darent, per publicas vrbis plateas & vias gregatim cum facibus, & alijs insignibus discurrerunt, sibi inuicem Patrum libertatem gratulantes. Ciuitas his addidit bouum liberas excursiones, & agitationes. his enim maximè populus delectatur recreationibus. Præter hæc Rector Academiæ cum suis collegis, Rector quoque ciuitatis, & viri eius præcipui, Religionum Prælati, & Magistri denique omnium ordinum clarissimi, tum ciues, tum Ecclesiæ Collegiatæ sacerdotes gratulationis gratia domum frequentarunt, & nostros inuiserunt, modis omnibus amorem, quo Societatē prosequuntur, ostentantes. Speramus autem propediē fore vt duo alij similiter liberi remittantur; quod cum fiet, quanta celebriori exultatione sint excipiendi, multa signa nobis pollicentur. Ministeria nostra non minori cura, quàm annis aliis exercita sunt. Scholasticorum ciuiumque frequentia aucta, tum ad conciones, cohortationes & exempla, quæ singulis sabbatis Quadragesimæ traduntur, tum ad peccata expianda, ad corporis castigationes & spirituales meditationes; multiq̃ue & nostræ & alijs Religionibus nomen dederunt. Habuit Congregatio Annunciatæ plurimos & florentissimos scholasticos, qui nihil non faciunt, vt quæ ad eam spectant opere compleant. Iuuat ad id potissimum Illustrissimus Ducis Gandiæ filius, Toletanus Canonicus, qui eius Congregationis Præfectus est, & cæteris literis, virtute, diligentia exemploque præluceat. Itum est, vt aliàs, ad nosocomia, ad puerorum scholas, ad carcerem, ad Collegia: & variis modis, cohortationibus etiam consuetis, ad meliorem frugem omnes euocati, rudimenta quoque pueris



tradita per vias publicas; quàm vtiliter autem nostri sacerdotes suam operam impenderint animis curandis, ex his paucis facilè colligi potest. Deceuerat coniugatus quidam vxorem adulteram interficere, idque cum exequi vellet, iamque suis pedibus prouolutam gladio confodere niteretur; illa obnixè rogauit, vt sui fœtusque misereretur, & vel solum tempus concederet ad expiandam cōscientiã. annuit ille, & comitem se præbens adduxit ad vnum è nostris facta confessione confossurus. illa retulit Patri periculum: qui egressus ad virum tanta vi spiritus eum est allocutus, vt persuaserit non solum, vt miseræ parceret, sed vt ipse quoque expurgaret animum. quod & fecit, simul rogans Patrem, vt adulterum adiret, cum eoque ageret, vt vxorem desereret, & ne in huiusmodi occasiones conijceret. obtinuit ille hoc, insuper vt sua crimina aperiret ira vna in causa tres omnino destitutos lucratus Deo est, qui adhuc in bona mente perseverant. Simile quid accidit feminæ, quæ quòd scholasticum adamasset, à coniuge qui fortè id rescivit, verbo & opere malè vexata, veneno tandem post paucos dies illum enecauit, scholasticumque secuta in hac Academia resedit. sed illa, ad extremum vitæ amico graui morbo deducto; ad vnum è nostris sacerdotem accessit, rem omnem pandēs: qui statim infirmum adiit, cum eoque egit, vt si saluti restitueretur, Religioni cuidam se addiceret, vt femina ipsa id ipsum factura pollicita est. Conualuit adolescens, & Monachus effectus debito satisfecit. id ipsum femina executata est: nam in monasterio monialium Deo famulatur, humilibus addicta officijs. Militi quoque viribus præstanti, & qui apud Belgas multos annos militauerat, & in hanc urbem venerat, exercitandorum quorundam ludorū gratia; hoc beneficium per vnum è nostris præstitum



præstitum est. Cùm ex Equitum ordine quidam multis modis conatus fuisset inimicum interficere, in hunc fortè militem incidit, audacem, & rebus bellicis non parum assuetum, cum eoque egit, vt ipse aggredere facinus, quater centum aureos illi pollicitus, si rem confecisset. atque vt animos adderet, ducentos statim largitus est. Sequenti die miles dum occasionem nancisceretur, in templum nostrum ingressus est, ad audiendum sacrum; eo confecto Patrem offendit sibi multis antè annis familiarissimum, à quo in cubiculum adductus. cumque inter loquendum ille, nescio qua ratione, cœpisset aded commoueri ac perturbari, vt Pater id animaduertèret: ille quidem abire tentabat; sed Pater verbis suauioribus, tràquillo vt esset animo, rogabat, atque vt morbum animi patefaceret. fecit ille tandem compulsus, & rem totam manifestauit. Sacerdos, vt rem periculosam, proximo noxiam, & Deo infestam considerauit, quibus potuit rationibus persuasit, vt clausus in cubiculo aliquantulũ temporis maneret, vbi librum ad id paratum legeret, & in meditatione mortis, quam illi explicauerat, sese exerceret, dum tauri agitabantur in foro. Mansit ille, & ea meditatione, mutata sententia, Patri redeunti sua aperuit crimina, & euocato ad se Equiti promissum retractauit, ducentosque aureos restituit: & ei quoque sacerdos persuasit, vt à cœpto desisteret. quod ille pollicitus est. & altero die miles redijt, & sacrosancto Christi corpore refectus, Patri pro tam insigni beneficio gratias egit, & in posterum eius consilium secururum promisit. Simili beneficio alius affectus est, qui quindecim annos conscientiam non expiauerat, sed in arte furandi vnà cum alijs sese exercuerat, eratque peritissimus, quòd secum afferret Dæmonem familiarem in vasculo vitreo,

cuius ductum in exquisitis modis subripiendi sequebatur. Hic cum correptus morbo ad extremum fuisset deductus, adeo ut medici de salute desperarent, euocauit eundem sacerdotem ad eluenda peccata. Ante confessionem autem detexit occultum Dæmonem Confessario, qui acceptum vitreum vas, in quo miser conclusus detinebatur, in profundum puteum proiecit: qui domi in separato loco fortè inuentus est, ac statim redijt ad ægrotum, & audiuit eius crimina de superiori vita valde contriti. Conualuit tamen, & cum Deo satisfacere pro suis sceleribus exoptaret, nosocomio inferuire apud se statuit. Dum in eo ministerio gnauiter sese exercuisset quindecim tantum dies, in priorem morbum recidit: cumque bene ad mortem imminentem sese comparasset, susceptis Sacramentis, obnixè rogauit, ut per literas notum fieret Patri nostro, quo cum prius de expiatione peccatorum egerat, quàm certam spem concepisset de Dei bonitate, quòd eo esset iam iam fruiturus, atque ita dispositus obiit. E numero Collegarum, qui bona valetudine, ut plurimum, fructi sunt, Frater vnus, qui munus obibat ianitoris, è vita decessit, charus omnibus & domesticis & externis, quòd omnibus sese præstaret non beneuolum tantum, sed & in quibus poterat beneficium. Quamobrem ad eius funus cohonestandum præter multos alios, omnes Theologi Collegij alumni, magno eius videndi desiderio, conuenere. Decessit ante hunc Frater Ludouicus de Velasco, qui tres iam annos Theologiæ operam dederat, filius Proregis regni Perùiani, Domini Ludouici de Velasco. Elucebant in illo religiosæ virtutes, sed præcipuè charitas & humilitas, quæ omnium amorem erga ipsum conciliabant. Nihil enim, vel asperum, vel difficile Fratrum quilibet ab eo velleui insinuatione



tionem postulabat, quod statim non præstaret, etiã si non infrequenter saluti noceret. Quapropter necesse fuit, vt illi Pater Rector præciperet, ne quicquam eiusmodi se inscio faceret. In humilibus officijs tam hilaris & frequens erat, vt rustici alicuius potius, quàm Proregis filius esse videretur: quorum occasione, vena in pectore dirupta, cœpit sanguinem expuere. cumque augeretur malum, medicorum consilio missus Madritum est, vbi post multas peritorum consultationes, & remedia adhibita, quæ certam salutem promittebant, in die Palmarum, quo Christus triumphator Hierosolymam ingressus est, & ipse in cœlestem Ierusalem, vti par est credere, admissus est. In huius locum suffectus est Dominus Martinus de Padilla, filius Attelati Castellæ, 16. annorum adolescens; qui quæ sua modestia, affabilitate, & ingenii acumine omnes huius Academiæ scholasticos mirum in modum deuinxerat. tredecim alios suo exemplo permouit, vt nostræ Societati nomen darent, bona indole, & præstanti ingenio, & magna expectatione adolescentes. Duos annos in sua ille postulatione consumpsit. Nam, etsi non displicebat omnino eiusmodi votum parentibus, cupiebant tamen dilatione certiolem ac firmiorem ostendi Dei vocationem. At ille non ferens tam longam procrastinationem, etsi magna cum diligentia à Pædagogo & famulis custodiretur; è conspectu eorum arte quadam sese eripuit, & in agrum egressus cum sibi liberum iter prope noctem patere animaduertit, celeri cursu per devia ad nostrum Collegium peruenit. vbi à Fratibus cum ea exultatione exceptus, qua excipi merebatur ille, qui vt nostris adnumeraretur, suos deseruerat. Ad Patrẽ Prouincialem, qui tunc fortè domi aderat, deductus, & pedibus eius prouolutus cum lachrymis  
admitti



admitti postulabat. ille, ne nimia desolatione premeretur, domi vt maneret, concessit. admitti verò nequaquam voluit, quoadusque eius parentum beneplacitum, quibus multum Societas debet, expectaretur. Illi, vt erant illustrissimi & christianissimi, re cognita, etsi in eum oculos coniecerant, vt suam domum & familiam eius excellenti ingenio illustriorem redderent, facultatem cum literis miserunt, christiana refertis pietate: quæ sine lachrymis legi non poterant, in quibus & parentes & auia Comes Buendia, quàm sibi placeret electa Societas inter alias Religiones à filio & nepote pro ea, qua nostram Societatem prosequuntur semper beneuolentia, ostenderunt, ac nouum militem larga sua benedictione impertierunt. Ita admissus ad tirocinium est, & adhuc cæteris omnibus in religiosis præluceat officiis. Euolauit hoc anno ad superos Domina Catharina de Mendosa, quæ vnà cum Domina Maria amita sua hoc Collegiũ fundauit, quarum ossibus templum nostrum non parum cohonestatur. Vixerat in perpetua castitate, & ante duos annos illi adiecerat votum paupertatis & obedientia: in quorum obseruatione ita excellebat, vt si Religiosi multi cum illa conferrètur, inferiores esse meritò putarentur. Aduerunt ei nostri dum infirmaretur, & cum sacra vnctione ritu Ecclesiæ vngenda esset, obtinuit suis precibus, vt omnes Socij huius Collegij lectũ eius circumdarent tanquam matris filij: quorum conspectu ita recreabatur, simulque ad profectiorem se comparabat, vt Duci Infantadixæ fratri suo (qui ad hoc solum venerat è Guadalajara, vt extrema verba à charissima sorore audiret, eiusque decessui adesset) ne verbum quidem vllum fuerit locuta: cum & ipsa ad sacerdotis vngentis orationes & psalmos, expedita voce responderet. Obijt feliciter quemad-

quemadmodum vixerat, eiusque felicitatis specimen aliquod datum omnibus est, decora valde facies mortuæ, qualem nec viua habuerat. Res quidem ipsis etiam medicis visa ultra naturæ vires, quod & ostendit modò exemplar ex eius demortuæ vultu expromptum. Deducta ergo Sociorum humeris ad nostrum templum est, celeberrima pompa, ac per nouem dies iusta illi facta erecto magifico tumulo, qui variis omnium linguarum compositionibus exornatus est, vt & ipsi templi parietes, quo suum erga venerandam matrem amorem scholastici nostri ostenderunt. Obiit quoque nostræ Societatis amantissimus Antonius Vasquez, qui in quæstoris munere deseruiuit Regi Philippo 11. & vita aulica relicta ad sacerdotiû promotus in hac Academia degere decreuit, præsertim vt nostra Societate frueretur, quam semper veneratus est ac dilexit. quod quidem satis ostendit, cum testamento, Collegio Societatis Lucroni, vnde ille erat oriundus, annuos redditus septingentorum aureorum reliquit; & Domui Probationis Complutensi, quam ipse erigendam expectabat, redditus similiter annuos trecentorum aureorum, cum omni domestica supellectile; idcoque in nostro quoque templo sepultus est. Eius permotus exemplo Magister Ioannes Bernardus, Mathematicarum artium publicus Magister, insigni vir virtute, qui & ipse optabat Domum illam Probationis fundari, atque in ea degere ad Societatem admissus, octuaginta aureos singulis annis obtenturos pro sua facultate donauit, plures, si habuisset, donaturus. Quibus redditibus aliisque eleëmofynis propediè expectamus domû extruendam tirocinio Societatis aptam, in ea, quam nobis reliquit Domina Catharina de Mendosa, quam non parum huius Academiæ iuuentuti profuturam,



ram, nemo est, qui nõ existimet. Quod ad res pertinet domesticas, hoc anno fundamenta iacta sunt templi magnifici, quod omnia huius vrbis templa superaturum putetur. Sacristiæ quoque supellex aucta cruce argentea ex eleëmofynis affabrè facta, quæ sexcentos aureos pendit.

### *Collegium Madritanum.*

**I**N hoc Collegio ministeria omnia Societatis accuratè exercita sunt, tam cum detentis in carcere, & ijs qui ad suppliciũ ducuntur, quàm cum pueris, & infirmis in nosocomijs. Multis etiam feminis, quarũ castitas periclitabatur inopiæ causa, nostrorum operâ consultum est. Concionator noster multas Deo lucratus est: nobiles etiam viros, & fæminas illustres, quæ multis scandalo erant, ad meliorem frugem cõuertit: qui exemplo suo, quos prius ad malum induxerant, ad virtutem reuocarunt. Concionatur in amplioribus tẽplis, & crebrò in eo monasterio, vbi moratur Imperatricis Mariæ maiestas, quæ eius concionibus valdè delectatur. auditores frequentissimi sunt, quippe qui benevolentissimis auribus eum audiant. Respondet autem fructus labori: siquidem confessarij nostri experti sunt, quàm sint multi, qui Deo inseruire decreuerint, factis prius generalibus confessionibus. Occultauerat quidam peccatum in confessione per 15. annos: qua occasione frequentissimè dæmon sub variis formis sese illi videndum exhibebat, suadebatque vt speim omnem de salute sua abijceret, vtque arriperet aliquando gladium quo se iugularer, aliquando funem quo se strangularet. Dei inspiratione permotus tandem venit ad vnum è nostris sacerdotem, & de suo statu ratione reddita, generali cõfessione multis cum lachrymis



mis expiauit animum . à Patre institutus, cùm se diuino Christi corpore muniuisset, nunquam amplius illas dæmonis suggestiones expertus est, ac animo tranquillo, & viuidioribus desiderijs infertuendi Deo in cœpta vitæ ratione perseuerat. Erecta est hoc anno cathedra Casuum conscientiæ, vt vocât, quam iam diu fundauerat redditibus quingentorum aureorum Lusitaniæ Princeps Ioanna, Philippi II. Regis soror. Ad lectionem audiendam accedit copiosus numerus sacerdotum, non sine multa vtilitate. Ædificium scholarum superioribus annis inceptum auctum est, & ex parte absolutum. quatuor enim gymnasia ampla, & accommoda parata sunt, veteribus disiectis angustis & parum aptis. Confecta sunt pendula ornamenta, ad ornandos parietes in solemnioribus festis præcipuæ templi partis, aurea & serica, quæ mille aureis constant ex eleëmofynis collectis.

### *Collegium Placentinum.*

**I**N hoc Collegio inter omnia ministeria, rite & cum fructu peracta, vt superioribus annis, tria sese offerunt notatu digna. Alterum, quòd cùm Pater è nostris carcere detentos frequenter visitaret, & suâ operâ iuaret, tam in spiritu, quàm in corpore; nobili viro, qui obfirmato animo statuerat inimicum occidere, à quo verbo fuerat læsus, persuasit, vt mitesceret, & conscientiam elueret, & cum eo qui læserat reconciliaretur: quo facto magnam de Societate conceperè existimationem ciues vniuersi. Alterum est, duas factas missiones. Nam in primis Religiosi omnes cuiusdam monasterii non longè ab vrbe siti obnixè postularunt vnum è nostris sacerdotibus ad se mitti, qui ipsos per aliquot dies in meditationibus P. N. Ignatii exerceret.

animo remanserunt, vt postulauerint Patris reditū sæpe sæpius. Tertium, quod adnotari oportet, ad res literarias spectat. Artium liberalium cœptum curriculum procedit cum copioso externorum discipulorum numero, & non inutiliter. Habitus est ab vno è nostris scholasticis actus per diem integrum, cui mane ac vespere adfuit vrbis Episcopus: qui cum reliquis Religiosis, qui ad disputandum accesserant, respondentis ingenio & eruditione recreatus, ac de nostra Societate multa prædicans, regressus est.

### *Collegium Murcianum.*

**O**Mnia ministeria siue ad virtutem, siue ad literas spectantia in hoc Collegio, tam quoad domesticos, quàm quoad externos, eodem modo exercita sunt, quo annis superioribus, & aliqua ex parte fructus auctus est. Siquidẽ duabus Congregationibus iam diu stabilitis, tertia addita est, tantum sacerdotũ; eo præstantior & vtilior, quo præstantiores sunt qui admittuntur, & vtiliores re & exemplo sperantur proximis futuri. Ex scholasticis etiam multi statum Religiosum experunt, & nonnulli aliis Religionibus addicti sunt; sed doctiores & ingeniosiores in nostram Societatem postulant cooptari; quorum quatuor votis satisfactum: nam plures admittere non licuit. duo in hac Toletana prouincia instituuntur, duo alii, quorum vnus ad gradum magisterii ascenderit, in prouinciam Aragoniæ missi sunt. Fræquentes eleëmofynæ, quibus hoc Collegium iuuant sua liberalitate ciues, ostendunt quanta beneuolentia nostros prosequantur. Nobilis quædam femina altare capellæ vnus adornauit abaco imaginum, qui ei constitit aureos 60. eadem ipsa pro sua deuotione



alteram capellam instruxit nouo altari, & duodecim Apostolorum vultibus, aliorumque Sanctorum, sumptibus quatercentum aureorum. Alius quidam ad augendam nostrorum scholasticorum deuotionem, qui æstate solent cum suis præceptoribus extra urbem mitti ad domum ad id paratam in eremo, abacum etiam imaginum construxit, quo domus illius capella adornaretur; & aureum vas ad custodiendum corpus Christi Domini centum ac decem aureis.

### *Collegia Ocaniense & Oropesanum.*

**M**inisteria omnia rite obita in OCANIENSI Collegio. Multi prædicatione permoti, ad faciendas confessiones generales, & quidem necessarias: multi quoque qui grauiter dissidebant recõciliati.

In OROPESANO Collegio nõ modicus decerpitur fructus exemplo, quod proponi solet diebus Quadragesimæ. Vno audito, vir turpi amore multis iam annis deuinctus, non solum ipse eam viuendi rationem deserere decreuit, sed idem, eodem exemplo illi relato, turpitudinis sociæ feminæ persuasit. Itum est hoc anno ad temperandum æstum in oppidum non longè distitum, Comitatus Oropesani ditioni subiectum; in quo domum concessit nostris scholasticis ad degendum aptam: quorum operâ ita & cohortationibus & exemplis, aliisque Societati consuetis ministeriis excultum est, ut cum domum redirent, flagrantissimum sui desiderium relinquerent.

### *Collegium Bellomontanum.*

**B**ellomontani ciues, & è vicinis oppidis non pauci nostrorum vsi labore in omni ministeriorum



riorum genere Societati consueto, salutem suam curauerunt. Decessere è vita duo Fratres Coadiutores: quorum vnus post multam ætatem in Societate in humilibus peractam officiis, summam cum simplicitate, & humilitate, feliciorẽ vitam, quã summè optabat, consecutus est. Alter Coadiutor temporalis formatus tanta vi, tamquẽ affidue de Deo, ac de odio peccati, & de rebus aliis ad salutem animę spectantibus, loquebatur cum obuiis quibusque externis, nõn idiotis tantum & rusticis, sed cum nobilioribus & literatis, qui eius conuersatione & delectabantur & proficiebant, vt tanquam virum sanctum, & Deo charum eum suspicerent, ex eiusque ore penderent: exegerat 42. annos in Societate infirma semper valetudine, sed non infirma virtute.

### *Domus Probationis Villaregiensis.*

**N**Ostrorum Tironum ad profectum ardor mirum in modum accensus est, Patrum tertie probationis exemplo, qui in humilitate ceterisque spiritualibus exercitiis præluxere. Nec proximorum salus derelicta: illis enim modis Societati consuetis per omnia consultum, & eam ob rem omnium animi præsertim oppidi dominorum plus solito deuincti. Obiit Pater Petrus Sancius, qui è 74 annis quos vixit, 44. in Societate exegit, & extremos 22. in hac Domo procuratoris officio ac confessarii functus est: in quo multum profuit indigentibus, & quoad spiritum, & quoad victum. In proxima ætate, cum calor magis vigeret, optauit obnixè, sese spiritualiter exercere, idque quantis potuit precibus obtinuit à Patre Rectore. Dicebat enim nullam fortasse commodiorem sibi occasionem futuram ante sui decessum. Exercuit

ergo sese tanto cum sui spiritus profectu, vt publicis ac priuatis pœnitentiis, & copiosis lachrymis id ostenderet. Expiavit quoque conscientiam generali totius vitæ confessione quasi certus de futura morte: cumq̃ue mense Septembri ex febris tertiana ad extremum deductus, oleo etiam sancto vnctus fuisset, Deo agente conualuit: sed ad eò infirma valetudine, vt in ministeriis vix sese posset exercere. Nihilominus contra imbecillitatem corporis animo valens, sacra quotidie facere curabat, & confessiones audire: & in festis natalitiis Christi tam erat sollicitus de salute proximorum, vt, quò opportunè ad eorum confessiones audiendas accederet, cum infirmario contenderet, vt hora aliis consueta eum vocaret. Denique mense Ianuario dolore lateris grauissimo nouè diebus absumptus est magno cum desiderio Christo fruendi. Obiit hora diei 12. & die 22. Ianuarii, ac vespere: omni populo sponte congregato, cum sacerdotibus & oppidi domino, qui eius operis ac voluntati se multum debere fatebantur, sepultus est. Multa virtutum ornamenta in eo splenduerunt: fuit imprimis deditissimus mysteriis vitæ ac passionis Christi Domini, quæ legere, vel audire sine copiosis lachrymis non valebat. solebat dicere nihil sibi fuisse difficilius in Religione, quàm non posse pedibus ire Hierosolymam, & loca illa sancta, in quibus nostræ salutis mysteria peracta, non visitare & adorare. Vnde cum infirmabatur, & iam decessurus rogabat, vt aliquis historiam de passione Christi legeret: quam ille deuotè audiebat, ac ea, quæ magis cordi hærebant, repeti curabat. Charitate in proximos accensus, illis, qui inopia laborabant, tam carcere detentis, quàm in nosocomio infirmis, omnia necessaria per oppidanos alios, quorum ipse confessiones audiebat, prouidebat;

horta-



hortabatur vt singuli statutis diebus infirmos adirent, & subsidij quidpiam pro sua quisque facultate deferrent. Atque ad hanc rem corroborandam fundari curauit confraternitatem charitatis, statuta fratribus instituens, quę ab Episcopo sunt stabilita; adiectis etiam redditibus perpetuis, quos multi, vel testamento, vel alijs modis confraternitati ad egenorum subsidium reliquerunt. Salutem animarũ modis omnibus procurabat: nam zelo exardescerebat nõ modico. Multos turpi amore implicatos ad honestã vitam reduxit; feminas etiam, victu quæsito, ne inopię occasione ad turpitudinem redirent. Ludebat aliquando aleis sacerdos quidam, primarius ac diues, sed qui de corporis fortitudine, magis quàm de virtute animi gloriabatur, cum mercatore honesto loco nato: cumque nescio qua de causa, inter ludendum contenderent; Sacerdos mercatori alapam inflixit, copiosa multitudine circumspectante. Iniuria affectus surrexit è mensa, & illico, nullo verbo prolato, etiam si ense succinctus esset, domum suam se contulit; vbi aliquot dies se continuit: sed timebatur machinari malum sacerdoti; idcirco multi ad eum accedebant, de reconciliatione agentes. at ille se nihil cum clerico habere respondebat. Quod verbum augebat suspicionem. Pater igitur Petrus Sancius veritus ne suspicionem facinus comprobaret; mercatorem adiit, & rationibus, quibus potuit, hortatus, vt sacerdoti reconciliaretur, tandẽ Christi contumelijs, iniurijs, opprobrijs & alapis coràm propositis, persuasit, vt parceret adẽ liberaliter, vt se suaque omnia Patri nostro tradiderit, ac vt modum, quo multitudinis scandalo satisfieri curaret, indixerit. Ille sic omnibus consuluit, vt sacerdotem domi nostrę sacrum facere decreuerit, ac Eucharistia mercatorem amicum factum



cōmunire inspectante populo, qui reconciliatio-  
 ne summè recreatus, & Deo gratias egit, & Patri  
 nostro, qui intermedius fuit: ac deinceps se ipsi  
 familiarissimè vsi, quibus poterant officiis, bene-  
 uolentiam mutuam ostendebant. Clericus alius  
 nobilis, diues, ac ex oppidi hominibus honestio-  
 ribus, sed leniculus, & moribus iuuenilibus, voluit  
 & ipse vestibus indutus discoloribus, equū ascen-  
 dere phaleratum, & cum aliis adolescentibus suūm  
 agmen ducere in ludis publicis. Quod facinus  
 omnes horrebant in Clerico. Et Ioannes Paciecus  
 dominus oppidi, id agrè ferens, egit cum Clerici  
 consanguineis, vt eum à cœpto reducerent. qui  
 cum nihil impetrassent, res ad Patrem Sancium  
 deducta est. adiit eum, ac multis vltro citroque ra-  
 tionibus propositis, tandem obtinuit, vt omnino  
 à proposito desisteret, cum omnium popularium  
 ac nobilium virorum gratulatione & gaudio. Post  
 paucos dies duo alii ex contentione quadam, ita  
 in se inuicem odio exarserunt, vt armati se ad pu-  
 gnam pararent, ex qua strages maxima timebatur.  
 Multi de reconciliatione cum illis egerūt, sed inu-  
 tiliter. dominus Ioannes Paciecus eripuit arma,  
 ac domi suæ contineri iussit pro carcere, exilium  
 comminatus ni desisterent. sed nihil illius mi-  
 nas curabant. Pater igitur noster Sancius, quò ma-  
 lis, quæ timebantur, obuiaret, reconciliator acces-  
 sit. adit vnum ex illis, & vix post multum laborem  
 permouit ad id, quod Pater decreuisset. Alter resi-  
 stebat omnino, & dæmonis cuiusdam instar ob-  
 firmatus negabat amicitiam se initurum. Sed Deus  
 omnipotens, quò obstinato mederetur, ad mor-  
 tem deduxit ex graui infirmitate. Tunc Sacerdos  
 noster illum inuisit, atque de periculo vitæ, corpo-  
 ris & animi monens, tandem assecutus est, vt sta-  
 tim reconciliaretur. infirmus autem corde diuini-

tus permotus, misit quemdam, qui alterum ad se adduceret, interimque eius peccata Pater audiuit. confessione peracta, inimicum ingredientem in cubiculum illico ac vidit, sublatis manibus felicissimum eius aduentum proclamavit, atque illum ita strictè amplexus est multa voluptate suffusus, ut dimoveri nequaquam posset. adeò permoverat clementissimus Deus cor illius. ac intra duos dies, omnibus susceptis Sacramentis decessit è vita; uniuerso populo felicissimum exitum admirante, Deumque collaudante. Quanto cum fructu rem Domini promoueret, & saluti eorum, qui ad se accedebant prospiceret, vel hinc colligi potest. Quidam Societati adeò infensus, ut nullam occasionem prateriret, in qua illi nocere non niteretur; in extremis constitutus hunc Patrem vocauit ad conscientiam explendam. Confessione facta, expertus summam animi tranquillitatem ex Sacramenti gratia profectam, & Patris beneuolentia; potestati illius omnes suas tradidit facultates, ut eas quoquo vellet modo distribueret. id etiam ut faceret, summis precibus contendit. annuit ille, quòd cœptam salutem augeter. Statuit igitur frumentarium publicum depositum, ex quo indigentibus viliori pretio prouideretur, pro cuiusque necessitate, rem quidem populo utilissimam & gratissimam, & quæ quotidie operâ iudicum augetur magis. E reliquis rebus prædium, nostris coniunctum, Societati summa liberalitate donauit, permotus optima, quam de nostris conceperat opinione, ut ipse significauit. Alii non minori utilitati fuit, artificii texturæ artis, inopi quidem, sed qui assiduo labore aureos 600. conquiserat, & humi in loco recondito abdiderat. hic prope mortem Patrem Petrum Sancium vocauit, ac sua crimina ei aperuit. ex confessione tranquillior factus,



ac de Patris sanctitate magna concipiens cum rogauit, vt rem suam in piuin aliquod opus distribueret, quo Dei gloria magis augetur. Eductis in medium aureis, sacerdos noster statuit redditus annuos, quibus oleum coëmeretur lampadi templi, in quod populus conuenit, necessarium. Tum etiam vt quinque sacerdotes, superpelliceis induti Eucharistiam deferentem Parochum comitarentur ad infirmos, singulis quatuor aureis contributis. Quæ ex re summa infirmus consolatione lætitiæque affectus obiit, animaduertens rem suam tanto honori sibi futuram, & Deo gloriæ; ac populus exhilaratus est. Hæc pauca habui, quæ breuiter de hoc viro sanctissimo dicerem, multis aliis prætermisissis, quod communiora essent, ne è nostra memoria exciderent, qui meruit in libro vitæ scribi. Ad vigesimum quoque Nouembris eiusdem anni euolauit ad superos Frater Dominicus Torrubius Coadiutor temporalis formatus, qui è 42. annis, 19. in Societate transegerat, totos in hac Probationis domo, ei quàm maximè utilis, & exemplo omnibus præluces. Fuit enim eius prouidentia & sollicitudo in domesticis rebus curandis (nam erat domus subminister) insignis, & cum magno silètio ac mansuetudine coniuncta. vsque ad admirationem prælucebat in illo charitas, & prudètia in excusandis aliorum defectibus, in suis accusandis humilitas, & patientia in ferendis aliorum conditionibus adeò diuersis. nullus enim poterat, quo affectu teneretur, percipere, cum æquo omnia sustineret animo. idque singulari quadam mortificatione assecutus est, & sui contemptu, tum etiam assidua cum Deo familiaritate, quæ ei & internam puritatem, & externam tranquillitatem pepererat. Ex assiduo ergo labore, capitis & stomachi dolore laborabat : quam ægritudinem



ita ferebat, vt grauiter doleret, si vel quotidianus labor diminueretur, aut aliquid singulare in victu, vel aliis rebus ad se pertinentibus tribueretur. Vno ante mortem mente, è pectoris compressione cœpit leuiter febricitare, inde quotidiana febris successit cum ardentioribus accessionibus. morbum ille cum solita mansuetudine, patientia & obedientia ferebat, cumque sapiùs Eucharistia se muniuisset, vno die ante obitum extremò Sacramentum suscepit, & oleo sancto perunctus, post tertiam horam vespertinam decessit, ac sequenti die, Virginis Marię præsentationi sacro, funus paratum tanta cum pompa (quòd populus vniuersus cum domino ac Magistratibus non vocatis venissent) vt cum admiratione non pauci animaduertent, voluisse Deum humilem domi abditum in morte exaltare. nec defuere, qui ex reliquiis eius vel Rosarium, vel imaginem aliquam, & similia ad suam deuotionem postularent. Missi sunt aliqui ex Patribus ad finitima oppida, & labori fructus respõdebat. duo, quòrum vnus in tertia probatione, alter in secunda, cum quoddam vicinum oppidum ingrederentur, cum despectu suscepti ab oppidanis sunt ridentibus; quòd tunc temporis vellent populum ad confitenda peccata semel in anno ad id tãtum assuetum inducere. erat autem mensis Februarius. At hortationibus publicis & priuatis ita permoti sunt omnes, vt subitam mutationem admirarentur: nam à primo mane vsque ad multam noctem in eorum confessionibus audiendis nostri Patres perseuerabant; nec poterant satisfacere salutem perquirentibus. Vniuersus ergo populus sua expiauit peccata, multi generali confessione, lites compositæ, inimici conciliati. Spiritus sanctus tanta vi permouebat animos ad eluendâ peccata, vt palàm affirmarent

oppidani, totas se noctes insomnes transegiſſe in ea cogitatione, ac cordis contritione. Ruſticus confeſſione abſoluta dixit vni ex noſtris, ſibi ſoli ac domui ſuæ adueniſſe Patres, quòd præcedenti nocte vxorem iam demortuam ante paucos dies, cuius virtus omnibus conſpicua erat, vidiffet, obnixè Deum deprecantem, multis etiam lachrymis effuſis, vt mitteret aliquos ex Societate in hoc oppidum, vt eius malis mederetur, & præcipuè domus ſuæ. atque ita factum eſt; ſiquidem illè cum vniuerſa familia Deo per confeſſionem reconciliatus. Magna igitur de Patribus ac de Societate noſtra opinio concepta eſt; magnus ex eorum labore fructus ad omnes peruenit. Cùm abſoluta miſſione domum noſtri regrederentur, vniuerſus quoque populus comitem ſe præbuit: reuentibus noſtris, ac vale oppidanis dicentibus, cum multis lachrymis, nullum aliud verbum audiebatur, quàm Nedilcedatis à nobis Patres, ne noſtri obliuiſcimini, frequenter ad nos reuertimini. Par fructus ab vno ex hiſ Patribus in alio vicino oppido collectus; vbi & hoc accidit, ad commendationem lectionis librorum ſpiritualium confirmandam. Venit in mentem ruſtico ſimplici, ſed deuoto, & qui Sancti nomine à reliquis colebatur, ſpirituales libros Patris Ludouici Gránatenſis emere. & cùm ſuam cogitationem iam executioni mandaret, audiuit vocem omnino perſpicuam accertam huiusmodi, Ne coëmas hos libros, quoniam & ipſi & Auctor eorum comburi merentur. Stupefactus ille ac territus ex vocis illius ſonitu vehementi, per nouem & ampliùs meſes ſenſit auditum læſum: ſiquidem intra aures ſtrepitum audire ſibi videbatur, non diſſimilem ab eo, quem edere ſolet molendini rota, cùm vehementius euoluitur. Sed illico vox altera cælitus emiſſa illi ſeſe oppoſuit dicens, Mentit

tur mendacij pater, & veritatis ac totius boni diabolus inimicus: ita corroboratus rusticus suo desiderio satisfecit.

### *Collegia Securitanum & Conchense.*

**I**N SECVRITANO Collegio se exercuerunt nostri pro more Societatis. Variæ excursionēs in vicina oppida factæ; multorum confelsiones auditæ, diffidentes conciliati, præsertim nobiles quidam multis iam annis inimicitias cum totius populi scandalo exercentes, cum multa exultatione omnium, ipsorumque bono in gratiam rediere.

IN CONCHENSI adiuti proximi consuetis ministerijs sedatæ inimicitia, quæ mala multis minabantur, ab impia cogitatione reuocatus quidam, qui necem viro nobili intentabat; multi quoque medijs Sacramentis ad pietatem adducti. Mira est huius ciuitatis in Societatem affectio, atque ad eò nostrorum operâ frequentissimè omnes vtuntur.

### *Collegium Huetenense.*

**M**ulti quoque à nostris, qui in Huetenſi Collegio degunt, reconciliati sunt; cumque seditiones timerentur exitiosæ, ob diuersas inter ciues sectas in distribuendis officiis publicis; nostrorum consilio & operâ electio rectè successit, & obuiam itum incommodis, quæ timebantur. Illustrissimus Episcopus Conchensis benevolentia significandæ gratia, nostrum hoc Collegium inuisens, vario Epigrammatum genere quatuor linguis composito exceptus, non sine Illustrissimi multa admiratione & gaudio: qui duos Patres mitti postulauit  
in



in finitimum oppidum, eorum operâ non parum indigens. in eo viginti dierum spatio multos Deo lucrati sunt: vniuersi verò ita ad pietatem accensi, vt magnum sui desiderium apud eos reliquerint.

### *Collegium Caratucense.*

**O**Mnia ministeria rite exercita, vt alijs annis, sed amor & opinio de nostra Societate augeatur indies. Honestus quidam ciuis ad Confessarium suum Patrem nostrum accessit, vt eum de Deo ac diuinis rebus loquentem audiret: tenebatur enim maximo desiderio. Cumque sacerdos noster longa colloctione, vel fatigatus, vel alia nescio qua de causa discederet; tradidit ciui illi Fratris Ludouici Granatensis librum, quo suppleret quod deerat. incidit lectio de perferendis aduersitatibus, & de conformanda in eis voluntate nostra cum diuina. Ea lectione paratus domum redijt, & in eo ipso die in re sua familiari magna quædam calamitas accidit. At ille memoria repetens, quæ legerat, vultu sereno, & animo tranquillo, Æquum est, inquit, vt patienter feramus, & gratanter flagello nos subiiciamus à Deo immisso, Domino ac Patre amantissimo, ad illius gloriam, & nostram vtilitatem; ita enim legi hodie faciendum in libro quodam spirituali. Alius quidam, colligendæ messis causa, in fundo longè ab vrbe posito morabatur. & cum quadam nocte iaceret in lecto, subitò excitatus est, magnis suspirijs, ingentibus gemitibus cum lachrymis emissis: rogatusque ab altero, qui in eodem cubiculo iacebat, lachrymarum causam; respondit, se dolere quòd Deum offendisset: nam cum inter somniandum sibi videretur confessione generali conscientiam expiare apud vnum è nostris sacerdotem, quem nominauit; ab illo varijs  
confi-

considerationibus ad detestationem ac dolorem de peccatis excitatum ad eò, ut cor è corpore profilire videretur. quare intellexit se ab Spiritu sancto attractum, ut peccata relinqueret, ac confessione generali elueret. Proposuit ille excitatus à somno id facere, & primo manè cœpit de rebus disponere, ut quod proposuerat executioni mandaret. Post duos dies, cum ex vna casa in aliam transmearer, duos habuit obuios inimicos suos, qui geminis sclopetis illum confecerunt, confessarium postulantem, & nomen IESV inuocantem. Existimatus est salutem consecutus, quòd ita eum Deus è cælo duos ante dies præuenisset. Templo aliqua donata; casula è viridi Damascena tela confecta; ornamentum è tela argentea aureis sphaerulis distinctum, & multa varietate contextum. Alij ad reliquiarum auream construendam thecam ad ducentos ducatos obtulerunt.

### *Collegia Talabricense & Toletanum.*

**C**ommunia ritè peracta, & cum non mediocri fructu. TALABRICENSE à soluendis redditibus censuum nonnullorum liberatum; præsertim liberalitate cuiusdam ciuis, qui quater & centum aureos ad id donauit.

In TOLETANO illud dignum memoratu, quòd Cardinalis & Archiepiscopus Tolertanus pro summa, quam de Societatis institutione & doctrina habet opinionem, postulauerit à Patre Prouinciali, ut nostri curam susciperent educandi quatuordecim adolescentes ex his, qui illi famulantur, in litteris & virtute: quod ut melius conficeretur, in domo iuxta nostram conducta sub sacerdotis, qui

ei est à sacris, cura, qui nostrorum per omnia sequatur ductum, illos habitare constituit; idque quod maiore commendatione dignius est, cum quatuor reliquos sibi domi retineat, qui ei in domesticis inseruiant ministerijs. Cum ergo tam dignæ postulationi acquiescendum esse videretur, suscepta cura est, & opus inchoatum à festo D. Lucæ: atque adeò feliciter succedit, vt multa gratitudinis signa dederit, multa beneuolentia erga nostros sit Illustrissimus Cardinalis.

### *Residentia Almagrensis.*

**E**X Almagrensi residentia frequentes fiunt ad circumuicina oppida, eaque copiosa ciuibus, excursiones, magno excurrentium labore; sed magno respondente fructu leuior fit. Magnus est huius vrbs, omniumque populorum, ad quos nostri mittuntur, in nostram Societatem amor, magna & singularis nostrorum ministeriorum æstimatio, ideoque vndique nostri vocantur ad concionandum: & in oppidis, in quibus morantur, inagnus & copiosus fructus collectus est. Nam multi qui animo dissidebant, in gratiam & amicitiam rediere: multi a concubinato, scandalosa viuendi ratione ad meliorem deducti; plerique totius antea vitæ sordes eluere. factæ restitutiones. omnium voluntates & animi in nostræ Societatis amorem allecti, omnes denique in frequenti confessionis & sacræ communionis vsu confirmati.



## PROVINCIA ARAGONIÆ.



Vnerauimus hoc anno capita Sociorum triginta supra treceta, domiciliis distributa duodecim. In Domo Professa Valentina 40. In Collegio Valentino 36. Gandiæ 26. Cæsaraugustæ 46. Bilbili 20. Turiasone 16. Barcinone 26. Tarracone 46. Gerundæ 30. In Vrgellensi Collegio 10. In Perpiniensi residentia 6. In Balearico Collegio 26. In Societatem adlecti 32. In cælestem societatem dimissi, vti confidimus 9. ex iis vnus Frater Coadiutor, reliqui sacerdotes.

*Domus Professa Valentina.*

HÆc domus vt cæterarum princeps, sic fructu cæteris præstantior. Tribus bacchanalibus diebus de more templum pretioso peristromate, luminibus, imaginibus, floribus adornatur, Eucharistia sacrosancta patefit: suauis afflantur odores: dulcis harmonia tum vocum, tum instrumentorum auditur: manè ac vespere conciones temporibus congruentes habentur. Hæc omnia tantam populi frequentiam adlexerunt, quantam templum per amplum quidem capere non posset. Et verò quàm plurimi non solum spectatores aut auditores accesserunt, sed cælestium epularum in Eucharistia conuiuæ. vnde non pauca, neque leuia per id tempus impedita peccata. Adiuti, vt nostra fert consuetudo, illi, quos carnifex agit ad patibulum. Ex iis Mahometani duo, eorum qui in hoc regno sacro baptisinate abluti fuere: in carcere dum vincti tenentur, duo è nostris sacerdotes vocantur in extremo

tremo vitæ articulo extremam salutis opem illis adlaturi. Peruenitur ad carcerem: ex alijs fontibus intelligunt, illorum alterum iuniorem Christianè mori velle; alterum senem in Mahometana secta pertinaciter animum obdurasse contra Sacramenta ad mortem impiam. Proinde mōnent, ne oleum simul & operam perdant. è nostris nihilominus alter iunioris curā suscipit, senioris alter ille totius vitæ crimina per confessionem expiuit: quiq̄ue cū ad supplicium duceretur, ita Christi effigiem è cruce pendentis, quam manibus ferebat, osculabatur, vt suæ salutis æternæ signa non vulgaria omnibus relinqueret. Is iam egressurus carcere nostrum sacerdotem sic alloquitur: Nōne verum, Pater, secundū Deum nihil altius esse, præstantius, & illustrius nihil sanctissima matre sua? cui Pater: Tam hoc verum, quàm quod verissimum. Si Deipara igitur Virgo, respondet ille, ad eō clementia ac pietate excellit, cur me ex Mauritania in hunc attulit locum, si in eo mortem iudicio miserrimè subiturus eram? Cū enim ego Argentiæ, quò traieceram, versarer, illa nobilissimæ & honestissimæ matronæ speciem præ se ferens, illi imagini quàm simillima (digito signauit quandam quæ pendebat in carcere) illa inquam mihi apparuit, & sicut mater filiolum, sic ea suis me vlnis at tollens in hanc Christianorum detulit prouinciam & Alonem iuxta reliquit. Sacerdos noster mirari & monere, videret ne fortè illa inter dormiendum per somnium, sibi videre visus esset. Ille iterum & sapius adseuerat, rem ita habere. Tum Pater diuino adspirante numine facilè persuadet, præclariùs cum illo agi atque feliciùs, qui pœnar. in hac vita sustineat temporalem vt in alia effugiat sempiternam. Illud etiam addit, in Africa si obiisset, fide eiusque ministris destitutus, æterno sine dubio supplicia

supplicio fuisse condemnatum. quibus omnibus non parum recreatus mortem sustinuit libentissimus. Senex verò Mahometanus ita obsenuerat, & callos pertinaciter obduxerat in sua perniciosa secta, vt nullis vel firmissimis argumētis adduci posset vt ad sanio rem mentem rediret: iubetur trahi ad eum locum, in quo non christianè morientes viui lapidum imbribus obruuntur. sed nostri à magistratu impetrant, ne in eum locum deducatur, ita disponente Domino suauiter omnia, qui in via repentè sic illius animum immutauit, vt quamdam ingressus domum totius vitæ crimina lachrymis & confessione deleuerit. Denique ad patibulum vbi peruenit, supplex & lachrymans à Deo & hominibus pertinaciæ & obdurati animi veniam petit: sic Omnipotentis digito in alterum mutatus hominem Christianus moritur, & spem certam salutis omnibus relinquit. Mahometanus alter morte mulctandus, non minùs pertinaciter, quàm præteritus in Mahometi secta animum obdurauerat. mittitur vnus è nostris ad eum ad nostram fidem si possit, reuocandum; sed nihil ab animo obstinato potuit obrinere. Tunc noster videns omnes suos conatus irritos, illius animæ superno inflammatus zelo in genua procumbit, Mauri pedes lachrymis erumpētibus madefactos osculatur. hinc Maurus tali submissione perterritus, manus item Patris deosculatur, ceteris fontibus præ gaudio mirantibus. Tunc Pater in effigiem Redemptoris nostri quæ è ligno pendeat obtutum defigens, lachrymis obortis exclamauit: Sic ne, sic humani generis Seruator atque Redemptor Christe patieris istius miseram animam tuo pretioso sanguine redemptam infeliciter perire, & in æternum rapi interitum? postea cum Mauro confidet, & quibuscumque potest rationibus persuadet, vt ad Catholicam



licam fidem rediens peccata per confessionem abluat. Respondet ille Christianum se mori velle, & Christianam fidem ac legem profiteri; confessione verò peccatorum se non egere, qui iam omnia Parocho suo patefecisset: tunc noui nihil memoriæ occurrere. Itaque neque minis, neque precibus quidquam ab eo impetratum. Ad extremum ducitur, patibuli scalas ascendit, lapides instar imbrium in eum mittuntur. hîc periculum fecit cautum, & dolor mentis oculos aperuit, & quod Patris preces non potuere, puerorum lapides impetrarunt. genua, vt potest, flectit, pollicibus crucem exprimit, eandemque osculatur. mirum dictu, repentè lapidum imbres, qui vndique in eum iaciebantur, cessant. descendit per scalas Maurus Christianè se mori velle clamans. præstò adest ei noster sacerdos. ille totius vitæ criminū à Deo & hominibus veniam lacrymis petere, Christianam fidem amplecti, ac publicè profiteri, Mahometanam superstitionem detestari. Denique sic insigniter diuinitus est immutatus ad pœnam illam exoptandam pro suis peccatis, ad laqueum pro monili ducendum, ad crucem deosculandam, vt factum illud eo commemoratione & memoria dignius extiterit, quo magis omnes iam de illius salute desperauerant. Domi auditæ confessiones. frequentissimè itum ad carceres, ad xenodochia: in quibus de diuinis rebus habitæ adhortationes, pauperum & ægrotantium miseria solatio, consilio, eleëmofynis, ope subleuata. Foris excursiones factæ in vicinos pagos. duo sacerdotes ad duo oppida missi, in quibus sexcenti supra mille numerantur homines, qui sacram Eucharistiam sumere consueverunt: ex iis mille & quingenti facti crimina, & multi totius vitæ. In altero istorum oppidorum, noster aduentus, vt assolet, initio non admodum  
gratus,

gratus, in fine populi totius gratiarum actione ex ingenti animorum vtilitate orta gratissimus extitit. Excursio alia in aliud oppidum facta: quod Patrum alter licet recuperandæ valetudinis gratia petiuisset; nihilominus tradenda Christiana scientia, docenda virtute, vitiis dedocendis, obita solita missionum munera, solitiq̄ue labores consecuti sunt. Dei clementia fructum non pœnitendum. Redintegrata pax inter aliquot, qui infestis inter se odiis non ancipites modò tenebant oppidanorum animos, sed propè distractos, ita vt quoddam ciuile bellum expectaretur alterius partis internecone finiendũ. Virginis pudicitia, quæ valdè periclitabatur, nostrorum operâ nunc & in posterum remansit illæsa, siquidem virgo virginum cœnobio se abdidit. Præcipuus in hac domo fructus extitit in Quadragesima, in qua habitæ cõciones à tribus è nostris, in aula regia ad Proregem, eiusq̄ue consiliarios, in præcipua huius vrbis parœcia, in nostro templo magno ciuium applausu, non minori fructu. Ædes nostræ frequentatæ ab omni nobilitate, conciliati filij parentibus, euulsa odia inueterata, factæ restitutiones æris alieni famæque. Multi denique à flagitiosa vita atque à vitiis abducti, confessionibus audiendis, explicando catechismo, monendo, hortando verbis, & quod caput est, exemplo. Et quoniam hæc domus magis de proximorum comodis, quàm de suis cogitauit, diuina clementia ac liberalitate, per ciues in temporalibus nobis subuentum est adedò munificè, vt occasionem occuparint vltro de nobis bene merendi.



*Collegium Valentinum.*

**I**N Valentino Collegio præceptores quatuor Theologiam docent: duo Scholasticam, Moralem alius, alius denique sacram Scripturam, nostri auditores in litterarum ac virtutum studia pari ardore mentis incumbunt. Illud testantur disputationes tam priuatim, quàm publicè frequenter habitæ: hoc ardor & omnium studium ad pietatem atque virtutem. Ex ijs sacerdos vnus & fratres duo cum Patre Nostro Generali sapiùs per litteras egerant, ad Indos eorum saluti procurandæ vt mitterentur. haud dici potest quàm alacriter nuncium facultatis obtentæ, & profectiois suæ audierint omnes, quàmque libenter & auidè obortis præ gaudio lacrymis tam longo, difficili ac periculoso itinere se commiserint, promptæ obedientiæ & ardoris quo flagrabant salutis animorum signa præbentes manifesta. Sodalitas Parthenia magnos hoc anno fecit progressus: ex ea quinque in alios Religiosorū Ordines adscripti, in nostram Societatem vnus: nec desunt exercitationes litterariæ, quas plures Doctores ex ijs, qui Philosophiam ac Theologiam in Academia publicè docent, sua præsentia & argumētis ornant. Solemni Quadragesimæ ieiunio ter in hebdomada, reliquo anno bis, diuerberationes corporis ab Ecclesiastico laicoque ordine magna cum frequentia sponte susceptæ: quibus semper exemplum è Sanctorum historia exponitur. Catechismus pluribus in vrbe locis, & in vicino pago non sine fructu expositus Omnibus diebus festis itum ad nos doctum. Quidam ex religiosa familia sui facultate Superioris totius vitæ crimina generali confessione expiaturus ad nostrum Collegiū accessit. Is adhuc laicus cùm esset,

de



de more habebat omnes Religiosos viros hospitio excipere. Fortè quadam die in senem talari indutum veste, oblonga barba, aspectu ipso venerabilem, modestū (Macarium alterum, aut Paphnutium crederes) stipem corrogantem incidit in platea. De more illum domum adducit suam, prandioque adposito, orat vt benedicat. ille ea, quam præ se ferebat animi submissione & modestia, se perhibet indignum, qui hoc præstet; sine benedictione cibum sumit. inter prandēdum varij commisti sermones. hospes interim hospiti monacho sua aperit desideria, quibus indies accendebatur magis ad deserendum mundum, & se totum Deo mancipandum. conscientia suæ rationem tamquam spiritali Patri reddit, & illud præsertim addit, se Confessionis & Eucharistiæ Sacramentis frequenti vsurpatione vti, quæ viderat à Patribus Societatis Iesu fuisse valde commendata: quibus re ipsa & experimento certissimo compererat ad comprimenda vitia, virtutes assequendas iuuari se non parum. Tunc monachus longo sermone ducto, frequentem Sacramentorum vsus dissuadere, illud præsertim ne Patribus Societatis vniquam ad confitendum vteretur. quippe qui arctam iam satis & onerosam viam quæ ducit ad cælum, noua onera confitentibus imponentes, arctiorem & molestiorem redderent. Hæc & alia sub prandium dum euomit senex, aspectu suo horribili tantum metum & stuporem hospiti iniicit, vix vt apud se esse videretur; adeo vt crines præ timore erigerentur. Sic magno strepitu, & fetore teterrimo euauit ille: quibus omnibus facile sibi persuasit, hospitio se accepisse caco-dæmonem, qui aliquando in Angelum se transfiguratur lucis. Hinc mirè auctum desiderium nostris sacerdotibus deinceps crimina aperiēdi, vbi cumque illi sese offert occasio, pro certo habens, eo

præclariùs secum actum iiii, quo molestiùs id dæmon ferat. Sacra supellex aucta quatuor sericis casulis, sex item sericis antependiis, quibus altaria adornantur. In villa extructum triclinium & sacellum satis amplum D. Michaëli sacrum: ædificata etiam hoc anno pars altera domus rusticanæ, in qua famuli commodè degere possunt, qui antea magno nostrorum, qui ibi commorantur incommodo, intra nostros priuatos parietes degebant.

### *Collegium Cesaraugustanum.*

**H** Abuit hoc Collegium maiore anni parte Socios octo & quadraginta: sacerdotes nempe octodecim, scholasticos decem & quatuor, reliquos verò Coadiutores. E vita excefferunt probatæ virtutis duo: alter P. Didacus Morales, natione Valentinus, patria verò Setauensis, ac quatuor votorum Professus: alter P. Petrus Castillo, qui cum viuus Dei iudicium maximè exhorresceret, pacatissima morte decessit. Adgregati in Societatem scholares septem, & Coadiutores tres. Sociorum non domi solum probata est virtus, & ardor spiritus, sed ad alienas etiam utilitates emanauit, tum concionibus habitis nostro in templo, & reliquis vrbis, tum hortationibus in custodiis publicis, & in platea octauo quoque die post Catechismum exhibitis. Quadragesimali tempore eodem quo aliàs ritu, fit, sed maiori concursu flagellatio. Præter confessiones repetitas vniuersæ vitæ, quas vnus è nostris plus minùsue centum exceperit, communionum & confessionum fructum ostendent hæc pauca de multis. Femina profusioris vitæ confessione apud quædam nostrum peracta, eiusdem cura & monitis sese infamiæ exemit, & peccandi licentiæ, fuitque cum

cum honesto viro coniuncta. Vtroque orbæ parente sorores duæ honestæ, ex nostri sacerdotis consilio, & post varia experimenta renunciarunt sæculo: nunc verò non sine monialium & populi exemplo maximo perseuerant. Pius quidam vir ex iis qui nostrum frequentant Collegium quadam extraordinaria accessit hora & die vt animum expiaret sacerdoti, qui obuiis pressus negotiis cum iam confessionem in alium diem differri monuisset; ecce è vestigio diuinitus mutato consilio, audiuit confitentem insolito prorsus pietatis & doloris sensu. Tunc is inuiso prius augusto sacello, in quo Beata Dei mater supra sacram columnam colitur domum regressus, eo interuallo quo vix Symbolum recitares, Iesum intermorta voce appellans, expirauit. Factæ sunt excursiones quatuor, & plurimi fructus hoc esto argumentum, quòd præter innumeras confessiones tum ordinarias, tum vniuersæ vitæ, quas ob pietatem viuentes confecerunt, auditi sunt plurimi, quibus necessum fuit patrata in Deum crimina per annos sex, octo, sexdecim, octodecim, vigintiocto & triginta repetere. Recisæ multorum inimicitia, obuiam itum inueteratæ per viginti annos inter patrem filiamque discordiæ. Virginis Matris Sodalitia quatuor pietatis muneribus claruerunt. Principum virorum Congregatio collatitia pecunia non paucos carcere liberauit. Prælectione Theologiæ moralis aut Casuum frequētant externi scholastici eo concursu & plausu, cui parem in Academia ex Doctoribus nullus hactenus habuit Munificentia & pietas aliquorum auxit maximè templi ornamentum, duabus ianuis ad vtrumque latus aræ maximè affabrè structis, quæ centum quinquaginta aureis æstimantur.



*Collegium Turiasonense.*

**H**Abuit hoc Collegium diu hoc anno decem & quatuor Socios: alit nunc nouemdecim, septem scilicet sacerdotes, totidem scholasticos, & Coadiutores quinque. Omnium ferè virtus elimata varijs ægritudinibus magis inclaruit. tribus Grammatices præceptoribus additus quartus: qui orsus est hoc anno Philosophiæ curriculum discipulorum numero non cõtemnendo. Primam prælectionẽ Canonicorum Collegium; & magistratus cum reliqua nobilitate sua præsentia illustrare voluerũt, affixaque ad augẽdam celebritatem poëmata omnis generis, & reliquis apparatus non paruæ fuit omnibus voluptati. Magnam omnium in hac ciuitate erga B. Parentem Nostrum Ignatium pietatem præter alia ostendunt plura, quæ in memoriam beneficiorum ab eo acceptorum offerũtur, tum cerea, tum argentea donaria. fouetur indies hæc pietas nouis miraculis, quæ fide publica stabiliri curamus. Externi auditores dederunt specimen eloquentiæ & ingenij, tum recitata parænesi de B. P. N. Ignatij laudibus, tum carminibus varijs, & hieroglyphici propositi explanatione non sine præmiis, & lætitia Episcopi & ciuitatis. Venio ad huius anni messem fructusque perceptos ex concionibus, quas in Aduẽtu, Quadragesima, & aliàs habet nostri non sine plausu. De confessione noster sacerdos cum aliquot in concionibus egisset, plurimi haud inoffensæ famæ labes animi, quas in antea acta vita collegerant, expiarunt insigni omnium exemplo. Multum præterea fraudatæ pecuniæ restitutum; sublata discordiæ; multorum inopiæ subuentum; occursum frequenter carcere oclusis, & in valetudinario iacentibus auxilio, consilio, solatio.

Con.

Confessio & communio in æde nostra vt plurimum frequens est: at celebrioribus festis Christi & B. Virginis tanta est confitentium vis, vt sacerdotes nostri septem vix queant omnibus satisfacere. Animaduersum est festis Paschalibus, in hoc vno Collegio ad satisfaciendum Ecclesiæ præcepto plusquam mille & tercentum capita confessione animos eluisse. In Quadragesimalibus hebdomadis ter, in reliquis totius anni semel fit diuerberatio ritu solito. eodem ieiunij solemnibus tempore bis in hebdomade, in xenodochij templo exemplum plenius enarratur: ex quo plures pleniorum sese fructum reportare adfirmât quàm ex pluribus alijs concionibus. Exercitijs spiritualibus exculsi sacerdotes septem: ex quibus vnus eodem quo egressus est die pauperibus debitoribus quos commodaue- rat plusquam quinquaginta aureos, redditus & pignoribus, indulxit. Maurus quidam Argeritanus voto baptismi huc fortè peruenerat. Catechismum à nostris edoctus, eorundem monitu adijt vrbis Antistitē, qui eum Dominica (quæ ab albis Catechumenis nomen habet) sacro abluit fonte baptismatis, spectante & laudante ciuitate vniuersa. Audiuit quidam è nostris iubilei cuiusdam tempore totius vitæ præuæ acta confitentes moniales, quæ sub Episcopi cura sunt, eiusdem rogatu: & eluxit nouus in illis spiritus ardorq̃ perfectionis monasticæ. Vtraque Congregatio de more in dies magis efflorescit: quæ ex scholasticis coalescit, peperit alios alios Religionibus, Societati duos bonæ spei adolescentes. Celebrabant Sodales intra priuatos parietes dies Annunciatae Virgini sacros, dialogo de eo mysterio composito. Id subodoratus Episcopus, alijs grauioribus stipatus viris, repente interfuit, laudauitq̃ tum grauitatem dialogi, tum venustam recitatum actionem. Altera Congregatio



aucta est reipublicæ prætoræ ( Iusticiam vulgus vocat ) & quatuor iuratis Patribus in eam adgregatis. Vltimus dies bacchanalium fuit in nostro templo publicè exposita Eucharistia multo carmine, concentu, concione, & supplici oratione conclebris : quo, mirum, quàm est frenata præceps & effrenis vulgi licentia. Scholastici Sodales aquis pluuiis deficientibus ad proxima vrbi pia sacella supplicationes inierunt, recitantes Dei matris & Sanctorū litanias. Secuti horum exemplum alterius Congregationis socij, qui eodem ordine partitis & compositis agminibus, nunc orantes, nunc litanias concinentes, pia etiam loca leucam & plus ab vrbe distantia inuiferunt, ibique peracto sacro altaris mysterio, cælesti refecti pane regrediebantur. Vidit vniuersa ciuitas factum laudauitque, & adprobauit Deus misso de cælo imbre largissimo & oportuno. Et vt taceam excursions ad vicinos pagos, illæ tamen factæ ad duo Castellæ insignia oppida huic Episcopatu subiecta, non videntur omnino subiticendæ. In altero concionatus est noster sacerdos Quadragesima maximo cōcurso, adprobatione & fructu. decisa odia, leuata multorum conscientia graui onere peccatorum. Catechisimum & pueri & viri alacres frequentabant. Tribus diebus in hebdomade exemplo prius proposito diuerberabat se tanta hominum multitudo, vt multi templi satis ampli angustiis arcerentur. Ex his de reliquis coniectura fiat. Diebus solemnibus Pentecostes adiit alterum oppidum iussu Episcopi idem sacerdos : cui etsi euincendæ primùm fuerint difficultates aliquæ, mox tamen omnes concionibus & catechismo cum voluptate & fructu interfuerunt. absoluti plurimi: amicitia stabilita; aliaque similia vulgaria quidem nobis & contrita, sed Deo congratissima.



*Collegium Barcinonense.*

EXclusis hospitiis confluentibus vndique ad hanc ciuitatem, qua iter ad Italiam Galliasque, Collegio non exclusis, numerantur Socij triginta duo: sacerdotes 16. horum tres Theologiæ professores, 7. scholares, reliqui domestica munia curant. Societate donati scholastici 5. Coadiutor vnus: naturæ satisfecit Pater vnus. Officia Societatis aciore animorum contentione, maiore fructus (quàm numquam alias) vbertate præstita: concionando, confessiones audiendo, cum mortis angoribus conflictantes animando, in publicis custodijs, valetudinarijs, & triremibus ad hunc sæpius applicantibus portum. vnde maior ad nos pœnitentiũ multitudo & vicinorũ concursus. Multi & egregij concionatores è nostris, cùm mane, tum inclinato in postmeridianũ tempus die, magna ciuitatis effusione in æde sacra de diuinis rebus verba fecerunt. In quadam vrbs parœcia solemnij ieiunij tempore concionatur Pater, qui singulari pietatis ardore & proximorum studio incitatus, ad delendas totius vitæ maculas, ad Religionis portum capessendum, ad æs non leuè restituendum multos incitauit; plurimos à peccatorum sentina extraxit, & ab irarum acerbitatibus ad pacis & amoris libertatem non paucos vindicauit. Frequenter itum ad xenodochium, vbi tum viris, tum feminis datæ aures, vel à prima pueritia peccata euomētibus. Mulieres non pauca à turpi corporis quæstu auocata. nec desiderata nostrorum cura in carcere, quò se designato hebdomadis die conferentes, vel peccatorum cætenis adstrictos liberant, vel pijs adhortationibus emolliunt animos. Pro virili nixi sunt Religiosi homines mortis supplicio damnatos confirmandi

oncre

onere curaque nos eximere. sed irrito conatu. Ex cursu namque rerum euentorumque consequentia animaduertens regius Barcinonensis Senatus, quanto cum fructu partes hac in re suas tucatur Societas; sancitam multos iam annos, ratam haberi voluit legem, vt præter Societatis viros maectandis fontibus ad vltimum vsque spiritum assistat Religiosus nemo. Ex his vnus tam grauiter & irato animo promulgatam necis tulit sententiam, vt cacodæmonibus accitis se maledictis proscindens, quem collo insereret, laqueum quæreret: nostrorum tamen tolerantia & adhortationibus, cæci oculos aperuit æterna lux, qui grauius eo susceptu dolens & lachrymans consiliu, quo turpius a salutis via alienus videbatur; ingenti animi dolore pœnitentiaque commissorum scelerum, mortem sustinuit a carnificè inflictam. Spectata multos indolis ad sacratas Deo familias misimus. Magna in vrbe nostrorum probitatis & scientiæ opinio. quos non solum omnium ordinum priuati homines consulunt in implicatis conscientia & contractuum quaestionibus; verum etiam ciuitas vniuersa & eius Senatus, Deputati viri, Prorex & Episcopus acciunt ad res publicas bene feliciterque deliberandas, & eorum consilio auctoritateque dirimendas. Quod mirum quanto cum fructu. cognoscant ipsi & animaduertunt, quam sollicitè prudenterque nauarit operam Societas, in componendis a Rege Philippo dissidiis abalienatis Reipublicæ animis. vsi sunt vel maximè nostrâ operâ Deputati Patres in publicis regni negotiis; re & verbis præferentes suum erga Societatē amorem, & quouis tempore nostris opem ferendi desiderium. Specimen præbuere singulare Prorex, iurati & Deputati Patres, communi consensu scriptis ad Concilium Prouinciale Tarraconense litteris, quibus supplices Episcopus



scopos & Abbates obtestabatur, vt sacri eius conuētus nomine à Clemente VIII. efflagitarēt precarenturque, B. P. N. Ignatium Sanctorum numero adscriberet: incitati nimirū, collectis partim vberimis ab eius Religione fructibus, partim miraculis, quæ recenti nunc memoria Barcinone actoto Catalauniæ regno diuinitus Ignatio contigerunt. Legatus à Prorege Concilioque Regio mittitur Archidiaconus: litteras offert Patribus. æqua ad eò visa postulatio, vt singuli nouis rationum momentis, rem conficiendam propalam confirmarent. Ita vna omnium voce & sacri Concilij imperio ad Sanctitatem Clementis VIII. exarata est epistola, summissè enixeque canonizationem B. P. Ignatij obtestans. Rescripsit postea Concilium purpuratis huius & Minoresæ vrbis Patribus, Deputatis viris, Proregi eiusque Senatui gratiarum actione plenas epistolas, quòd tam pia in memoriam reuocassent, tam iusta per Legatum contendissent, suas vt singuli litteras, Concilij fasciculo adnecterēt, officiosè postulans. Ter hinc excursus hoc anno: bis ad ciuitatē Minoresæ: solatio fuimus ciuibus; fecimus satis, in B. P. Ignatium, & loca omnia superioris vitæ pœnitentia lachrymisque nobilitata, conceptæ pietati religionique, semel ferriis Sanctissimæ Eucharistiæ consecratis; vbi Patres duo diuinum verbum seminantes, multo cum fœnore fructus perceperunt. Quippe in octo quasi partes diuisa ciuitate singulæ singulos dies assumpserunt magna pietatis contētione, musicis instrumentis, candentibus cereis, ac iucunda ramorum viriditate, floribus suauiter olentibus intertextis celebrandos. Certabant ingeniis, & nouis quotidie inuentis, herbarum arborumque frondibus, templi parietes eleganter ad eò vestiebant, vt penicilli opus iudicasses, admiratione defixus. Res fuit  
omni.



omnino visenda: lotis conscientiarum maculis celestis mensarum conuiuarum facti complures. His ita ciuitas excitatur, ut comitiis habitis consequenti quoque anno variis musicorum generibus conducendis sumptus facere in animum induxerit. Festis huiusmodi ac solemnibus diebus (tunc enim ad urbem venerat) pia & erudita concione finem imposuit Vithensis Episcopus. Is ostensurus quam iucundissime sibi illaberetur & adflueret pietatis ardor, quo in B. P. Ignatiū ac loca eius illustrata vestigiis tota ciuitas ferebatur; religiosè sapius inuitit ipse, & miram redolentia sanctitatem perlustrauit, in se recipiens instaurare omnia, sacro in antri vertice (ad quod se recipere Ignatius consueerat, ter se diebus singulis acriter verberaturus) extracto sacello; atque etiam crucem reficere pollicens, ad quam cœpit ita in Deum intellectu ferri, quasi Sanctissimam Trinitatem cerneret, specie quadam visibili id significante exterius quod interiorius percipiebat. Lustrata iterum est Minoresa Aduentus tempore. tanta derepentè morum subsecuta mutatio, ut Quadragesimā dixisses incidisse. Præter fidei rudimēta pueris tradita, festis ac Dominicis diebus bis populū, terque singulis hebdomadis sacra oratione edocebant fructu haud pœnitendo. Tertia excursio facta à Patre in Ilerdam ciuitatem ac vicinos eiusdem pagos, in quibus morum visa conformatio singularis; ac plurimi interfuit, ut Episcopus & ciuitas vniuersa summis expeterent votis, ac residentiam (quæ fixa iam est) Societatis extorquerent. De his sequenti anno plura. Sunt in hoc Collegio Cōgregationes duæ: Theologorum ac Philosophorum vna, qui in virtutis & ingeniorum palestra, propositis conclusionibus exercentur: nec desiderantur ipsi Academiae magistri & Doctores. sic dum ad virtutes inflammantur,

rur, in studiis progressus faciunt. Festum ac solem-  
 nem diem egit tutelaris sui, sancti Dionysij mar-  
 tyris nomine consecratum, soluta oratione & dia-  
 logo latini carminis, quo intuentium animi miri-  
 ficè pascebantur. Alter est sæcularium hominum  
 cœtus, quorum secundum propriam animorum  
 curam hic scopus, vt mendicorum valetudinaria  
 lustrent, iacentes in lecto genialiter tractent, yin-  
 ctos carcere liberent. Id quanto cum ædificationis  
 exemplo? Crescit indies & deuotionis igne & So-  
 dalium numero. vel hoc vno conicere poteris,  
 quòd magnum opus susceperint sponte, vbi am-  
 pla & magnifica exstructa contignatione quàm fa-  
 cillimè congregentur. mille aureis stabit; sexcen-  
 tos hucusque numerarunt, suntque constanter a-  
 nimati ad vltimam vsque manum imponendam.  
 Primis tenebris ex vtroque conueniunt Sodalitio  
 ad corpus funiculis macerandum, bis toto anno,  
 ter Aduentus & Quadragesimali tēpore. Sex è no-  
 stris scholares in distinctis vrbis locis, catechesim  
 pueris explicant fructu non contemnendo, paren-  
 tum voluptate singulari. Duæ Theologiæ lectio-  
 nis patent omnibus, in quibus propter manantem  
 latius magistrorum eruditionis famam, externo-  
 rum auditorum, qui plus centum numerantur, de-  
 sideratur nemo. Fratibus alia exposita de officiis  
 lectio priuatos intra parietes. Prælo mādatur The-  
 ologiæ scholæ habitæ de more, vno è nostris mo-  
 destè gnauiterque inuadentium impetus propul-  
 sante, in amplissima Episcopi, Doctorum, Canoni-  
 corum, & Deo sacrorum hominum corona. Cor-  
 rasus, diuina bonitate, eleēmosynis amplificata  
 Collegij gaze: quod multos annos graui ære con-  
 tracto ad summas venerat angustias. Philippi Re-  
 gis Catholici beneficio quadringentos aureos à  
 Cathalonix Prætoze obrinuimus; totidem alius  
 cor-



concessit, trecentos & quadraginta vnus, quadringentos alter, mille alius, duo item quadringentos, centum & quinquaginta quidam stipis titulo numerarūt. Ita extulit caput Collegium, & sacra templi supellex tenuit incrementa tribus altaris antependiis, ac totidem casulis pretiosissimis dono datis, quæ quadringentis aureis æstimantur. Vltis aperuimus cuniculum in prædio, vt aquæ scaturiginem, cuius nulla antea vtilitas, fistulis ad domum recreationis deriuaremus. Proprietariis, quos vocant, satisfacimus; quibus mille & quadringenti aurei debebantur. mille & quadringentarum librarum pondus ab amicis mutuo & tabernis acceptū restituumus. Bibliothecæ septuaginta, Collegij redditibus asses quinquaginta accesserunt. Viuentes adhuc feminæ duæ annui reditus centum aureorum heredes fecerunt. Disseminata Barcinone & Minoresæ deuotio & sanctitatis B. Ignatij opinio altiores emittit radices, & nouis indies miraculis obfirmatur diuinitus. hæc visa annuis non indigna. Puellæ Beatricis claræ ortæ parente Hieronymo de Iosa (cui multis annis minoris Balearis gubernatio demandata) octo abhinc annis tuberare cœpit collum, ac purulenta sanies scaturiens vlcuscula 7. aperuit. Acciti medici & chirurgi scrophulas dicūt. Ab eo tempore exquisita & casta adhibent medicamenta. vlcerum enim depascentia abscessus fit in pectore, & grandioris instar argentei erumpit vulnus, quo salus ac vires defluebant: adeò vt desperantes de vita medici, artem omnem industriamque chæradum malitia victam omni asseueratione confirmarint. Fixit opem omnem mater Angela de Iosa in cælestibus medicinis, cum falli penitus humanas omnes comperisset. Audierat huius vrbis Episcopum pro sacris rostris de insignibus miraculis differentem, quæ recenti memoria



moria diuinitus Ignatio contingebant. Ergo ardens pietate Ignatium propitiat, enixè pro salute filix deprecatur. At quoniam eius speluncę lapidis puluere (in qua Minoresę grauer offendum placauit Numen) multa edita miracula auditione perceperat, eo septē puris spiracula adspersit. nec spera fefellit euentus: paucis enim diebus tria sanata omnino reperit. nec prius à puluere conspergendo destitit, quā fuerint omnia perfectè salutē restituta; cicatricibus dumtaxat, ne minimis doloris aut molestiæ extuberationisue reliquiis remanentibus. Nimirum cibariis omnibus vsa est ægra, medicis obluuantibus ab eo tempore quo melius habere cœpit. morbum radicitus euulsam puellæ confirmant natiuus color, accitæ vires, & robusta valetudo, in qua annum & plus integrum perseuerat. manibus collum medici ac chirurgi contrectarunt, curiosè multi inspexerunt, non humana arte, sed diuina ope B Ignatij precatone leuatam testantur omnes. Annis multis Matrona nomine, femina, sic malè crura exulcerata habebat, vt procidere in genua sine graui dolore nequiret: nostra ætate B. P. Ignatium multis prodigiis clarum & miraculis illustrem, qui confirmabat concionatorem audit. Sanctissime Trinitatis sacellum, vbi imago Ignatij religione colitur, inuisit commota pietate. Ecce tibi nocte consequente oris habitu ad humanitatem composito & iucundus ad aspectum sese illi offert Ignatius. Tunc femina tali facie recreata preces ingeminat, crurium plagas sanari etiam atque etiam postulat. Audit gemitus Ignatius, manibus benedictionem applicat loco medicinæ. Res mira. subitò ab alio crure morbus expulsus, aliud indies subleuari cœpit. vtrique demū salus allata B. P. Ignatij benedictione. Ioannæ Martinezię ita mamilla altera erat interclusa, vt

partu enixa prolem, cum retrusum sponte lac manare prohiberetur, graui dolore cruciari toto corpore videretur. Quippe fœdè mamma excreſcēte, atrociterque tribus vlceribus aperta, effluebat lac, ac donec extinguebatur eadē vi morbi laborabat. demum tertia an quarta edita prole, solito afflicta tentat omnia, nihil non efficit; sed prorsus nihil efficit. angitur animo corporeque, id quod erat manifestum exulcerationis mammæ periculum timens. addit animos eius soror, spe salutis erigit, cooperiat mamillam suadet culcitæ eius stramentitæ parte, in qua Barcinone degens B. P. Ignatius dormiebat. Mirum dictu, vix canabinam telam superimposuerat, cum de improviso manare incipit lac, infanti mox vbera sugenda porrigit, vi omni mali in posterum excussa.

### *Domus Probationis Tarraconensis.*

Quamuis in hac Domo varius sit Sociorum numerus, semper ferè aluntur in ea 46. & in præſentia nouē & 40. numerantur: sacerdotes 11. ex quibus tertium probationis annum ponūt tres, & primū itē tres; fratres 38. sunt: ex quo numero 13. laici, sex antiquiores, reliqui 7. nouitij; scholastici quinque & 20. adscripti in Societatem 24. in quibus Theologiæ Doctor fama & doctrina nobilis, atque omnibus naturæ muneribus instructus. Cohortatio R. P. N. Generalis per epistolam ad exercitia spiritualia vehementer omnes inflammauit, eisque vacarunt paucis exceptis. Has meditationes subsequuta est votorum instauratio, qua confirmati spiritus, & maiores assumptæ vires ad progrediendum in spirituali vita. Sacerdotes licet pauci & satis domesticis rebus occupati, audiendis tamen confessionibus, concionibus tradendis, alijsque in proximo-



morū vtilitatem officijs non defuere. Habitæ quibusdam monialibus spirituales hortationes nō line maximò fructu. Patres qui iam tertio exercētur anno, cum nouitijs vicina loca adeunt Dominicis diebus ad fidei capita rudibus tradenda. quod licet laboriosum sit, vtile tamē & fructuosum valdè & ipsis & externis, qui ad sacra Confessionis & Eucharistiæ mysteria obeunda excitantur. Ex ciuium & opificū genere condita hoc anno Sodalitas, cui nomina sua dedere Ecclesiastici etiā aliquot, Canonici & Portionarij, qui omnes feruentiores ostendunt animos ad omne pietatis opus. speraturque fore, vt in magnum commodum & vtilitatem vniuersæ ciuitatis Tarraconensis cedat, & in Dei, cuius est incœptum opus, eiusdem progressus & finis laudem & honorem maximum. Inuisunt frequenter carceres & ptochodochia, quod vt res omnino noua & admirationem parit, & multos ad deuotionem excitat. Mox atque instituta est Congregatio, quidam colica vexari cœpit, alijsque acutissimis torqueri doloribus, qui biduo eò hominem perduxere, vt iam de eius vita actum putaretur. meminit interea ægrotus cohortationis, quam paucis antè diebus ex sacerdote nostro audierat de innumeris bonis, quibus Sodales perfruuntur, quantaque cura & diligentia à Deipara protegantur, foueantur, defendantur. Cùm hoc animo versat, statuit si conualeat se curaturum diligenter in Sodalitium aggregari: moxque melius habere cœpit, & breui deinde integrè conualuit Ad nostrum postea templum accessit Deo grates acturus: confessioneque expiatus superiora narrauit. Hoc ipso anno multis varijsque morbis Tarraconensis ciuitas est afflictata, morborumque vis ad nostram vsque domum pertigit: plures enim grauiter laborarunt, qui morbum beneficij loco accipere sua singulari patientia & hilari vultu ostende-



runt. duo è vita exceſſerunt, ſacerdos alter, qui ſuo tertio probationis anno tam egregiè ſe comparabat omnium virtutum exemplo, vt ſperemus Deum cæleſti præmio mercedis loco illum fuiſſe dignatum. Alter erat ex his qui ad domeſticam procuratiõnẽ admittuntur, annos natus 66. ex quibus ſex & 30. in Societate egerat. Is quidem vir erat ſingulari præditus virtute, religione atque exemplo, ſincerus corde animoq̃ue candidus & purus, Iſraëlita verus, in cuius ore nullus inuentus eſt dolus; eò denique peruenerat perfectionis, aſſidua virtutum omnium maximeq̃ue mortificationis exercitatiõne, vt omnes animi motus paſſionesq̃ue ipſi ſubijci viderẽtur. nulla enim omnino res illum perturbabat, omnis in eo virtus effloruit, maximè verò animi ſubmiſſio, obedientia, caritas, quæ ſunt cæterarum fundamentum. res domeſticas procurantem adiuuabat, obſonatoris præcipuum eius erat officium: quod tanta modèſtia & externorum exemplo præſtabat, vt nullus vñquam, etſi 20. plus annos de rebus ad hoc munus pertinentibus varijs cum perſonis egerit, de eo ſit conqueſtus, aut illum verbo aliquo offenderit. Imò potiùs illa ſua ſingulari modèſtia, quam & oculis & ore oſtendebat, eos omnes quibuſcum tractabat rapiebat ad ſe, ſibiq̃ue deuinciebat, ita vt quiſquis nihil non pro ipſo efficeret. magna erat in vniuerſa ciuitate de eo opinio ſanctitatis. quare eius obitus multorum commouit animos Plures magnæ auctoritatis viri, inter quos etiam Epifcopus Ilerdenſis cum eo conuenerant, vt pro eo, qui primus decederet, preces variaq̃ue ſuffragia ſuperſtites offerrent: cum verò ei ſors obtiſſet, reliqui quod promiſerant præſtiterunt. Ex quibus multi domum venère, ſtratiq̃ue humi ei reuerenter ſunt oſculati manus. Adeò præterea obedientiſſimus fuit, vt ſi quid ei Superior faciendum

iniun-

iniungeret ni fessus esset, cum tamen fatigatus sæpè esset, se id efficere bene posse semper responderet. vnde ardenti promptoque animo quidquid mandaretur, licet difficile & laboriosum, executioni mandabat, nihil repugnando, nihil proponendo, nisi id rarò, breuiter, & magna animi submissione. atque hoc quidem in his quæ ad eius officium pertinebant. In omnibus paupertatem, vt Religionis murum dilexit: si tamen præcipiebatur ei, vt rein aliquam etsi magni pretij cõmeret, mox se ipsum euincendo, quærebat, mercabatur, adferebat. hinc etiam oriebatur, vt sibi recentem aliquam vestem confici nollet, & laceram occuleret, ne alia daretur. quòd si accipere aliquando cogebatur, quam deferebat laudabat, addebatque sibi eam & vilio-rem sufficere. Ne otiosus aliquando esset, habebat in cubiculo parata aliqua, vt spartum, vt tempus, quod ex munere superesset, impenderet restibus, funiculis, alijsque cõficiendis. Longæius licet peculiare nihil sibi petebat, aut dari patiebatur, ceteros sequi malebat in omnibus. temperatissimus in potu & cibo, Quadragesimam integram semper ieiunabat, quin oua comederet: vt feruentissimus quisque nouitius. nam etiam in senectâ sese in omni mortificationis genere exercebat: diuerberabat assidue corpus, maximè verò oratione matutina soluta: cui orationi assidue deuoteque vacabat, cum Deo tamquam cum familiari colloquens: quem etiam interdum præsentem ferebat semper; & quando occupationibus expeditus erat, statim confugiebat ad Venerabile Eucharistiæ Sacramentum. nec festâ atas obstabat, quo minis flexis continuò genibus quietè ac reuerenter adsisteret atque oraret, vt inspectantibus admirationem pareret: tantumque flagrabat huius diuini cibi amore, vt præter Dominicum diem, etiam in ipsa hebdomada ardenti ani-



mi affectu ad hanc mensam accederet. Missas attentissimè audiebat, idque non semel quotidie, sed toties quoties per tempus licebat. quòd si integram non poterat, curabat cuiusque partem. Facultatem à Superiore impetrarat semel in hebdomade tironum cohortationi interesse, dabatque operam sic res disponere, vt tempus ad votum explendum non deesset. Carus erat omnibus, ipseque in intimis visceribus omnes ferebat: quo amore inflammatus aliquoties adiuit Superiorem, antè quàm in morbum incidere, petiturus, vt sibi liceret ægrotis periclitantibus inuigilare. vnde etiam si fortè aliquis defecisset foris, tam blandè domi admonerat, vt monitus ei gratias ageret. ita se in hac mortali ad immortalem comparauit vitam. Dies septemdecim ardenti & pertinaci feбри malè vexatus, nec ingemuit nec aliquod impatientiæ signum ostendit, vt videretur aut non ægrotare, aut certè eum sibi morbum, vt rem iucundam sibi quæsiuisse, sibi delegisse. quare cùm sacerdos eum confirmans diceret, Deum optimum maximū ei laborum meritum remuneraturum in cælo, respondit iam sibi satis esse persolutum. Alius iterum Pater cùm admoneret, vt morbi molestiam laboremque Deo offerret, responsum præbuit dicens: Hi labores deliciae sunt Parentis Dei. aliaque pia loquebatur, quibus ostendebat, quàm feruēs elataque esset eius mens, quando importunus morbus eum à meditatione cælestium, Dei que familiaritate non poterat auocare. Totius vitæ noxas confessus, sapius solito Eucharistiam percepit, instanter & sæpe petiit sacro perungi oleo, addebatque id sibi esse valdè necessarium. verebatur enim ne si differretur, efficiendum id esset cùm iam sui compos non esset. Denique his armis instructus in magna lætitia, colloquia miscens dulcia, extremum clausit diem, fruiturus



aterno. Sacristiæ casula vna & antependia duo ex candido serico villosò prensato addita sunt. omnia perpolitè phrygiata, & æstimatione plus minùs ducentorum aureorum. Frater vnus è nostris quater hospitalem domum adijt probationem exacturus, cumq̃ue infirmos multa pati videret & doleret, Deum exorauit vt ipsum toties morbo probaret. audiuit Dominus feruentem tironis orationem. eniuuèrò quater etiam ipse in lecto laborauit, ad- eoq̃ue exultans ac gaudens ac si in florido iaceret lecto; nec ipsemet poterat explanare, vnde tanta læritia. Duo ex hac domo Sacerdotes oppida quædam numquam obita lustrarunt, nec sine magna fructuum vbertate rediere. Magnus erat rigente hie- me in concionibus auditorum concursus: & vt alia communia omittam, quadringenti ab vniuersæ vitæ noxis per confessionem absoluti sunt. Inter parentes & liberos, inter generos & soceros, interq̃ue alios quàm plurimos pax composita mutuis amplexibus in signum perpetuæ in posterum beneuolentiæ. Ex his vnus qui odio percitus domum deseruerat, longum deinde iter confecit, suos parentes conquirendo, vt veniam supplex peteret facti, & in gratiam cum eis rediret: idq̃ue effectum magno totius populi exemplo. Triplex facta est coram testibus & tabellione aliquorum interitus publica à factionibus condonatio, quo pluribus alijs, hisq̃ue magnis cædibus occursum est, magna populorum gratulatione. publicè etiam quinque restitutus honor, quo imminetia vitæ pericula sublata. Vxor venenum coniugi parauerat, à quo scelere patrando concionem cum audisset à nostro sacerdote, animum auertit. Quidam arma coëmit, quinque hominibus à quibus iniuriam acceperat interimendis; vi tamen diuini verbi ita immutatus, vt non solum mentem illam abiecerit, sed &

arma ipsa empta diuendiderit, statueritque pecuniam & pro se & pro illis quibus necem moliebatur, pijs distribuere operibus. Scandalis & offensionibus publicis prouisum: malæ pactiones dississæ, & ad extremum, multis fama bona est restituta, quæ aliorum odio scædari & maculari vulgò cœperat.

### *Collegium Vrgellense.*

**D**odecim hoc anno Socios habuit Vrgellense Collegium, 6. videlicet sacerdotes, Grammaticę institutores duos, cæteros Coadiutores. Salus vt plurimum in omnibus integra. Pater Thomas Sepulueda vineæ Domini indefessus operarius, cum ad vicinos pagos docendos de more discessisset, multis perfunctus laboribus, ac dolore lateris vehementer pressus, in finitimo pago, vt strenuus in acie miles, occubuit magna animi tranquillitate, qui dum viueret, scrupulis frequenter & maximè angebatur. Elucebat in eo mira sui contemptio & simplicitas morum. Domi voluntarius ac libens abiecta quæque officia obibat; sanus ministrabat ægrotis, in missionibus totus erat diu noctuque, in concionibus, confessionibus, catechismo, quouis cibo, quouis lecto contentus. Et sanè harum rerum incommoditatem in Pyrenæis præsertim montibus fuit expertus. Excursionem ad pagos & Pyrenæos proximos montes factæ. Itum Quadragesimali tempore ad vicinum oppidum, vbi Pater Thomas Sepulueda præclaram operam posuit cum fructu. Post Paschales ferias duo è nostris totam ferè æstatem in desertis & miseris admodum oppidis excolendis posuerunt: & labori Deo propitio respondit non pœnitendus fructus. Quidam è nostris (vnum recenseo, vt de reliquis coniectemini)

amplius quàm quadringentas confessiones audiuit, magno pœnitentium comodo. Pax inter dissidentes plurimos est composita; præsertim inter Curionem & oppidanos, quæ eo gratior, quo magis ex officio debita. Nec minor in vrbē messis ac fructus. In templo maximo diuini verbi sementem fecit vnus nostrum in Aduentu & Quadragesima. Institutum B. Virginis Sodalitium ex primariis ferè viris coalitum. Illud egregium: quo die instituta Cōgregatio fuit, à quibusdam eius alumnis curatum est; vt conciliaretur vir vxori, à qua iam diu dissidebat. Alius cum vxore quotidie rixabatur; curauit vt in gratiam redirēt noster sacerdos: vxorem primùm, virum deinde alloquitur; suadet vt pacificè viuant; & obtinuit. sed paucos post dies furore percitus maritus, extincta odia excitare cepit; tacuit tunc vxor, & viri furorem pacauit penitus silentio. Inter Canonicorum Collegium & ciues de iure quodam ac vectigali lite exorta, ita intestina gliscebant odia, vt quodammodo ciuile bellum immineret. malum hoc vnus è nostris Deo bene vertente prorsus auertit, persuadens dissidentibus, vt rem totam Episcopi arbitrio permetterēt. Catechismi explicatio diebus festis & pueris & grandioribus natu profuit, subsequente familiari concione ad innumeram multitudinem, quæ in forum è vicinis etiam populis confluit. Infirmis & detentis carcere nostrorum opera non defuit: quin curatum est vt à Congregationis Sodalibus hebdomadis singulis inuisantur. Schola aucta altero addito præceptore. studiorum instaurationi attulit principium oratio coram Episcopo, Canonicis aliisque nobilibus habita non sine auditorum voluptate. Templi ædificatio ferè ad culmen perducta, partim Episcopi liberalitate, partim Collegij redditibus.



*Collegium Balearicum.*

CEnsa sunt in hoc Collegio, vt plurimum, Sociorum capita sex & 20. 14. sacerdotes, & 12. Fratres. Ex sacerdotibus vnus Christiani hominis officia publicè docet: duo Philosophiam, tres Grammaticam & Rhetoricam. Scholæ sex adolescentes Philosophos optime spei pepererunt Societati; aliis verò variorum Ordinum familiis 22. Adiuncti sunt etiam nobis tres Fratres laici. Viri quatuor nobiles salubribus commentationibus ex præscripto B.P. Ignatij operam maximo animorum suorum fructu dederunt. Omnes Socij ad vnum alius alio tempore hoc anno morbis tentati sunt: sed haud ita multò post depulsa ægitudine recreati. Duo ex hac vitâ decesserunt. Primus fuit P. Guilielmus Barçelò in pago eiusdem insulæ natus & educatus, Coadiutor spiritualis 40. annorum ætate. sex annos in hoc Collegio Rhetoricam docuerat, decem studiis magna auditorum voluntate ac fructu præfuerat. vir eximia integritate, summa comitate, ac suauitate morum. Idem licet infirma valetudine tamen aliorum saluti & vtilitati diligentissimè seruebat, assiduis concionibus, explicatione catechismi, pueris ac numerosæ multitudini, quâ diebus festis in templo cõgregabat, & audiendis confessionibus: & propterea exteris æquè ac nostris vnicè carus, & vt communis omnium parens in morte deploratus. Hunc secutus est P. Bernardus Crespin item Balearis, Professus trium votorum, iam sexagenario maior, 20. annos B. Virginis Sodalitati præfuit, quam ipse ad normam Collegij Romani in hac vrbe erexit. magno Sodalium & insulæ totius bono. Docuerat Philosophiam cum laude. Idem in loquendo fuit adèò consideratus & par-

parcus, vt nullum planè verbum nisi consultò ac meditatò proferret. Adeò compositus moribus, vt illum ridentem animaduernerit nemo. In concionibus erat ardens, in audiendis confessionibus assiduus, vt sæpe non vocatus in templo consideret eos expectans, qui confitendi causa eum adire consueuerant: quibus ex eo quòd Patri peccata sua apertiebant, tanta laus redundabat, vt vulgò apud omnes vt sancti haberentur. multa præterea de ipso dici possent, quæ erant iam in illius adolescentia admiranda. Pro viribus omnia exquebatur opera misericordiæ, ægros verbis solabatur & eleëmofynis. Sodales suos spiritualibus colloquiis, exemplo, honesta quadam vi impellebat ad pietatem. in Societate plurimi semper est habitus ab omnibus. Erat vnus ex Consiliariis sanctæ fidèi Inquisitionis, idemque librorum prohibitorum Inquisitor. tribus vltimis annis podagra laborauerat. tandem maturus cælo, cuius flagrabat desiderio, virtutis ac sanctitatis suæ relictis documentis, obdormiuit in Domino. Classis Regis Philippi peruenit ad portum satis instructa militibus, dum tempestatem idoneam vel Regis mandatum expectat. grauis eam lues inuasit, quæ mirificam nobis materiam præbuit de agrorum vel corporibus, vel animis merendi. Summa sedulitate consultum 500. militibus decumbentibus, infectis, moribundis, in publico nosocomio, in priuatis tectis, in triremibus ipsis, effectumque est, vt ex tanta multitudine nullus sine Sacramentis moreretur. curabantur infirmi, subleuabantur medicis, medicamentisque atque cibo. & quamuis lues serpebat quotidie in alios, Dei tamen misericordia Sociorum nullus in hoc ministerio morbo affectus est. Duces priuati sæpe, maximus verò imperator octauo quoque die templum nostrum frequentabant,

bant, ibique sacra confessione & pane cælesti animum reficiebant magno militum & ciuium exemplo. Pater Provincialis profectus fuerat salutatum imaginem B. Virginis, quæ à Luco nomen habet, & in præeminenti monte huius insulæ magna religione ab incolis frequentatur. Accidit hoc Bacchanalium tempore. peruentū est ad vicinum oppidum, vbi vnus ex Sociis concionatus est, & ex concione tantus est secutus motus animorum, vt iudicauerit Pater fore Deo magis acceptam stationem, quàm peregrinationem. Nec illos spes, nec euentus fefellit: nam ludi, choreæ, & alia deliramenta in preces, verbera & alia pia officia conuersa sunt. Vnus è nostris in præcipua vr̄bis parœcia conciones habuit toto Quadragesimali tempore, tanta auditorum frequentia, vt ciues duabus tribusue horis tempus concionis anteuertent, ne serò in refertum templum venirent. Hisce concionibus plurimi adducti, vt ætatis vniuersæ confessione expiati nouum vitæ genus susciperent, diuinaque mysteria frequentarent. Idem postea profectus est cum socio in vicina oppida; vbi tanto animi ardore incubuere in salutem proximorum, vt valdè mirarentur incolæ tam subitò se in alios esse conuersos. conciones erant antelucem, vt agricolæ ad sementa inde opportunè proficisci possent, & tam incolæ, quàm alij, qui ex aliis oppidis longè distitis confluebant, concionatorem ipsum præueniebant. Par extitit labori fructus: nam sanata sunt vulnera, quæ erant animis multorum imposita; multæ factæ restitutiones æris alieni & famæ; recisæ plurimæ lites, præsertim inter viginti viros nobiles, quæ erant inueteratæ odiis implacabilibus, quas antea cum Prorex, tum alij ciuitatis gubernatores frustra componere tentauerant. Est cœnobium in hac ciuitate velatarum virginum,

nume.



numero ac redivibus præcipuum. ad hoc ipsarum & Episcopi rogaru (cui illæ subditæ sunt) accesserunt duo è nostris, & aded tum concionibus, tum spiritualibus exhortationibus profecerunt, vt fere omnes expiauerint peccata totius vitæ, eamque instituerint vitæ rationem, vt sibi inuicem sint exemplo, & mirum in modum animum externarum virginum, ad eundem viuendi modum alliciant: seque felices inquit fore, si viri Societatis sibi consentibus crebrò vellent aures dare, idque etiam nunc instanter efflagitant. Pietas ac religio erga B.P.N. Ignatium, cuius memoria in benedictione est, vigeat plurimum apud Baleares, & illius patrociniò experiuntur quotidie cælestem opem. longior sim instituto, si omnia mirabilia prosequi velim. Prætermittam multa, non quia communia aut vulgaria, sed quoniam ex his quæ dicam facile fieri poterit de cæteris coniectura. Præses Regij Concilij, Regentem vocant, aded fuerat morbo vexatus, vt vulgò inter mortuos censeretur. Sed in tanto periculo non immemor sanctitatis B. P. Ignatij, rogat vt illius reliquiæ adorandæ deferantur. mittitur sacerdos ex nostris, adorat ipse summa veneratione Res mira, in ipsa adoratione salutem inuenit, quod ipse postea gratulabūsus summo affectu prædicabat. Hieronymus Xauerinus pictor eximius graui implicitus febris tertiana iacebat, iamque exigua in spe trahebat animam, cum peropportunè à familiaribus de miraculis B. Ignatij sit certior. extemplò ingens animum eius cupiditas cepit venerandi illius reliquias, atque ita petiit non sine lachrymis à Sociis; vbi delatæ sunt, pertinaci febris æstuabat tanto ardore corporis & animi, vt intra os leuamen quærens sanctas reliquias traiecerit. impensè Ignatij implorat opem, votum nuncupat. nec incassum missæ preces:

nam

nam depulsa repētē febrī nō sine admiratione medicorum, valens surgit ē lectulo. mox ad templum nostrum aduolat, B. Ignatio pro tanto beneficio multiplices grates agit, & in grati animi signum illius effigiem, & visionem illam Dei Patris & Filij IESV crucem baiulantis, in tabula egregiē depinxit. Catharina Moreya virgo magnę pietatis ac puritatis erat in hac vrbe. hanc inuaserat insanabilis febris cum ingenti pectoris ac capitis dolore. ergo humani remedij inops ad Deum Deiq̄ue seruum Ignatium animum vertit, postulat à matre, vt liceat sibi in votum Ignatio offerre caput & pectus ex argento factum. annuit libenter mater, & subito salutem sibi redditam sensit, & gratijs B. Ignatio actis votum exsoluit. Puellā vnius anni cuiusdam deuotę feminę (Catharinam Venerellam vocāt) filia, dextrum oculum habebat penitus extractum, & valdē inflammatum: præ dolore noctu dieq̄ue lachrymabatur. afflicta mater medicorum remedijs frustra tentatis, ad diuina cōfugit, haud dubia spe lumen filię redditum iri, ope ac deprecatione B. Ignatij. ergo illius reliquias à Patribus Societatis Iesu instanter postulat, filiolę adorandas præbet. Ecce tibi dum mater precibus lachrymabunda insistit, filiam quam paulò antè nil penitus cernentem conspexerat, integris oculis ac probè videntem intuetur. In cuius miraculi argumentum, voto obtulit B. Ignatio argēteos oculos. Eiusdem Ignatij precibus duę nobiles matronę patruelis & neptis liberantur: illa à vehementi æquē ac periculoso lateris dolore: hæc à difficili partu. Magdalena Sureda nobilis item femina, post difficilem partum diuturna febrī pectorisq̄ue graui dolore afflictata, iacebat in magno vitę discrimine. tamen B. Ignatij opem implorat, in cuius patrocinio ac sanctitate adedē sperabat, vt delatas reliquias restituere noluerit, donec solatiū inue-



inuenerit. & spes nequaquam eam fefellit. nam statim illo periculo exempta, paucisque diebus persanata est. Censibus annuis additi sunt aurei 30. sacra supellex aucta est lychno argenteo pretio ducentorum aureorum, duabus præterea vestibibus altarium auro contextis, & tabula quadam depicta effigie Beati Patris Ignatij.

### *Collegium Gandiense.*

SEPTem supra 20. Socij versantur in hoc Collegio. ex his tres sunt præceptores Philosophiæ, Rhetoricæ, Grammaticæ. Sacerdotes æquè ac discipuli, ceterique omnes suis temporibus sese B. P. N. Ignatij commentationibus exercuerunt: atque hinc mirus exitit ardor pietatis perfectæque virtutis, quæ foras emanauit. Egregiè nauata est opera proximis, tum domi, tum foris. Congregatio nobilium simul & opificum, quæ superioribus annis erecta est, crescit in dies in spiritu, & caritatis ardore: confluit assiduè ad spiritualia exercitia, quæ domi habentur, & ad temporalia proximorù subsidia. Sanauit multorum animos hoc anno dum curat corpora. nam ad Sacramentorum usum vitamque meliorem allexit multos: detentis in publico carcere & in nosocomio laborantibus solatium fuit verbo, consilio & opere. Discordiæ, ex quibus perturbatio magna timebatur, Sodalium industria sedatæ sunt. Academici etiam Parthenij operâ & diligentia vnius sacerdotis è nostris, & virtutis & industriæ laude maximè excellunt. Enituit etiam plurimum pietas Canonicorum huius oppidi, accedendo ad nos singulis hebdomadis, præeunte Decano illorum in omnibus principe, ad exhortationem spirituales à sacerdote nostro audiendam, magno ipsorum fructu & reip. exemplo. Precatio quadraginta hora-



horarum, quæ postremis Bacchanalibus instituta est, quo tempore solebat populus liberius insanire, tantam habuit celebritatem & multitudinem obuentium Sacramenta Confessionis & Eucharistiæ, vt eos dies propè addidisse videantur ad Quadragesimales. magnam vim habuit ad populum retinendum pompæ exterioris apparatus, perpetuæ conciones, adhortationes, cantus, sacrum solemne à Decano celebratum. Diligentia nostrorum filij duo neophytorum, qui in hoc regno solo nomine Christiani sunt, tuto in loco nostrorum operâ sunt collocati; alter Valentia, alter Gandia, vbi Christianis moribus diligenter instruuntur. Quidam huius oppidi grauitè ab alio lacesitus implacabili odio in illum ferebatur. multi iam erant anni, nec tamen dolor vlla leniebatur ex parte, nec verò cuiusquam erat deprecationi aut consolationi locus. eodem animo venit ad nostrum confellarium, odium aperit: qui enixè rogat, vt oblitus alienæ iniuriæ suam salutem Deumque respiciat, Christumque Dominum pro inimicis sanguinem in cruce fundentem quotidie contempletur. paruit ipse, & Deo bene iuuante sensit se in alium esse conuersum. facinus expiauit cum lachrymis, & mentis tranquillitatem inuenit. Excursum est ex hoc Collegio partim in vicina oppida, partim in remotiores montium partes. Prima profectio Dianium versus nõ parum frugifera extitit. plures siquidem scelerum vinculis, quibus multis iam annis irretiti tenebantur, Deo benè iuuante, expediti sunt. pauperes Dianij subleuati sunt eleëmofynis & sumptibus huius Collegij, instituti que Christiana doctrina atque moribus; sicque pugnatum est contra famem qua premebantur, & contra peccata: & exinde salus in vtroque homine secuta est. Ad montes missi duo Sacerdotes, trium mensium spatio ingentem perditorum

torum hominum multitudinem in viam reduxerunt, partim concionibus, partim doctrina Christiana; ad quam etiam ex aliis oppidis, turmatim confluebant pueri non sine æmulatione gloriæ & laudis. numerus confitentium & communicantium tantus fuit, quantus ne in ipsa quidem sancta hebdomada fuerat præteritis annis. creber Sacramentorum vsus introductus est etiam in futurum. sedata præterea sunt discordiæ inter duas familias odio duorum annorum adeo inueteratæ, vt multæ graties cedes hinc inde patratæ, scissum in duas factiones oppidum. multæ factæ restitutiones æris alieni. pauperibus prouisum est eleemosyna singulis annis eroganda, curamque huius rei suscepit Rector oppidi & Iudex. Crescit quotidie indies magis ac magis religio in B.P.N. Ignatium. celebre iam est illius nomē in omnibus vicinis oppidis, & effigies in sacello posita toto die à circumfusa multitudine colitur, donis ac votis exornatur, quibus quotidie tanti viri patrocinio cælestē opem experiuntur. Subijciam signa aliqua, quādo omnia recensere esset infinitum, vt ex his fiat de cæteris coniectura. Matrona, quædam filiolum vnice carum, sed iam morti proximum sinu gestabat, vt quocumque posset iuaret morientem. sed parum illi profuit maternus amor: quoniam paulò post carissimus filius efflauit animam. sed in tanta desperatione non desperauit mater; filij licet cadauer inspiceret, obortis præ amore lachrymis Ignatium suppliciter implorat, illius effigiem supra corpusculum iam frigidum plena fiduciæ & spei reponit, & quinque salutationem Dominicam, & toties Angelicam deuotè recitat. Mira res; puer extemplo reuiuiscit, magna omnium qui aderant admiratione & stupore. E vestigio puer ad sacellum Ignatij à matre aduectus, ibi sistitur, vota persoluit. Puella 14 annorum



rum nata cardiaco morbo sæpiùs laborabat, ita aliquando vi mali urgente, vt non procul à fine abesse videretur. ad extremum decies vno die, insanabili illo morbo oppressa fuit. accesserunt præterea dolores acerrimi membrorum omnium. Itaque desperatis medentium auxilijs Beatum Ignatium inuocat, vota nuncupat. nec in cassum missæ preces. nam quæ modò omnibus destituta iacebat sensibus, ei repentè spes salutis affulsit. Beatus Ignatius cum socio velut ex insperato sese illi ostendit, blando paternoque vultu inquit: Omitte timorem filia; haudquaquam enim isto morbo ampliùs cruciaberis. At illa parentes inclamante, vt illuc properarent, Patres illos, quos ipsa Collegij existimabat, veneraturi; Beatus Ignatius repentè ex oculis abiit. Exposuit cunctis visionem, qui aderant, rei admiratione stupefactis: & ipso die valetudinae recuperata, ad Collegium nostrum ad reddenda vota perrexit. Ibi per otium Ignatij contemplata effigiem affirmavit, eadem prorsus forma sibi in quiete sanctum illum Patrem obuersatum.

## PROVINCIA BÆTICA.



**L**IT hæc Prouincia quadringentos & octoginta Socios per duodeviginti sedes distributos. In Hispalensi Professorum Domo numerantur Socij septuageni quini; sacerdotes viceni octoni; temporales Adiutores vnus & viginti; tirones viceni quini. In Collegio Hispalensi sexageni octoni; sacerdotes vnus & viginti, è quibus præceptores duodeni; Theologiam quatuor, Philosophiam tres, Oratoriam vnus, Grammaticen quatuor prælegunt. In Col-



Collegio Anglicano octoni, sacerdotes quatuor, Adiutores totidē. In Cordubensi Collegio septuageni quaterni: sacerdotes tres & viginti, è quibus Theologiam quatuor docent, duo Philosophiam, Grammaticam quatuor; scholares triginta, Adiutores septemdecim. In Granatensi sexageni seni; sacerdotes duo & viginti, è quibus humaniorū litterarū præceptores quatuor; scholares vnde viginti, Adiutores viginti quinque. In Montellano sexageni: sacerdotes deni, Adiutores totidem, humaniorum literarum præceptores bini, bini itidem legere docent & scribere; tirones reliqui. In Marcenensi tredecim: sacerdotes octo, è quibus duo Grammaticen prælegunt, Adiutores reliqui. In Xerecensi decem: sacerdotes sex, è quibus duo Grammaticæ prælectores, Adiutores reliqui. In Malacēsi vnus & viginti: sacerdotes septē, Grammaticæ præceptores bini, Adiutores cæteri. In Baezano quatuor deni: sacerdotes sex, Adiutores octo. In Cazorlano totidem: sacerdotes seni, præceptores quaterni, duo latinitatem, duo legere docent & scribere. In Gadirano septemdecim: sacerdotes quini, præceptores quaterni, bini nimirum latinitatem docent, duo ad legendum & scribendum pueros informant, Adiutores reliqui. In Triguerēsi totidem: sacerdotes septem, cæteri Adiutores. In Guadixensi quatuor: sacerdotes bini, totidem Adiutores. In Astigitano quindecim: sacerdotes septem, quinque præceptores; vnus conscientiaē casus, alius Philosophiam, tres humaniores prælegunt literas; cæteri Adiutores. In Fregenalensi deni: sacerdotes sex, è quibus vnus Philosophiam, bini latinitatem docent, Adiutores quatuor. In residentia Antequerensi quatuor: sacerdotes bini, bini Adiutores.

## *Domus Professa Hispalensis.*

DOMUS hæc absoluta iam: & opus ita perfectum, vt & nobis sit aptissimum, & ad proximorum consuetudinem faberrimum. Sumptus ergo ad nostrorum alimētum translati, & crebris ciuium eleëmofynis adiuncta nonnullorum legata septuagenis quinis (is hoc anno Sociorum numerus) satis fuisse. Aurei mille numi à Philippo Catholico Rege accesserunt, totidem à priuato ciue legati testamēto, & ab herede præsentaria pecunia numerati. Ab his grauiora quædam soluta debita. Ad diuinam supellectilem additum frontale altaris ornamentum colore niueo, auro obryzo elaboratum, æstimatione aureorum circiter octingentorum. duo item alia, totidem calices fabrefacti, & quædam minutiora. Nostorum in suis muneribus obeundis studium hoc anno quàm superioribus ardentius. Sanctissimam Eucharistiam millies fermè singulis hebdomadis percipi obseruatum est. Mira omnium de Societate existimatio. hæc argumenta. Dominus ipse Fernandus Niño de Gueuara huius ciuitatis Archiepiscopus confessarium sibi è nostro numero delegit: huic penitissimum animum & aperit & permittit. In Ordinum celebrationibus nostros diu pro officio & viribus obnitentes tandem extractos examinandæ præfecit iuuentuti; ab illo hoc vnum extortum, vt Religiosorum aliis, reliquorum cura penes nos esset: ad diœceseos lustrationem profecturus binos è nostris adiunxit sibi, & itineris comites, & consiliorum participes. Marchio Montium clarorum. huius ciuitatis Assistens (dignitatis est nomen) templum hoc ad Sacramentorum vsu frequentat cum singulari beneuolentiæ significatione non semel operibus testata. Eadem est Regen-



gentis ratio, Auditorum, Prætorum cum frequenti Nobilitate. Vberimus à duplici Congregatione fructus, vna Clericorum, Nobilium altera, vtrique virtute insignes; tanta candidatorum multitudo, vt eos ne protrahere quidem sit facile. Exempla virtutis non pauca. Sunt ex primoribus viris, qui dum hospitales pauperum domos adeunt, pallijs depositis, cibum propria manu submissis genibus porrigant ægris, lectos componant quàm mollissimè, vngues vel purgent, vel præcidant, caput barbamq; detondeât. Eadem à sacerdotibus data opera, quorum diligentia feminae permulta longo tempore liberè & inhonestè viuentes libentibus maritis redditæ, multæ in matrimoniũ ductæ, non pauca in Religionem adductæ. Extra mœnia aliquando egressi otandi prætextu in feminas inhonestas incidunt, quæ & oris officiis, & verborum lenocinijs allectos iuuenes perdunt miserè. harum nonnullas (elabuntur enim cæteræ) Assistentis permissu in vincula coniectas ad meliorem vitæ frugè reuocarūt. Dominicis diebus parœcias obeunt, Æthiopes atque Arabes seruile hominum genus anquirunt, Catholicæ fidei rudimentis imbuunt. Non mediocris huic Congregationi affulsit splendor aggregatæ nimirum ad Romanam Nostri Patris beneficio. Indulta in amplo peristylio promulgata, præuia oratione laudatissima & laudabili. Hinc Sacerdos quidam in Guadalcanalense oppidum profectus eandem huic Congregationi consuetudinem induxit, ad quam admissi nuper duodeni sacerdotes: ex quorum semente haud infelicem speramus messem. Nobilium eadem gratulatio festiua in aggregationis promulgatione cum nobilitatis frequetia admirabili Xerezani Equites laudabili emulatione excitati Sodalitium aliud nostro quàm simillimum instituerunt: Granatenses



parant, ac præter ceteros, Regiæ illius curiæ senatores. Excursionibus aliquot factæ à nostris, quarum multa seges. Ardentissima multorum odia restincta, sanati multorum animi penè depositi. plurimi ex finitimis oppidis aduolabant, omnibus vt licuit prouisum. confessiones ad multam noctem ab ipso penè conticinio vsque auditæ, maximamque partem ab vltima memoria repetitæ. Ingressis oppidum quoddam duobus è nostris, alter vt solemnè est torpidos vulgi animos prima concione ad confessionem excitabat (erat tum fortè Dominicæ diei occiduum tempus ante supremam tempestatem) Pater vitæ breuitatē, repentinos interitus, exitus inopinatos acri voce & efficaci dictione repræsentare; sequenti die vnus ex ijs qui affuerant eo morbi genere repētè correptus, vt nulla munitus Sacramentorum firmitudine die postera interierit. Casus hic cæteris formidinē, nostris magni animarum emolumentum expectationem iniecit. Ergo data anfa, in refertissimo templo, patenti sarcophago, & præsentis capulo conatus Pater cœtum copiosum, tam viuo demortui hominis exemplo ad expianda peccata permouere, haud frustra tentauit: respondit namque expectationi euentus cum prouētū maximo. Senex quidam (vt ex hoc vno liceat missionum utilitatem coniectare) à capis niueus, ab animi tamen puritate candidior, rogatus de frequentia confitendi, respondit multis antè annis ab aliis Patribus è Societate in ipso discessu confessionis frequentiam eius oppidi incolis mirum in modum commendatā: ex quo tempore se eam hucusque quintodecimo quoque die, sæpe octauo continuasse. Hic extra urbem labor: in vrbe nullum otium. tam carcerariis vinculis detenti, quàm in nosocomijs morbo, liberati. Plurimæ vtrobique adhortationes dictæ, confessiones auditæ, nec literarij puerorum Iudi

ludi neglecti. Appulerunt hoc anno in hanc urbem aduerso flumine Neapolitanæ Siculæque triremes. Magno ægrotantium numero, linguarum diuersitas, confitendi negasset facultatem, nisi vnus è nostris vtrumque idioma probè callens ope destitutis præsentaneam tulisset opem. Fuerunt hoc anno diuino lumine affulgente, multorum conuersiones admirabiles: è multis exemplis quatuor referam. Legitima quidam vxore neglecta concubina pellicem amauit diutinè, hanc intempesta nocte, stomachi ne an pectoris subsultatione fatigatam, profundis certè tractibus nauseantem agnouit. rei nouitate citus ad focum desilit è lecto: sopitas prunas flatu suscitatur; redit cum luce, feminam depressis oculis horribili pallore & macie extenuatam deprehendit, spirantem tamen. Curionem ergo non omnino Christianæ pietatis oblitus quæsiturus euolat: inuentum ad mulierem perducit. frustra tamen laboratum. Enimuerò exanimis & à sensibus abducta nullo pœnitentiæ dato signo sine confessione efflauit animum. Ille tanto casu perterritus, vt par erat, manè diei subsequenti nostros adiit, & de facienda vitæ mutatione deinceps egit, & sedulò, & seriò. Alia cum malo dæmone (incubos appellabat antiquitas) detestabilè turpitudinem sciens & lubens exercebat. Hęc cum ab alia femina nostris à Sacramentorum vsu nota leuem accepisset iniuriam, ad eius confessarium venit sibi ab aspectu notum; rem exponit cum querela: enixè petit, vt feminam sibi infensam reprehendat. Audiit ille, & arrepta occasione ad confessionem positis odiis hortari cœpit. illa abnuens imparatam se excusabat. vrget ille omni ratione, vt si minùs confessionem absoluat, incipiat saltem. Tum illa liberè: Cessa, inquit, me frustra hortamur is fatigare: me foris diabolus manet quo cum rem



habeo turpem; is me huc venientem monuit alter-  
 utrum, vel ne accederem, vel vestris ad confessio-  
 nem hortatibus contumaciter obfisterem. His au-  
 ditis Pater denuo (quis non pio tangeretur affe-  
 ctu?) miseram ac miserabilem conatur emollire,  
 illa divino consilio magis ac magis obdurescere;  
 vix tandem reditum ad diem pollicita, domum re-  
 petit. Hanc sequenti nocte cum dæmone huma-  
 nam formam ementito concubantē frater depre-  
 hendit. continuò furenti similis irruit in cubile, &  
 nudum in sororis viscera, evanescente dæmone,  
 pugionem adegit, & defossam miserè interemit.  
 Non absimile quod sequitur. Mulierem quandam  
 vicinæ honestè ad nostros confessionis ergò de-  
 duxerunt. huic quos binos habebat amatores di-  
 mittere multis argumentis suavitè suavitè suavitè  
 Pater, sed non persuasit. Divinæ igitur iustitiæ & æternorum  
 cruciatuum intendit minas. Illa se post amicorum  
 ab vrbe discessum, quem brevi futurum sperabat,  
 libenti animo reditum promittit: reditum ta-  
 men eiusmodi exitus interclusit. Eadem die noctu  
 domo egressa, brevi regreditur, horribili timore  
 ac formidine perterrita, quid vidisset ignara. Tre-  
 pidantem vicinæ confirmant. illa timore remisso  
 dum sedet inter ceteras, somnum tantisper captura  
 recubuit. Horæ spatio nondum decurso teterr-  
 imus sulphuris spirabat odor: hunc miseræ cadaver  
 exhalabat, quæ perpetuos tenebrarum somnos in-  
 ierat. Nigror faciei abominandam corporis ni-  
 gredinem testabatur. Casus hic multis exemplo  
 fuit, quorum nonnulli ad Religiosorum familias  
 adscripti. Illud nobile quod sequitur exemplum  
 castimoniæ. Maritam feminã vni è nostris con-  
 fiteri solitam, eamque inopem sæcularis sacerdos  
 amabat perditissimè, precibus & pretio frustra  
 tentatam lenulis internuntiisque sollicitat. hos illa  
 acerbè



acerbè castigatos malè dimittit. Sacerdos amoris impatiens feminam de nocte in mariti absentia (quod vnum ad summum flagitium deerat) inopinantem adoritur: vim inferre parat. femina castitatis amantissima huius impetum excipit, cultrum eripit quem ille gestabat: quo munita sacrilegum seверо honestoque sermone à tanto scelere perpetrando deterrere studet; sin minùs, suæ sibi castitatis oppugnatorem quavis ratione repellendum. id enim diuinis, humanis & naturæ legibus licere sibi. Has ille minas & terricula menta floccifaciens tandem aggreditur: dumque cultrum quo se ipsa defendebat conatur adimere, digitos sibi ipsi penè præcidit eo tamen violentiùs dum irruit, & temere temerare nuptam parat, se ab illa certo ictu percussum sentit. Desistit tunc, repetitque domum vulnus vt curet, non tamè vltra diem octauū produxit vitam. Interim morte ob oculos obuersante, datum sibi Dei benignitate tempus in ira Dei auertēda totum posuit, missis etiam qui suo nomine à femina vicissim peterent darentque veniam. Hæc hæctenus. Nunc ad ea veniendum quibus Deus Opt. Max. B. P. N. Ignatium admirabilibus signis notificatum illustrauit: quorū magnus numerus; ea tamen seligenda, quæ certiora, ab auctorum fide. Nobilis quidam ex equestri ordine filium vnicum habebat eumque marcescentem hæctica febris, morbo videlicet illi familiæ velut hereditario, atque ideo manifestè omnium iudiciis periclitantem de vita, pallore indies & macore magis ac magis contracto. Huic vnus è nostris Beatissimi Ignatij dat effigiem adorandam, & collo adnectendam. Adorat ille: salutem orat: exorat breui: pristina intra paucos dies salute recuperata. Mulier alia ardentissimis febribus æstuabat. Medicus appositis remedijs vrebatur frustra. Hanc

consolaturus adit vnus è nostris, imaginem Beatissimi Patris, quem ipsa studiosè colebat, seorsim in conclauì à femina relictam agnoscens afferri iubet. Affertur: feminam ad opem implorandã hortatus mox abit. Paret illa: atque inter preces, en vberimus derepentè toto corpore effluxit sudor, & cum sudore morbus. Redit medicus de more: hãc vt videt perfectè sanam, penè obstupuit; quippe naturæ viribus sanari non potuisse constanter assererat. Vir quidam senili ætate, illustri familia, & (quod caput est) singulari virtute, nostræ Societati mirè deditus, à renibus & ab iliaco morbo laborabat, vrinæ meatum calculo obstruente. Cruciabatur doloribus, atque in lecto sine vlla requiete volutabatur. Accessit febris ardentissima. medici, spe salutis abiecta ad Sacramentorum perceptionem hortantur. obtemperat ille, vno è nostris aduocato. Iam iam moriturum deplorat familia. Ille humana ope destitutus diuinam quærit: Sanctos quos iam pridem patronos habebat, sollicitaturus precibus, B. Ignatium inuocat primum: quem ac si præsens esset, videre visus salutem exposcit. precationem somnus excepit quàm diu semel oratio Dominica percurri posset. Experrectus è somno depulsum omnino sensit morbum & lapillum, quo torquebatur, edè delapsum, vnde facillè resolutus in arenulas eiici potuit. Hoc ille à notario in publicas tabulas legitimè referri & publica auctoritate confirmari iussit. Aliud nunc memoria dignum paulò fusiùs referam. Mulierem malus dæmon septenni spatio pertinaciter sollicitabat, singulis ferè diebus illi se videndum repræsentans, blandula insuper addens illicia. Hanc vnus è nostro numero miseratus accersiri iubet: venientem hortatur ad confessionem, ac diabolicæ consuetudinis detestationem: aliorum exempla proponit.



ponit, Dei iudicium, vitæ breuitatem, & id genus multa. His permota foras exit, vt admissa scelera cogitatione percurrat, mox ad cōfitendū reditura. Egredienti comitem se adiungit diabolus eremitam simulans: mœstam vt videt, causam querit. illa hominem esse putans, Quid tibi, inquit, mecum? Tum ille: Roma venio multis onustus, quibus te facile sollicitudine leuauero. adiecit & hoc, Quid tibi cum ista domo, aut cum eius accolis commune? illa animi salutem causatur. Cacodæmon diuinam misericordiam obiicit, nulli vel in extremo spiritu defuturam. Mulier ex verbis dæmonem subagnoscit: tum ille apertè eremitico pudore depolito feminæ minatur futurum se admissorum ab ea scelerum in omnium auribus præconem, vt in omnium oculis infami supplicio afficiatur, si pedem iterum in Societatis templum inferat. hæc locutus euauit. Hærebat femina. à duplici causa sollicitudo: hinc timor à dæmone, illinc vrgebat ab animi periculo: vicit tandem animi timor. Ergo sequenti die confessarium adit; rem ordine exponit. ille remedium adhibuit quod efficacissimum habuit: ter quotidie fidei Symbolum recitare iussit, pro terno personarum diuinarum numero, atque in Beatissimi Patris Ignatij memoriam, cui antiquum id orationis fuerat: dat præterea ipsius effigiem rosario aptandam, & gestandam ex collo. illa imperatum executura proficiscitur. En dæmon secundò obiicitur mulieri; restitit tamen in limine progressum veritus. inde quasi deridet superstitionem mulieris, imaginem vt abiiciat enixè petit, imaginem enim præ cæteris rebus sibi esse impedimento quo minùs procederet (erat mulier tum temporis succincta cilicio, & cereum agnum gestabat) cum tamen nihil impetraret, edito fragore incredibili euolauit. sequenti die tale quiddam de-



nuò comminiscitur: in anilem vultum induitur, feminam alloquitur, eundem vtrique confessariū esse mentitur, a quo venire se cum mandatis. hæc mandatorum summa: confessarium pro femina orantem Deo reuelante cognouisse, illam tandem damnatū iri, idcirco non esse cur frustra laboraret: atque, vt fidem faceret, nota quædam verba producebat. Sui tandem impotens à furore libellum pium, quē fortè femina habebat in manibus, violenter abreptum in ignitum focum, vnà cum rosario & imagine comburendum coniicit. Vixdum ceciderant, cum sola imago in gremium feminæ resiliit ab igne. Hoc illa affirmavit attestata bis Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, sibi eo die percipiendum, addidit, flammis absumptū rosarium, cum extrahi non posset: librum verò vstulatum licet, ereptum tamen. Resilientem imaginē excepit sinu: dæmon autem abiit è conspectu. Postera die ab Eucharistia sumpta redeunti feminæ apparet iterum pristina iuuenis figura: & imaginē Ignatij suos conatus præcidisse, confessarii que technas plus nimio fuisse callidas, reditumque sibi perpetuò interclusum, semel atque iterum questus magno tandem cum crepitu aufugit. Affirmat mulier ea nocte, quæ Eucharistiam antecessit, rem ad restim venisse. se ter conatam suspendio spiritum præcludere aptasse camum, quem toties enodatum animaduertit. tantum illa beneficium B. Ignatio refert acceptum, idque sibi persuadet, quòd laqueum collo insertura vmbra pilei videre visa sit, Beatumque Ignatiū adesse credens opem ab eo auxiliumque petiuerit; ex quo tempore libera omnino & incolumis permanserit. Mulierem hanc vicina in Sacramentorum vsu plurima, & ab ineunte ætate nostris confessariis ac templis vsa, vitiorum voragine absorptam sæpissimè ad Sacramentorum

vsu

vsus incitauerat. erat in hanc ut in virtutis ducem ea de causa dæmonis odium capitale: quod odium supradictæ feminæ iam iam abiturus aperuerat, absenti vicinæ minatus exitium; cuius diligentia duplicem prædam sibi è manibus creptam querebatur, illam quippe à potentiori dæmone adiutam dicens. Quarto post die vicina hæc maximè honestissimæ vitæ virum sine causa interemptum audit: scilicet munitam sanctitate cum punire diabolus nequiret, quod illi charissimum, sustulit è medio. Postremum hoc de industria in finem reseruatam perstringam breui. Adolescens quidam non obscuro genere annos natus circiter viginti ad Societatem in Coadiutorum gradum admissus est. Huic paulò remissius se gerenti, decurso biennio votorum nuncupatio protrahitur. moram ille impatienter ferens enixè facultatè abeundi petit. obtinet: dimittitur, ad hanc urbem venit ornatu militari. hunc dum profectionem in Occiduos Indos parat, alius hostem falsò creditum, à tergo ferit imparatum, ac totum penè in scapulis pugionem condit. cadit ille, & corpore, & spe salutis, dignumque sibi tam turpi defectione supplicium accidisse animaduertens, Beatissimi Ignatij recordatur. vovet pro salute reditum, si admittatur, & strenuam in officio præstado diligentiam. Accersitus chirurgus deponit hominem: medelam non in remedium (ut ipse dixit) sed in speciem adhibet. Æger Sacramentis acceptis preces ut licuit ad auroram produxit, B. Ignatium inuocans, & promissa repromittens. Incredibile hoc: ea nocte sic perfectè sanatus est, ut luculentissimæ plagæ vix cicatrix appareret, quæ vulnus acceptum significaret. Ille continuo promissa exequitur, Prouinciali rem exponit, in Societatem recipi petit. Pater negat. abit ille cum angore: redit secundò, dat se calatorem in  
serui-



seruitutem Brutianam, admittatur modò. Tandem impetrat vt pocula perfricandi, & culinam euerrendi curam habeat. hoc illi officium, in Hispalensi ac Triguerensi Collegio per octo plus minùs menses cum omnium ædificatione singulari. tandem ad Societatem reductus laudabilem vsque vitam agit, ob acceptum beneficium gratissimus.

### *Collegium Hispalense.*

**C**ollegium hoc ære alieno grauitè obstrictum præteritis annis monuimus; verùm in præsentì, quòd consueto leuamine careat, opprimitur maximè. Ad ornatum templi accessit prægrandis & pulcherrima Beatissimi P Ignatij effigiata tabula in altari summo, ipso obitus eius die collocata; cùm scholaribus nostris, tum Anglicanis alumnis omni pœmatum genere & elegantia lætitiàm diei cumulantibus. Vt autem ab alijs, B. Ignatij meritis accepta beneficia dissimulem, suum in filios suos amorem amantissimus parens & patrociniùm haud dubijs signis testatum reddidit. E nostris quidam septimum iam & decimum annum è renibus grauissimè laborabat, sed morbo diuturnitate vires acquirente, extremis annis hebdomadis ferè singulis acerbissimo dolorum æstu afflictabatur: hos semper abeuntes excipiebat biduana virium defectio, & summa corporis imbecillitas. Remedia medici frustra adhibuerant: morbus enim in dies singulos ingrauescebat, non minori animi angore, quam corporis cruciatu. dolebat nimirum sese infirma valetudine impeditum, quo minus impèsè se totum ex animi desiderio, & perfectioni propriæ, & alienæ dicaret vtilitati: adeò vouit pro salute multa, sed minùs assecutus. Cùm igitur per eos diès B Ignatij inuocatione valetudo nonnullis resti-



stituta, aliâque patrata miracula narrarentur, venit in mentem ad ipsum tanquam ad opem diuinitus datam extremò confugere. Syngrapham eius ex collo suspendit, & infirma licet fiducia vouit tamen consulto confessario peruigilij eius in ediam, & orationem per annum quotidie recitandam, si modò trimestre spatium ab illo cruciatu eximeretur. Nec irrita vota: dolore tunc omni (quo eo ipso tempore acerrimè vexabatur) ereptus breui est, & nonum iam agit mensem à simili cruciatu morboque omni integer & immunis: quod non citra miraculum fieri sese ait iurisiurandi religione testaturum, cum tamen is sit, cuius hac in re iudicium & sententia maximi habenda sint. Hoc euentu veneratio simul & opinio de B.P.N. sanctitate concepta mirificè in ipso aucta cernitur. Alius annum propè integrum quartana febris laborans eo ipso die, quo tabula in templo collocanda erat, vouit coram ipsa ter & tricesies orationem Dominicam totiesque Angelicam salutationem quotidie se per annum in B. Ignatij memoriam recitaturum, dummodo salutē precibus ipsius impetraret. deinde (vt erat febricitans) ad opus se accinxit, & in collocatione tabulæ laborem suum & operam strenuè posuit: ex eo igitur die febris ereptus est, nec minimum eius vestigium hactenus vsquam persensit. Rerum spiritualium ardentissimum in nostris studium, & fructus vberimus: omnes alijs soluti curis spiritualibus exercitijs exculsi; à scholaribus adita xenodochia; festis diebus matutinis plebs otiosa ad rem diuinam compulsâ; rudiori populo elementa Christianæ disciplinæ tradita; in plateis & vicis celebrioribus exhortationes habitæ, aliâque huiusmodi pia munera obita. nec enim ipsos rei litterariæ exercitatio assidua à diligenti virtutum & mortificationis studio auocarunt. Colle-

gium hoc iuuentutis propriæ curat institutionem, quamquam ne in aliis quidem iuandis est cessatum. Duæ in pagos, & opida propinqua factæ sunt excursions: in iis, quæ solent animis allata subsidia, & corpora piis eleëmofynis subleuata. Illud etiam accidit non tacendum, quòd quidam animò vxorem & filium paruulum veneno necandi obfirmato, nostrorum permotus concione destitit. De Societatis litteris maxima hîc omnium vt semper opinio. Res nostras adiuuat beneuolentia Illustrissimi Cardinalis Hispalensis: is enim cum superiore anno in hanc urbem honore auctus & purpura venisset, ædes, scholas & auditores nostros inuitatus inuisit: primo ingressu ab eloquentiæ professore exceptus oratione diserta inprimis & eleganti pro suo gymnasio habita. Vnde ad Theologorum deductus aulam, prælectionem sacram eruditis auribus dignam, quamque sibi pergratam vultu, oculis, verbis apertè significauit, Scripturatum docente professore audiit. Hac finita egressus, ipsos capacissimi impluuij parietes peristromate vestitos; versuque multiplici tum græca lingua, tum latinâ & vernacula laudes ipsius continenti ornatos, & quasi grates agere gestientes circumlustrauit. ipsum autem, qua est in Societatem beneuolentia omnia mirum in modum delectarunt. Iterum hoc ipso anno in Collegium venit, & publicis Theologiæ sacræ disputationibus interfuit. In scholasticis externis magna visitur Christianæ pietatis cupiditas; peccatorum expiationes in plurimis hebdomadariæ; in nonnullis semestres: in omnibus frequens sacrorum mysteriorum vsus. duo circiter & quadraginta dederunt se variis Religiosorum familiis, tres nobis adscripti Reliquos exemplo præeunt Deiparæ Congregationis alumni: quorum Sodalitas nõ pauco tum nostrorum, tum

regiæ



regiæ Hispalensis Vniuersitatis auditorum numero creuit. Virtutis suæ specimen affatim vbique exhibent. Peregrè ibat ex ijs sacerdos quidam; cùm fortè incidit in quendam horum regnorum principem virum, iter similiter, quò ipse pergebat, agentem. hunc deriuatam à maioribus nobilitatem cùm praua iurandi consuetudine, tum pudica minùs cum famulis suis agendi & colloquendi ratione obscurare certa fama erat. Sacerdos oblatam occasionem libenter arripuit, sermonem cum ipso miscere, deprauatos hominis mores, & viuendi licentiam summa dexteritate reprehendere. ipse pudore suffusus increpantis voce commoueri, & exitum in sacerdote pietatis zelum admirans, amplos satis honores & munera ei in domo sua per honorifica deferebat. at ille modestè recusans valere iussit, nec vt ipsum, rogatus licet & inuitatus, diutiùs comitaretur, exorari potuit; ne scilicet faciendi sacrum (erat enim festus dies) opportuna deesset occasio. quod ipsum Principi vehementer placuit; adeoque perquisitum postea in hospitium suum iussit adduci, ad prædium inuitauit, tractauit humanissimè. Nec verò in litteris minora huius Sodalitatis alumni documenta dedere. vacarant in Hispalensi Diœcesi Ecclesiasticæ dignitates nonnullæ: hæ ex institutione sua pro opponentiù meritis dispensandæ erant: edictū publicè affigitur; candidatorum oppositionibus suis statuitur dies. confluunt plurimi; ex his è Virginis Sodalitate nonnulli: de omnium litteris publicè periculum fit. Parthenij Sodales primas semper tulere; adeoque ipsi reliquis postpositis, utpote ex iudicio Cardinalis, & senatus sententia omnium meritissimi, dignitates hæc reportarunt. Doctrinæ Christianæ cœtus excellit indies pietate & numero: nosocomia adeunt, ad explanationem catechismi audien-



dam stas diebus diligentes conueniunt, cælestibus sese mysterijs frequenter expiant, & dum reliqua plebs bacchanalia agit, ipsi in templo nostro preces fundunt, eo qui cineralia præcedit die, promeridianis horis; & quò alios ad simile inuitet officium, instrumenta musica, & suauissimum vocum concentum adhibent. Bina sunt alia scholasticorum Sodalitiae: quorum vtrumque sub Academiæ nomine, hoc sub sancti Ioannis Baptistæ; illud sub D. Hermenegildi patrocinio institutum, suum hoc anno fructum retulerunt: imò ex istis Sodalibus aliqui in tenera & penè infantili ætate, matura omnino virtute inuenti sunt.

### *Collegium Anglicanum.*

**N** Vnquam maior quàm præsentis anni horum adolescentum in litteris & virtute contentio. in voluntarijs pœnis & mortificationibus suscipiendis inusitatus ardor, vt in plerisque fræno sit opus. mira inter sese animorum cõcordia & amor, mira in Sùperiores obseruantia; omnes ferè meditationibus nostris expoliti. multi Societatis incundæ studio tenentur, è quibus duo voti compotes effecti, vterque præclaris animi & naturæ donis instructi: sacerdos hic perfecto studiorum curriculo, ille alumnus absoluta Philosophia, & duobus in Theologia annis insumptis. Sacerdotes bini in sedes Sanlucarensis, & Vlysiponensis profecti: octo in Angliam ad ciuium suorum salutem remissi, spectatæ omnes virtutis. Ex his vnus sub discessu Theologiæ concertationes publicè sustinuit magno litteratorum hominum cõcursu, pari cum laude; quas etiam pro sua comitate Illustrissimus Cardinalis Hispalensis sua dignatus est honestare præsentia, qui ab alumnis peruenusta oratione mul-

multoq̄ue varij generis & idiomatis carmine exceptus est. Noſtrorum verò Sociorum qui in hoc Collegio morantur, operam languere non finit varietas ipſa nationum, quæ negotiationis cauſa Hiſpalim frequentes confluunt. ad ipſos Itali, Galli, Angli, Hiberni, Scoti, quòde eorum linguas ipſi, vel ij Anglicanam calleant, pœnitentiæ cauſa conueniunt, & sæpè frequentiffimi. Harum nationum homines, qui in carcere vinculis, vel in noſocomio morbis detinentur, cohortationibus & colloquiis ad pietatem inſtituunt. Plures catechiſmi ignaros excolunt, hæreticos non paucos ad Eccleſiæ gremium reducunt; ſed præ reliquis ille felicior, qui ab Indis occiduis, vbi captus fuerat, huc aduectus; in morbum incidit. cum de noſtris vnus conſolaturus adiit; vt hæreſim abiuret, & in Eccleſiæ ſinum refugiat multis argumentis ſuadet, & tandem perſuadet. munitus ergo Sacramentis, magna vitæ ſuperioris deteſtatione, futuræque ſpe præcepta efflauit ſpiritum. Quæſitores ſanctę fidei horum Patrum ſæpe vtuntur operâ, ad vinc̄tos ſuos alienigenas tum examinandos, tum erudiendos. Res familiaris aucta eſt, coëmpta domo, ipſi Collegio continenti; vnde hortus amplior factus.

### *Collegium Cordubense.*

Communia prætermittã. noſtri omnes B.P. Ignatij commentationes obiere. viſitata cuſtodix publicæ, & inter vinc̄tos inuectus mos, vt ad recitandum quotidie roſarium fixis humi genibus coram Virginis effigie, cõueniant. Discordijs plurimis finis impoſitus. luſoriæ tabernæ occluſæ. præciſa aliquibus illecebra peccandi; alij à pellicatu diuulſi. conciones compitalitiæ crebræ. in inſtituenda pueritia ad religionis præcepta, in ſcholis ele-



mentarijs inuisendis, in adiuuandis his qui ad patibulum ducuntur, solemnia officia. Hęc veluti communia; quę sequuntur, præsentis anni propria. Pestilentia superioris anni, quę hiberno videbatur extincta frigore, ipso statim Ianuario mense longè quàm antea sæuior reualuit. Hęc & scholas claudere, & publicam litterariam doctrinam intermittere (ad hoc etiam senatus rogatu nonnihil impellente) coëgit. Scholares verò nostri, quò studia persequerentur commodiùs, & à contagione per totam viciniam debacchante tutiores subsisterent, vnà cum Philosophiæ professoribus & Theologiæ extra urbem in quoddam Collegij prædium trans Bætum dimissi: illic & consuetis prælectionibus, & frequenti disputationi data opera. nec non & religiosa disciplina haud aliter quàm si sub domestica regula viueretur, exactè obseruata. Verumtamen cum ob vehementes solis ardores aliaque agri incommoda in periculosos morbos incidere compertum esset, simul omnes domum reuocati. tempus ita distributum, vt nec nimio studiorum labore frangerentur, nec otio languerent. gratiâ valetudinis conseruandæ corporum relaxationi aliquantulum temporis plus solito concessum, omniumque domesticorum victus & vestium commoditati nonnihil additum: quidquid tamen hac indulgentia, de ardenti virtutum & profectus studio videbatur posse remitti, hoc totum feruentiori aliunde meditatione, & assiduis pro communi clade precibus cum fœnore compensatum. His præsijs, Deoque (quod caput est) protegente effectum, vt ciuitate tota funèribus penè exhausta, è nostro numero tres dumtaxat eorum, qui res domesticas curant, communis calamitas extinxerit; quibus & quartum adde ex diuturno membrorum, crurium præsertim, dolore & cruciatu (in quo & præclarum patientiæ



patientiæ exhibuit specimen) sublatum. Fuit hæc pestilentiâ, vt plerumque solet, pernicios corporum, salus animorum. Nostri confessionibus audiendis operam strenuè nauarunt, nec minùs fructuosè homines enim nunquã reperti meliores, nunquam ad delicta purganda (præsenti videlicet periculo omnes urgente) promptiores; adeò vt, cum auctior quàm aliàs fuerit confessariorum numerus, satis omnes hac vna fuerint occupatione distenti. Vt autem ad nos absque vllò contagionis metu fidentiùs accederent ciues, quod à pluribus fuerat ardentè expetitum, id vni concessum, vt habitatione à reliquis segregatus ictis pestilentia hominibus se totù daret libens is ac sedulus in hoc ministerio erat; intempestis sæpe horis vocatus ad ægros, sopore discusso magnoque animi gaudio sine mora aduolabat: noctu interdiumque cum socio obibat urbem, ægros per vias & compita inuentos in nuda iacentes humo, semineces, fame morboque penè confectos collatis piorum liberalitate eleëmofynis subleuabat, & expiatis priùs animis in xenodochium curabat inferri. Quid multa? quantum in se erat operam suam patiebatur à nemine desiderari, donec tandem laboribus (credo) fractus, & vigilijs, communi etiam ipse malo oppressus est. Cæterum noluit diuina bonitas, vt is à cuius vna salute tot hominum pendebat salus, diu ægrotis deesset. Nondum plenè conualuerat, cum de aliorum magis quàm de sua salute sollicitus, ita ardens ad intermissos labores rediit, vt publicè testarentur ciues se tam opportunum in tanto animorum discrimine auxilium nunquam inuenisse. neque immeritò quidem; filij enim à caris parentibus derelicti, à Societatis homine non deserebantur. Hæc erat rerum facies. & ecce vis morbi sopiri repente visa: illico clausa hospitalis

ægotantium domus. culcitra, stragula, supellex tota combusta. Cæterum cum paucos post dies morbus ex inopinato recrudescens miserandam in plebe stragem ederet, & clauso iam valetudinario, qui affectos curaret nullus esset; plurimi quotidie succurrente nemine, nullis adiuti medicamentis, nullis Sacramentorum muniti præsidii interibant. Quare à nostris de xenodochio restituendo cum prætore serid actum & impetratum: ab Ecclesia Cordubensi aurei sexcenti, cum frumenti modii vicenis quaternis à Prætore ipso, culcitrae centum aliaque supellex; ab aliis pecunia vestesque in ægotantium vsus cumulatissimè suppeditata. vnde corporibus subuentum, indeque occasione sumpta animorum saluti opportunè prospectum. Sed nec conciones sacras hoc tempore nostri vel omiserunt vel intermiserunt; quin potius domi, in templo, in parœciis, foris, in viis ipsis publicis hoc vnum frequentissimè inculcabant; nempe peccatum malorum omnium caput esse, hincque tanquam ex vno fonte vniuersas corporis & animi pestes emanare. Nec frustra laboratum; ciuibus enim iniecta tam ardens animorum labes eluendi cupiditas, vt primùm Prætor ipse cum familia sua, Magistratus, iustitiæ satellites, viri primarij plerique, deinde opificum ordines omnes, adeoque ciues fermè vniuersi præfinito quique die domum nostram conuenerint, & absterfis criminum sordibus contra dirum pestis venenum cælesti se antidoto munierint: quin & ipsi vincti in ergastulis latitantes reliquorum ciuium exemplo lacestiti nostros vltro accersentes diuinis sese mysterijs expiarunt. Nec interim hæc sine solemnī pompa & apparatu agebantur. statuto quique ordine dieque concurrebant: summum templi nostri altare nitidissimo fulgebat ornatu, cereisque collucebat innum-



ris, quos hunc in finem ciuium ordines omnes pi<sup>â</sup>  
 æmulandi cupidine ducti certatim afferebant. Ad-  
 ditæ sunt conciones rei & tempori accommodæ,  
 & ad cumulandam lætitiã instrumenta musica,  
 & suauissima vocum harmonia ; qua dum vel res  
 diuina peragebatur, vel communicantes cælesti-  
 bus accumbebant epulis, mirè omnia resonabant.  
 Sed & alius extitit concionum fructus: nostrorum  
 enim suasu in parœciis & Religiosorum omnium  
 cœnobijs omnibusquadraginta horarum solemnem  
 comprecatio instituta, & sanctorum Acyscli & Vi-  
 ctoriæ Diuorum huiusce ciuitatis tutelarium reli-  
 quiã, nec non & summæ apud Cordubenses vene-  
 rationis Christi effigies de cruce pendentis præ-  
 lata per urbem supplicatione solemnem. Supplicatio-  
 ne ergo præstituto die indicta, vt propius ad nos  
 ventu est, exierunt domestici omnes longo agmi-  
 ne excepturi pompam, & Sanctorum (quæ antea nõ  
 prodierant in publicum) reliquias veneraturi. Erant  
 præ foribus nostris (quæ pompa traducenda erat)  
 terna erecta altaria pulcherrimo instructu, parie-  
 tes vestes explicabant sericas : nec ad Sanctorum  
 celebrandas laudes (Canonicorum enim id petierat  
 Collegium) deerant carmina vario numero, idio-  
 mate, artificio, dispositu, plena artis & ingenij. hæc  
 enim licet nostri tardè moniti festinata potius ef-  
 fuderunt, quàm elaborarunt ; tamen vsque adeò  
 probata sunt, vt cum sacrę fidei Quæsitores, eo ipso  
 die ædes nostras inuisentes, plura recitata audiuis-  
 sent, mirum in modum delectati eorundem sibi  
 copiam fieri postulauerint. Sodalitas anno supe-  
 riori inchoata præclaros habet Deo fauente pro-  
 gressus. Sacra mysteria frequenter Sodales vsurpât,  
 ad publicam in templo nostro diuerberationem  
 bis per omnes anni hebdomadas, ieiunij maioris  
 tempore ter, ducenti & quadraginta conueniunt.



Nec suæ tantùm salutì consulunt, sed alijs etiam piè subueniunt: eorum enim liberalitate multorũ infirmitati, egestati, infamiæ occursum. E multis exemplis duo subiiciam: dum per urbem concursant (vt ipsis mos est) ad egenos, quò ipsis opem ferant, perquirendos, domunculam quãdam non sine Deo duce ingressi puellam offendunt humana ope destitutam, squalore loci, fame & cancro penè confectam Extrahunt, curant, necessaria in posterum vitæ subsidia non minùs liberaliter quàm piè suppeditant. Nec dissimile, quod sequitur. incidunt alij in senem grauissimo morbo, summaque rerum omnium inopia laborantem: eleëmofynis subleuãt, vt animi labes expiet, & alium Eucharistiæ Sacramentum suscipiat, inducunt. mira Dei dignatio: his munus præstidij felicissimus senex è vita migravit. Ex eodem cœtu duo ad corrogandam stitem destinati, per celebriora ciuitatis loca bis egressi, aureos amplius quadringentos collegerunt, quibus & liberati vincti, & quos precario victitare pudet, adiuti. Id quoque piè ac religiosè curatum, quòd Christianæ doctrinæ libellos octies mille, pecunijs sumptuque excudi suo voluerunt: his enim per urbem & diœcesim totam euulgatis effectum, vt innumeri homines, quæ ignorabant fidei rudimenta perdiscant, & pueri relictis lasciuioribus cantiunculis salubres Christianæ doctrinæ notas vbique decantent. Nec in postremis vtilitatibus esse debet, quòd cum ex horum Sodalium numero viceni per vias publicas processissent, singuli singularia malluua, cibus, condimentis, varijsque obsonijs referta gestantes, eaque in xenodochium totius Sodalitatis nomine comportassent; reliqui ciuium ordines hoc incitati exemplo, alijque alios pia liberalitate præire gestientes ita se munificos præbuere, vt aureos nõ minùs octies mille in ægro-

tantium

tantium subsidium hac occasione cōtulerint. Scholas nostras, quas morbus occluserat, idem recedens aperuit. Non ita plenus auditorum numerus, sed paucitas pietate pensatur. Variis Religiosorum familijs nomina dedere triginta, in nostrum Ordinem sex adsciti. Meditationibus Societatis exculti non pauci: vtilitatem probavit mutatio morum, & noua viuendi ratio à pluribus suscepta. Qui patronam sibi Dei genitricem adoptarunt, cœtus suos ob temporum difficultatem intermissos prima hyeme acrioribus studijs repetierunt. eorum consuetis exercitationibus hebdomadaria de quaestionibus conscientia collationes nunc primùm additæ, quibus præter Virginis cliētes alij Ecclesiarum Rectores, & Decuriones non sine vtilitate intersunt. At inter reliquas horum Sodalium laudes non ea minima esse debet, quòd ex ipsis aliqui non sine certo vitæ discrimine, alij cum eiusdem dispendio, affectorum confessionibus excipiēdis vacarūt. Ab eisdem quoque nouemdiale funus solemnè ritu institutum, & sacra mille quingenta pro pestilentia extinctis oblata. Hæc quoad res domesticas, vrbanaſque: quibus licet nostri satis vix fuerint, paganam tamen expeditionem, vbi morbus remisit, non omiserunt. Parthenij quoque Sodales nostrorum imitati exemplum excursiones fecerunt non minori suo labore quàm aliorum vtilitate & exemplo. dies integros, & non minimam noctis partem in concionibus habendis, in excipiendis confessionibus, in rudibus puerisq̃ue catéchismo instituendis insumebant: libellorum Christianæ doctrinæ & rosariorum vim nõ paruam distribuebant in plurimos; & vt nostræ per omnia vocationis æmuli viderentur, stipēdium & stipem quamcunque à viris pijs delatam recusantes, gratis omnino laborabant.



*Collegium Montellanum cum Domo  
Probationis.*

**A**lienæ salutis procuratio, & Societatis munia eadē quæ semper, neque minore cū fructu. è tironibus duo sublati, alter ex auditoribus nostris admisus. Sacra supellex aliquibus ornamentis aucta, inter quæ & pensilis ex argent eo lychnus, qui aureis septuaginta stetit. coëmtus etiam fundus peramplus, ex quo iam Collegio melius fore arbitramur.

*Collegium Granatense.*

**V**T à domesticis incipiamus; bellè quidem cuncta procedunt. eorum qui literis humanioribus dant operam, mirabiles in vtraque lingua progressus. B. P. N. Ignatij ferix sollemnes apud nos fuere, tum ob magnam carminum varietatem & copiam, tum ob eorundem acumen & elegantiam, adeò, ut velex ipsis quo Fratres nostri in Parentem suum sint animo, facilè posset intelligi. Celebritatē auxerunt non solum Illustrissimus Guadixensium Episcopus, alijque Bæticæ proceres, qui per eos dies Granatæ aderant, sed ipsius vrbis viri primores omnes: qui cū intra priuatos parietes aulam à nobis pulcherrima veste ornatam, altare erectum, & in eo B. Ignatij effigiem collocatā accepissent; dies octo continuos, natalem ipsius subsequutos, ad effigiem inuisendam & venerandam frequentes concurrerant; haud minora suæ in Parentem nostrum religionis, quàm in Societatem beneuolentiæ documenta præbentes. Ad instrumentum sacrum pretiosa ornamenta accessere non pauca, inter quæ & crux argentea trecentis æstimabilis aureis, ad sup-  
plica-



plicationes, & nostrorum funera collectitia stipe elaborari cœpta. Alterum domicilij membrum, amplum satis nostræque habitationi percommo- dum anno hoc inchoatum, strenuè promouetur. In Societatem è scholasticis nostris sex adnumerati. Ceterum diem obiit, & sui nobis desiderium reliquit Pater Ioannes a Soto vir cum reliquis virtutibus conspicuus, tum pueris ad prima Grammaticæ rudimenta instituendis ita deditus, vt in animo habuerit huic se muneri perpetua voti sponsione consecrare. Quæ solet vnoquoque mense in suburbanum S. Elisaberthæ templum fieri profectio, pari hoc cum prioribus annis vtilitate suscepta. magna quidem illic seges ac materia laborum, sed laboribus fructus respondent pares. Mulier quædam cum audisset illum in vicum sacerdotem è Societate venisse, confestim ad eum tamquam ad opem sibi diuinitus missam confugit. fuerat ea quidem socia alterius, & flagitiorum consors: quæ postquam omnium libidinum contumeliam turpitudinemque diu exercuisset; graui tandem & ancipiti morbo prostrata in vltimum vitæ discrimen adducta est; nec tamen vt vitæ sæditatem deponeret, in mentem veniebat. hortatur socia, vt confessionis curationem admittat. frustra. ipsa diem ex die trahit, & Dei vocem procrastinando contemnit: eò enim miseram sua scelera protraxerant, vt, desperata licet valetudine, morboque iam & macie confecta, adhuc tamen in turpitudinis cœno se amplius volutaret, Deumque qui & morbo iam & cõsortis suæ monitis ad pœnitudinem inuitabat, in ipso mortis constituta vestibulo, nouo libidinis scelere iritaret. Cum igitur vehementi dolorum æstu, & iniquæ potissimum conscientia cruciata stimulis nocte quadam mœsta iaceret & sola, sociam accersuit, quò acerbiter dolorum suo ipsa leniret consortio.

confortio. accessit illa; nec ita multò post ægra corporis quidem, sed animi magis, oravultumque distorquens, & turbidos hac illac circumuoluens oculos, Auferte, inquit, hos, qui me torquēt, demones. tum continuò cæsariem dilacerans, & radicitus euellens, frendens, ac stridens horrendum in modum, deinde diaboli nomen bis inclamans, linguam mediam dentibus abscidit proprijs, eoque ipso temporis momento animam misera efflauit, flagitiosam vitam infelicissimo fine cōcludens. Eo prodigio, exterrita mulier illa, quæ fuerat ei & vitæ socia, & mortis testis, ad nostri confessarij se pedes abiciens, rem totam aperuit, & admittā criminā salutari confessione detegens, meliora cœpit respicere. Bis etiam excursus est in oram Alpufarram. magna ibi rerum diuinarum ignoratio: plura obita oppida magno cum animorum emolumento. in vno (vt communia dissimulem) inter patrem & filium qui exulabat, præter naturæ legem amor ac reuerentia reducta. In alio, mulier quæ pessimo exemplo animam perdiderat propriam, alijsque erat offensio & illecebra peccandi, cum nostrum audisset concionatorem, nil habuit prius quàm vt peccata deleret, & ad vitam se reciperet honestiorem: ne autem noxijs se voluptatibus amplius inquinaret, nostrorum operâ in tutis sedibus collocata est. Illustrissimus Archiepiscopus Granatensis in perlustranda diœcesi rebusque arduis omnibus, nostrorum operâ vtitur & consilio. totus is noster est, vt perhonorifici ipsius de nobis rebusque nostris vbique habiti sermones abunde testantur.

*Collegium Marcenense.*

QVæ Marcenæ anno posteriore aperte sunt scho-  
 læ, maiora indies capiunt incrementa. magna  
 discipulorum assiduitas & sciendi cupido: sex ora-  
 toria & poëtica præclarè instructi ad altiores di-  
 sciplinas è nostro gymnasio euolarunt: totidem ad  
 varia sese recepere cœnobîa, duo ad nos transiere.  
 ardens in omnibus pietatis studium: hinc cæteros  
 agnoscite. Inter adolescentē indole & genere præ-  
 stantem, aliumque humili conditione natum ex-  
 orta est leuis dissensio. hic æquo insolentior in al-  
 terum irruens colaphum inspectante scholastico-  
 rum corona, furenter impegit. at nobilissimus a-  
 dolescens virtutis lumine religiosi viris exequan-  
 dus, nil motus tam insigni contumelia, submissis  
 oculis præceptorem adiit, & quantamlibet pro-  
 fessus est iniuriam se libenter condonare; adeoque  
 ipse etiam vt remittat, obnixè precatus. nec hoc  
 contentus, pueri parentes adiens bono iubet esse  
 animo, metumque omnem deponere; se parentes  
 ac propinquos suos placaturum. hi nimirum viri  
 acres cum essent ac nobiles, quò iniuriam generi  
 suo illatam vlciscerentur; puerum (ni ipse eos a-  
 dolescens suis placasset precibus) vel priuatim  
 occidere, vel publicè Magistratus operâ & aucto-  
 ritate punire decreuerāt. Egregium hoc modestiæ  
 & patientiæ exemplum adeò permouit adolescen-  
 tis cuiusdam, qui intererat, animum, vt abdicatis  
 continuè sæculi diuitiis & voluptatibus, rebus hu-  
 manis nuncium remiserit ad cœnobij portum  
 sinumque confugiens. Inuectus mos est vt scho-  
 lastici in templo nostro sese diuerberent: licet au-  
 tem in multis Bæticiæ prouinciæ domiciliis nil fe-  
 rè frequentius; Marcenenses tamen ad flagra vsur-  
 panda



panda hætenus adduci non poterant: at præfenti anno tantum in hac re perfectum, vt viii etiam primarij nonnulli auditorum noſtrorum incitati exemplo, flagra tractare cœperint, & in multis fræno iam, non calcaribus fit opus. Hæc quoad res ſcholasticas. Si reliqua Societatis munia ſpectes, omnia ſimiliter lata. tenetur conſuetudo vinctos frequenter inuiſendi; eluuntur eorum animi Sacramentis; informantur ad pietatem cohortationibus, & corpora ſuppeditata pecunia à piis hominibus nonnumquam ſubleuantur. Homicida vnus morte luiturus maleficio, iis, qui cauſam vrgebant, noſtrorum ſuaſu dimittentibus iniuriam, è laqueo & carcere trecentis ad hoc corrogatis aureis ereptus. Fidei rudimenta à ſcholasticis sæpe decantata iucundum ſimul & vtile dedere ſpectaculum. Cohortationibus enim per hanc occaſionem in platea habitis ſic permoti sæpe auditores, vt aliqui octo, quatuordecim alij, alij quatuor & viginti annorū conſeſſiones repetierint, & quæ præ pudore peccata reticuerant, ſummo animi dolore detexerint. Mulier quædam, cuius vita moreſque multis offenſioni erant (ei enim tres ipſos annos cum propinquo res fuerat) ingenti omnium gaudio & noſtrorum hominum commendatione ad frugem & diſciplinam reuocata. Nec verò minùs feliciter in diſcordijs componendis laboratum. Viri duo nobiles alium ſplendidè ſimiliter cognationi innexum vulneratum grauiter ad mortem penè adegerant. magna procella & certus multorum timebatur interitus. at interuentu vnus è noſtris, qui vulnus acceperat, vulnerantibus non modò impunitatem conſeſſit; ſed vbi primùm conualuit, eoſdem in ædibus noſtris aduentum ſuum præſtolantes peramicè amplexus, omne ijs in poſterum obſequium haud aliter, quàm ſi

multis

multis ad id teneretur nominibus, spondit. Nec minoris Dei gloriæ quod sequitur. duos in oppido propinquo primarios viros (alter nobilis erat, & sanctissimæ Inquisitionis Commissarius; alter in principe oppidi ipsius, templo Ecclesiastica dignitate conspicuus) grauis cōtentio de honore subseclij in templo exorta in iras implacabiles & grauissimas distraherat inimicitias. Eò res deuenerat, vt hinc vtrimque iactatis sepe contumelijs, Commissarius tandem in media templi luce sacerdotem conuicijs exagitans cōtaminata, & (quod extremæ ignominie est) infami Iudeorum stirpe oriundum, inspectante & audiente populo, contenta voce proclamaret. nec contentus verbis, publicas continuò tabulas è marsupio prolatas ipsi in medios oculos furenter adegit, quibus eandem quam verbis asperferat infamiam, legitimo testimonio cōprobatam vociferabatur. Ad pugnos procul dubio ventum esset, ni qui aderant animos sui impotes ab vltiori tunc temporis iracundia prohibuissent. Commissarius è templo continuò discessit, nec in illud iterum sex ipsos menses (donec nimirum res tota confecta est) pedem vt inferret precibus vllis exorari poterat. Sacerdos verò ignominie partim pudore, partim vindictæ stimulis agitatus rem totam tum ad Cardinalis Hispalensis, tum ad religionis Censuræ tribunalia detulit. litem intendit aduersario, & persequebatur acerrimè magno oppidanorum & ipsorum apud quos agebatur causa iudicum offensione & scandalo. Hęc ita se habebant, cum de nostris duo, viri cuiusdam Societatis amicissimi rogatu & accersitu, ad finem negotio iam penè desperato imponendum profecti sunt. Prius ergo sacerdos noster Commissarium cōcione habita nonnihil emollitum eo rationum pondere (Deo vim verbis addēte) aggressus est, vt litem to-

tam



tam ipsius arbitrio dirimendam vltro permiserit, seque quæcumque ipse imperasset facturum promiserit: quod ipsum à sacerdote, adhibita tum oppidi ipsius Vicarij, tū Archiepiscopatus Hispalensis Visitatoris (qui per eos dies illuc appulerat) ope & precibus impetratū. Cū ergo in Visitatoris ædes conuenissent, vterque in genua procidentes non sine suis & spectatorum ferè omnium lachrymis mutuo sibi pedes deosculantur, vltro citroque veniam petūt Commissarius iam, quam sacerdoti aspererat generis infamiam reclamatione, & vterque cōuicia, quibus se antea prosciderāt, per litteras, quas apertas, & vtrique tribunali dicatas attulerant prælectas retexūt, à lite & actione omni desistere sese testantur, mortemque aiunt potius se appetituros milites, quàm recōciliatæ pacis fœdera rupturos. Tandem verò quò stabilita hæc animorum concordia redderetur firmior, litteras, quas ipsi prælegerant, publici Notarij manu consignari voluerunt. Dicit vix potest, quantum ex hac vna re, & existimationis & beneuolentiæ nostris accesserit. Alij ad ipsos tanquam eius rei auctores gratulabundi, alij opem ad similes discordias sedandas implorantes conuenere, adeò vt eorum ex oppido discessum ægrè tulerint.

### *Collegium Xerecense.*

**S**Tudijs muneribusque Societatis fructus leguntur non exiles. Rem familiarem Comissa à Sancta Gadea tercentum auxit aureis, quæ & viri sui emortui Castellæ maioris Præfecti corpus aromatis conditum è promontorio Iunonis (portus is est maritimus, qui binas abest leucas) solemnè pōpā traduci, nostroque in templo senos voluit menses reponi, donec Castellam, vbi Præfectorum sepulcrum



chrum est, transferretur. In eius gratiam argenteam lampadem octoginta appensam aureis donauit. rebus quoque minutioribus instrumentum sacrum aureis similiter octoginta amplificatum. Congregatio sanctissimæ Dēiparæ pietate indies crescit & numero. Sacellum & imago Virginis affabrè facta frequenter & assiduè à Sodalibus celebratur. Alius è prima nobilitate cœtus, vocabulo Sanctissimæ Trinitatis insignitus, mira ciuitatis acclamatione augetur. Tabula B.P.N. Ignatij auro multo gemmisque ornata eo quo obiit, & octo subsecutis diebus, in altari maximo populo veneranda proposita est: & de clarissimis illius virtutibus trinæ ad populum à nostris orationes habitæ.

### *Collegium Vbetanum.*

**H**ic Collegio nil ferè familiarius, quàm vt discordias, quæ hîc frequentes oriuntur, extinguat. Duorum nobilium famuli in duas diuisiones, similitates inter se exercebant, & iras penè implacabiles. Vulnèra in vtramque partem data & accepta fuerant. Hinc inter ipsos heros exorta grauis & periculosa dissensio, cuius nullus alius ostendebatur exitus, nisi pugna, cædesque multorum: eò enim iam res deducta erat, vt de quæsitore hanc in causam de curia regia accersendo ageretur. At nostrorum operâ, rem Deo bene iuuante, destitum est vtrîque ab incepto, pax constituta, & literis publicis in ædibus nostris confirmata. Quidam cum cognati interfectorem legibus ac iudicio acerbissimè persequerentur, victas tandem dedere manus, & omnem quam aduersario intendebant actionem omittentes, veniam percussori nostrorum labore & precibus condonarunt. Duo hæc attigisse sufficiat: reliqua similia sunt. Ciuium in

nos benevolentia quotidie maior, ac notior: & ordinum omnium qui ad nos Sacramentorum ac consilij capessendi causa confluunt, summa celebritas; celebritati par fructus. Exempla Christianæ pietatis, quæ ieiunij maioris tempore solent enarrari, inusitato virorum etiam nobilium concursu frequentata sunt, & verba enarrantis excepta à verberibus se ipsos cædentium. Custodiæ publicæ, nosodochia, scholæ nostrorum operam non desiderant. quantum denique ciuibus nostra profit industria, ipsimet sua liberalitate testantur. Collati sunt eleëmofynæ nomine aurei centum & viginti, frumenti modij sexaginta, ad ornatum templi sacræ vestes aliquæ, & ad bibliothecam Plantiniana Biblia, quæ regalibus steterè bis centum.

### *Collegium Malacense.*

**A**Nnus etiam hic pestilens apud Malacenses fuit: tamen nostros eò vsque diuina prouidentia protexit, vt in medijs periculis sine periculis videantur fuisse: tantum autem abest, vt pericula declinarent, vt quisquis Sacramenti causa aliquem euocasset, ad eum sine recusatione, ac sine discrimine mitteretur. Duo è nostris cum ægrum vlceribus plenum, neque à re solùm, sed etiam à spe omni derelictum in agro offendissent; deduxerunt in urbem, rebusque omnibus opportunè iuuerunt. Sodalitas piorum, qui has sibi partes piè ac religiosè vindicant, vt publicis custodijs subsidio sint, consuetum feruorem retinet: ijsdem, quantum fieri potest, à nobis succurritur, & fontes capite plectèdi extremo in agone edocentur & confirmantur. Quidam magna bonorū parte spoliatus per summam iniuriam carceri addictus, & mercator alius aduena quòd negotiationis cum externis regni hostibus

hostibus falsò infimularetur, in ergastulū detrusus, & compedibus miserè onustus fuerat: at nostrorum operâ sua lux veritati reddita est. vterque è carcere ereptus, & ei, cui bona fuerant iniustè ablata, integrè restituta. Conueniunt ad nos festo quoque die plures piorum causa colloquiorum: qui postquam exemplum aliquod pietatis à sacerdote nostro audierunt, eundem in valetudinarium itantem prosequuntur, cibaria deferunt, ægrotis ministrant, lectos sternunt, & quæque pietatis officia præstant. Diuina præterea mysteria frequenter vsurpant, ternis hebdomadæ diebus sacro Domini Aduertu & Quadragesima, in reliquo anno binis, se flagris cédunt. Ex his quidam cum duos ciues capitali odio dissidere rescuissent, vtrumque ad exemplum audiendum perduxerunt. vix illud enarratum erat, cum è sedibus assurgentes, in mutuos ruerunt amplexus, odia deinceps amicitia concedentes. Concionum fructus & confessionum extitit vberimus. Quidam aduersario, à quo cõtumelijs fuerat affectus, moliebatur interitum, at nostrorum suasu à meditato scelere deterritus est. Veteres fratrum similtates compositæ Sorores duæ quæ affinem inuisitata rabie aspectibus ac sermonibus fraudabant, communi multorum lætitia cum ipso recõciliatæ. E feminis quæ pudicitiam suam fœdè vulgaerant, duæ ex eo probro ac dedecore sunt ereptæ, tantumque argenti corrogatum, vt facilè in matrimonium collocarentur. Pellices concubinæ quatuor à libidine ad frugem reuocatæ: ex his binæ, conquisita à nostris dote, nuptui traditæ sunt. Vxoribus item duæ à viris aberrantes cum illis in gratiam rediere. Alia quæ octo iam annos ab animo expiando abstinerat, ad patefacienda antea actæ vitæ flagitia maculasque perducta. Dæmon truculenta specie, & horribili interdum molossi, forma



vasto oris hiatu ad deuorandum expedito cuidam frequenter apparebat. sed is cùm rem totam sacerdoti nostro aperuisset, criminibus ab illo confessione facta purgatus est, simulq; pauore illo ac molestia liberatus. Denique in hac ciuitate cùm alia multa ad Dei gloriã sunt acta, tum occasione concionis ab vno de nostris ad mulieres quæ corpora sua ad quæstum & libidines publicè prostituerant, habitæ, per id temporis quod inter diem sanctæ Mariæ Magdalenæ conuersioni festum, & Christi resurgentis sollempnia interiectum est, deserta mansit & clausa illa scelerum omnium ac flagitiorum officina. Præclarum etiam illud, quòd ex ijs qui in vinculis ob eòs alienum detinebantur, Paschali tempore plures, in Natali Christi omnes collecta à nostris stipe, æreque dissoluto, liberati sunt. Duæ quidem res quæ simpliciter tamen dictæ, magnitudinis plures vincant, etiam si sermone ornentur.

### *Collegium Bæzanum.*

**P**Rælectio de rebus Theologicis, quam è nostris vnum in Academia publicè habere litteris alijs compertum est, progreditur magna docentis commendatione, maximo discentium bono. Ciuum ad vsurpanda Sacramenta nostris in ædibus ea est sollempnibus præsertim anni diebus frequentia, vt pusillum Pascha quodammodo videantur referre. inter hos numerare licet plures, qui cùm semel in anno animum sacris expiabant, nunc ad id octauo quoque die præstandum sunt inducti. Accersimur quotidie ab ijs qui extremo in agone versantur: imò illi qui in reliqua vita nostrorum aspectum & colloquia vitauerant, in vltimis illius horæ angustijs constituti, non die, non nocte sacerdotem abesse nostrum à suo latere volunt. Dominico quoque

que die conuenit in domum nostram multitudo hominum non infrequens ad pij libri lectionem, & præceptorum diuinæ legis explanationem (quæ & exemplo aliquo confirmatur) audiendam. Vincti hebdomadis singulis à nobis inuisuntur, in ijs quæ cuique ad salutem scire necesse est instruuntur; & exemplo enarrato ad frequentem confessionis vsum excitantur. quod quantæ sit vtilitatis vel ex eo liquet, quòd vincti ipsi ad eluendas animi labe sacerdotem nostrum sapissimè accersant. Ciuium in Beatum Parentem Nostrum religio augetur in dies, vt eorum liberalitate iam tabula ipsius in altari arcuato opere pulcherrimè elaborato collocata sit, & clathris altare circumdatum. Hanc Deus pietatè ciuium alit interdum fouetque prodigijs. Infans quidam cum herniosus è materno vtero prodijisset, pari cū ætate cursu morbus augebatur, donec intestina in scrotum miserè deciderent. mater ad templum & Parentè Nostrū confugit: orat vel filiolum vt sanet, vel maturum ei è vita discessum, ne tot doloribus crucietur, à Deo impetret. Nō spreuit diuina bonitas æquas mulieris preces. domum rediens, & fasciam qua stringebatur dissoluens, puerum morbo liberū reperit. nec iam tumoris aut vulneris vestigium vel minimum apparuere. Erat item feminæ cuidam vnigena filius, fortunarum amplissimarum heres, sine quo vitam mater acerbam atque iniucundam putabat. hunc cum epilepticus quidam morbus corripuisset; mater mœroris & anxietatis plena ad ædem nostram præpropere cursu festinat, B.P. Ignatij opem & preces lachrymis fufis implorat. deinde domum reuersa infantulum manus & pedes miserè concuientem, & cum mortis angoribus conflictantem offendit. at ipsa quæ pro salute charissimi pignoris nullum nō mouebat lapidem, ad Beatum Ignatium

preces iterum & animum conuertit ; & speciem ipsius ære insculptam puero iam sine sensu spiranti tamen adinouit. ea vis fuit mulieris in Deum fiduciæ, vt effigies quàm primùm semianimum corpus attigit, redire continuò ad sese puer, & quodammodo visus sit reuiuiscere : nec priùs dimidiatu horè quadrans transierat, cùm illo membrorum concussu & morbo omnino liber materna captauit vbera, incredibili matris & astantium omnium voluptate. ipsa verò in grati animi significationem illius à quo tantum beneficium acceperat, altare inuisens, & ad effigiem sese abijciens censum sponndit annum, quo lychnus ad ipsius aram oleo iugiter foueatur & ardeat. Hæc & similia à B. P. N. accepta beneficia, ita ciuium in ipsum venerationem excitauerunt, vt ad eius altare effigies ex cera votiux penè tercentum appensæ cernantur, & sacerdotes quàm plurimi ad sacra in ipsius altari celebranda, ei que pro suis & aliorum periculis ac necessitatibus offerēda certatim quotidie cōfluāt.

### *Collegium Cazorlanum.*

**C**Azorlani suam in nos consuetudinem benefici retinent, aureos emendæ dederunt campanæ centum & viginti, nec desunt alia amoris indicia quo nos prosequuntur ac fouent. Nostri vicissim cōsuetudine officiorum suorum, vt gratiam quam possint referant elaborant. at vt aliquid excipiam, sacerdotis nostri suasu discessit ab adultera quidā, cum qua multos iam annos inspectante ac gemente oppido vixerat, eam que tandem licet genere & fortunis imparem in vxorem duxit. Alius profligatæ homo vitæ falsum testimonium dixerat, quo alterius obscurare famam nitebatur : at nostrorum industria detecta iudici fallacia, lux veritati



ritati reddita, & insons infamiæ suspicione liberatus: qui tamen vt iniuriam beneficio rependeret, iudicem adiens impunitatem precatus inimico, & ab eo à quo offensus fuerat, haud aliter quàm si ipsum offendisset, veniam postulauit. Numerat gymnasium nostrum auditores quadraginta supra ducenos, aduenasque in his multos, qui gymnasij nostri doctrinæque fama commoti, relicta vicina Academia Biacensi ad nos longinquis è locis confluunt. adfert gymnasio decus conuictorum domus, quæ vt hoc anno pleniori contubernaliũ numero, ita literis magis & pietate floruit. Eorum vnus hanc sibi legem indixerat, vt singulis sabbati diebus ieiunium in B. Virginis honorem religiosè obseruaret. is cùm in paternam domum vacationum diebus secessisset, iussus à patre (quod eum pallido vultu, & macie extenuatum videret) ientaculum sumere die sabbati, perstitit in recusando. instat pater, colaphis & pugnis cædit: at ille in lucro hæc ac beneficij parte reponens, ex colaphis pulchram contexit patientiæ coronam, vt ieiunium in Virginis honorem susceptum violaret, adduci non potuit. cernitur etiam horum adolescentum ardor in amplectendo cœnobio. nam cùm duodeni ad varios se contulerunt cœnobitas, ad nostrorum nouitiorum disciplinam sex admissi. Horum vnum cùm pater vir nobilis longo itineris interuallo venisset vt ab incepto retraheret, nil intentatum reliquit quo filium sibi obsequentem faceret: sed frustra adolescentis animum cælesti robore obfirmatum fatigabat, adeoque tandem victus, & re infecta domum se retulit. Alius item similem præ se tulit constantiam: cùm enim eo ipso die quo Societatis factus est particeps, venisset frater eius ad ipsum tempore intermissionis studiorum, quæ tunc instabat, ad notam natiui

cæli, patriæque domus indulgentiam (vt fit) abducendum; nullis neque fraternis blanditiis, neque minis, neque vi adduci potuit, vt domum cum eo rediret à parentibus petiturus assensum, aut ipsis saltem vale dicturus. Et quamquam domi animorum commodis opera nauatur, missa sunt etiam in pagos, quos Bacæ Hoiam vulgus appellat, summa cum vtilitate subsidia. ad concionem tanta multitudo, vt templa non caperent minimam partem; ad detegendas noxas certatim concurrebant oppida integra. sacerdotes aliqui officij sui commoniti, & ad emendatiore viræ rationem translati.

### *Collegium Gaditanum.*

**G**Aditanis ciuibus quantum Societatis proſit industria, ipsimet testantur prolixè suę in nos benignitatis notis ac documentis. Licet enim ciuitas hæc satis ex se opulenta, extraordinariis impensis superioribus annis attenuata fuerit, quippe quæ & pestilentia vexata est, & aureorū sexaginta millia ad obſides qui in Anglia detinebantur, redimendos contulit; nobis tamen elemosynę nomine aureos mille amplius & ducentos attribuit: vnde per amplum Collegij membrum nostrorum habitationi & vsibus oportunum, quod annis iam aliquot inchoatum fuerat, strenuè virgetur. Ista autem ciuitatis liberalitas nostrorū operam languere non finit. In vrbe doctrinarum studia & reliqua Societatis officia ea qua solent sedulitate tractantur, conatibusque respondet vtilitas. Nec intra vrbis mœnia nostrorum se continuit charitas, effudit sese in pagana etiam loca: duo enim in finitima duo oppida profecti Socij eam retulerunt segetē, vt facile quiuis intelligat, quantum in huiusmodi profectiōibus ad subleuandas animas sit momenti.

vtili-

utilitatis argumēto fuere confessiones à primis annis repetitæ quingentæ , & vt vno verbo dicam, tantus vtrobique oppidanorum animis iniectus ardor, vt non modò nostri, sed nec aliorum Ordinum Religiosi consentium satis essent multitudini. Reliqua vos cogitate. excipio hoc vnum. duo quidam plus quam hostili odio inter se discrepantes, quos proinde nullius auctoritas reducere in gratiam potuerat, docti sunt a nostris pacem concordiamque tueri. Et cum eorum vnus animo ita esset infenso, vt vitam abiicere, fortunarum omnium animæque dispendium facere dictitaret se malle, quàm odium deponere; ita nostrorū interuentu & diligentia placatus est, vt hostem expansis susceperit vlnis, & tabulis publicis damnauerit se aureorū bis centum, siquando Christianæ charitatis oblitus ad priores rediret inimicitias.

### *Collegium Triguenserse.*

Occasione pestis è Fratribus nostris qui res domesticas curant, quinque extincti sunt: si tamen eos mors extinguit quos ad immortalē vitam perducit. Duo ad nostrā disciplinam admissi; hic temporalis Adiutor, ille vir primarius sanctissimæ Inquisitionis Commissarius. Reliqui omnes vt in suum profectum aliorumque salutem niterentur impensius, meditationibus nostris expoliti. Eo qui annum auspiciatur die Dux Bejarensis & Marchio Aiamontanus (quibus amicissimis vtimur) Gibrালেone oppido duabus hinc leucis absente, venerunt vt concioni nostræ, & Missarum solemniis interessent: eodem ipso die conuiuæ nostri esse voluerunt, idque eā facilitate, vt nec famulos suos sibi ad mensam accumbentibus ministrare paterentur. absoluto etiam prandio nobiscum ita fami-



liariter colloquebantur & agebant, vt nobilissimos proceres nobis pares diceret, & è nostro numero iudicaret. Oppidum pestilentia vehementer afflixit, & nostris facultatem obtulit & materiam pietatis vberissimam delectus vnus qui per oppidum laborantibus præstò esset, & Sacramentorum præsidio muniret: curam enim xenodochij decuriones quatuor per hebdomadas alternatim suo sibi iure vendicabant. maior incolarum pars pestilentie metu exterriti in agrum relicto oppido commigrarunt. At hos etiam fugientes nostri persecuti sunt: sæpè excurrerant in agros: nunc hîc, nunc illic populum per pagos dispersum vnà cogentes in ara subductili sacrificabant. eodem in loco concionabantur, & confessiones excipiebant. hæc autem sæpè, & commodè fiebant, quòd nostris à Vicario sacella hæc designandi, arasque per pagos erigendi potestas concessa est. Conciones (ab alijs licet occasione pestis vbique intermissas) nostri tamen ad excitandam pietatem in templo nostro sæpè, in plateis non rarò habuerunt. nec sine quaestu: his enim & octiduanæ peccatorum indulgentiæ (quæ nobis in annos decem ad maiorem anniuersariæ templi nostri dedicationis celebritatem concessa est) promerendæ studio, ita populus ad pietatem, & preces pro communi malo fundendas incitatus, vt qui in oppido perstiterant expiatis omnibus animis Eucharistiam rite susceperint. nec spreuit Deus æquas populi preces: peccatis enim vtpote morbi causis octonis hisce indulgentiæ diebus adeptis, morbus quoque ipse remisit, & intra totidem subsecutos funditus abiit, communisque valetudo publicæ præconis voce denunciata est. indicare nimirum Deus voluit, quanta non modò ad animi sed corporis itidem depellendos morbos cælestibus vis insit mysterijs. Res sacra viduæ cuiusdam munificentia aureis

reis aucta septuagenis, & familiaris fundo perutili. Alij præterea alia minutiora donarunt. Inter clericos octavo quoque die de conscientia rationibus collationes inductæ, quibus nostrorū sacerdotum vnus adest & præest. qua ex re ne optata quidem desideratur utilitas. Gratiarum reconciliationes factæ nonnullæ, sed præsertim inter viros primarios duos oppidi totius capita, Ecclesiasticum hunc, sæcularem illum constituta pax est, & discordiarum sublata occasiones.

### *Collegium Guadixense.*

Gvadixense Collegium alit è nostris non ampliùs quatuor. è quibus sacerdotes duo, sed qui tamè multorum exæquant industriam. Conciones nostras maxima omnium hominum celebritas nobilitatisque conuentus eo studio excipit, vt conferatissimam multitudinem sacrae ædis angustia non capiat. id quod tum maximè cerni licuit, cum ad auertendam pestilentiam, quæ Granatensium urbem non longè absentem peruaserat, in æde nostra nouendialis precatio coram augustissimo Sacramento palàm exposito instituta est: neque enim calorū molestia, (erat autem æstas media) nec negotiorum (quæ frequenter incidebant) grauitas impedimento fuere, quominus non solum senatus Ecclesiasticus, sed etiam sæcularis, aliorū Ordinum Religiosi quàm plures, omnisque ætatis ac conditionis hominum tanta celebritas ad conciones nostras, quæ octonis ipsis diebus singulis habebantur, conflueret, vt similis nunquam se meminisse frequentia Guadixenses affirmarent. Miratur ciuitas ciuium suorum à nostro in urbem aduentu mores immutatos, & frequentem Sacramentorum vsum, qui ad eò antea languebat, inductum. Sic magna  
Socie-



Societatis apud omnes existimatio, nostrum consilium & operam in rebus arduis adhibent, se & sua fidei nostræ committunt. Quotidianum hoc est, ut cum in morbum inciderint, nos statim accersant confessionis ergò. imò quisquis sacerdotem nostrum hoc in agone nactus fuerit, præclarè secum agi existimat, siue conualescat, siue moriatur. id quod vel ex eo perspici potest, quòd cum è primoribus vrbs quidã periculosè ægrotaret; Decanus ipse qui Episcopi vices adeoque primum in ciuitate locum gerebat, ædes nostras intempesta nocte adiens sacerdotem petiit, eundem comitatus est, nec priùs dimisit quàm in ægrotantis domum, cubiculum, conspectum deduxisset. Deinde perhonorificè de Societate loquens hoc se fecisse testatus est, quòd amico morienti nil gratius, nil vtilius facere quemquam posse existimaret, quàm sacerdotem ei è Societate adducere qui morienti adsit, de peccatis audiat, in agone confirmet. Valetudinario & custodijs publicis non parum emolumentum allatum. vinculis à quibus in vincula coniecti fuerant, impetrata venia. Nec defuit qui postquam nostrorum interuentu & precibus ab eo quem fœdè vulnerauerat impunitatem impetrasset, ne in huiusmodi amplius pericula vocaretur, à carcere in cœnobium rectà profectus est; vbi cum cœnobitis per dies aliquot ministrasset, eorum numero adscriptus est, & præclaro virtutum & vitæ exemplo progreditur. Quidam furti conuictus in admisso sceleris pœnam graue luiturus supplicium, siue dilationem quarens, siue solatium patrati facinoris, alium quoque subdiderat reum. hic ob iniustam criminationem carceri iam ac vinculis addictus fuerat: at nostrorum hortatu qui facta dixerat retractato iudicio infecta dixit, liberauit animam suam scelere, innocentem crimine, & maleficij sui pœnam solus



& æquissimo animo sustinuit. Odijs conjugalibus factus est finis: & vxor metu mortis fugitiua ad virum reducta. Quidam iniuriam sibi nescio quam à Societate illatam falsò ratus, furore percitus & vltionis stimulis, verba aliquot in nos contumeliosa effudit. rem cum magistratus rescuissent, hominem in vincla conuicere, officio suo, auctoritateque publica punire decreuerant. confecta res esset, ni nostri iniuriam beneficio rependentes, incolumitatem reo precati fuissent & veniam: vnde qui infensus nobis erat, amicus redditus, & præclara existimatio quæ de nostris ciues habebant, non mediocriter aucta. Ad flagella vsurpanda binis hebdomadæ diebus secundum signum Salutationis angelicæ homines honestæ conditionis non pauci in ædem nostram conueniunt. Continentem domum quæ ad cogitationes nostras plurimum faciebat, coëmimus, vnde laxior facta nostrorum habitatio. coëmptum & prædium Collegio vtilissimum: habet illud quidem ad laxandos à laboribus animos hortum satis amœnum, arboribus consitum, fontibus & riuulo medium ipsum præterfluenti irriguum: agrum præterea serendo tritico, & vinetum amplissimum. in eo nos villam patrio more extruximus, & ad nostros vsus aptè concinnauius.

### *Collegium Astigitanum.*

**N**ON solum domi in spiritualibus exercitijs nostri se omnes exercere, meditationes Societatis obeuntes, sed ad externos etiam ipsorum caritas abundè promanauit. Litterarum doctrina solita sedulitate tractatur. E primoribus ciuitatis animi non leuiter nec leues ob causas dissidentes, in concordiam redacti. Adolescens quidam nobilis, quem alij tres adorti graui vulnere affecerant, in vlciscenda

da iniuria totus erat. non mediocre timebatur malum. Paricus quippe è suprema aula expectabatur quotidie: at nostrorum suasu à causa destitit, & iniuriam suam libens Christo dimisit. Simili in causa, cuius adhuc infelicioꝝ timetur exitus, sedulam nostri operam posuere, feceruntque vt Arcobrigensium Dux suam interponeret auctoritatẽ dissidentium animos conciliaturus: quorum conatus etsi cassi fuerint, vt desideratum assequerentur euentum, non tamen vt ciuium de nobis existimationem augerent; plures enim hinc facti rerum nostrarum amantissimi. Alteri sedata mens est, funis-que extortus cui in animo erat spiritum duobus suspendio tollere. Alius qui sibi necem & vxori meditabatur, à quodam de nostris ad sanioꝝ reductus mentem, vniuersæ vitæ noxas saluari confessione deleuit. Æris restitutiones factę nonnullæ; ex his vna bis centum & quinquaginta aureorum, qui piæ cuidam feminæ sublati fuerant, nec recuperandi spes vlla affulgebat. Itur ad carceres & xenodochia, aliaque Societatis officia studiosè obcuntur: adeoque ciuium in nos beneuolentia magis declaratur indies. id quod testantur, tum olei frumenti-que copiosæ eleemosynæ, tum etiam vasa sacra, quæ aureis æstimata plus centum nobis donarunt.

### *Collegium Fregenalsense.*

**N**Ostrorum hinc opera in animorum salute sanè quàm vtiliter impenditur. Conciones fructuosæ, expiationes frequentissimæ: quo in munere studijs suis ac laboribus tantum sibi nomen nostri homines compararunt, vt nonnulli longo itineris intervallo veniant ad nos confessionis ergò. Alij à primis annis peccata retexunt, rati tum demum

præclare se animorum suorum salutem & conscientiarum tranquillitati consulere, ubi antea vitæ confessiones alijs factas nobiscum repetierint. Reliquis animorum præsidij par fructus utilitatis: Refarcita inter plures, Ecclesiasticos præsertim, amicitia; exactæ ab aliquibus pellices; aleatoriarum domus aliquot occlusæ. Vinciti corrogata pecunia partim subleuati, partim custodij exempti. Ex auditoribus nostris vndeni à sæculi fluctibus in tutum cœnobij portum confugere, in disciplinam nostram tres admissi. Et quanquam domi nil laboris operæque oppidanis detrahitur, tamen circumiacentibus pagis suas vigilias curasque nostri dissipant. In Valentinum oppidum (duabus abest leucis) semestris excursio facta est, sicque excitati oppidanorum animi, ut ferè nullus confessionis beneficio caruerit. Llerenæ non multos ante annos vixerat quidam fucatae sanctitatis homines (vulgò *Alumbrados*) qui dignationem sacerdotalis Ordinis indignis moribus polluebant. hi tandem comprehensi meritis simulatae pietatis dedere poenas, & sempiternum nomini suo dedecus iniustum reliquerunt. Ex quo tempore Societatis homines ex horum numero Llereneuses arbitrati, nostrorum doctrinam, colloquia, congressus tanquam perniciosum malum euitabant: at expeditione illuc præfenti anno suscepta, nostrorum virtute & Dei præsertim beneficio profectum, quid inter illos homines & nostros, fucos & apes interesset: & quibus antea ignoti eramus, facti sumus non solum noti, sed etiam cari. multi enim nostrorum pedibus aduoluti totius vitæ noxas salutari confessione deleverunt, & filios suos virtute & literis in scholis nostris imbuendos nobis tradiderunt. Itum est in aliud quoque oppidum Bejarensum Ducis accersitu: Dux ipse, Ducissa, aulici, & oppidani ferè omnes de



de peccatis audiri; à primis annis plurimi. vitiosæ consuetudines aliquot emendatæ, aliaque præclarè more institutoque Societatis inter que postremum illud censei non debet, quòd oppidum illud integrum cum quadragesimum iam annum à Bejaren- sium Duce domino suo diffideret, nec lites illas ac similtates vtpote iam inueteratas cuiuspiam componere posset auctoritas; per nostros stabilita tandem pacis fœdera, & discordijs omnibus finis impositus. Res pergrata oppidanis ipsique Duci accidit. mirè laudata Societas: frequenti campanarum pulsu publicæ sunt edita signa lætitiæ, & postero die ad grates Deo agendas sollemnis supplicatio indicta. Nec minùs laudabile quod sequitur. In eodem erat oppido cœnobium virginum, quæ fractis iam non tantum seuerioris vitæ ac religiosæ disciplinæ repagulis, sed ipsis caritatis Christianæ violatis legibus, in factiones & odia distractæ annos iam aliquot victitabāt. Eò processerant iræ, vt mutuis sese colloquijs & aspectibus defraudarent. Nec defuit quæ binos iam annos vbi alteri fiebat obuiam, velum obtendebat sibi, eam ne intueretur. Harum rerum fama diœcesim peruaserau vniuersam, & pessimè apud omnes audiebant. Multi ex omni ordine viri primarij remedia adhibuerant: sed frustra. nulla erat inclinatio ad pacem. Itaque nostros, cum rem aggredierentur, ipsæ virgines ab incepto dehortabantur, quòd dicerent frustra in negotio tam perduto operam consumptum iri. Verum Deo bene propitio, quod alij assecuti non fuerant, id vnus è nostris enarrato exemplo obliterandis iniurijs apposito tandem obtinuit. finita enim exempli narratione, omnes (ipsa reliquas exemplo præcunte Abbatissa) dolore multo & lachrymis in mutuos ruerunt amplexus Insequenti quoque luce peccatis apud sacerdotem nostrum confessione

fessione deletis cælesti epulo exceptæ sunt, iterum-  
 que inspectante Ducissa reliquoque populo obuijs  
 sese vlnis exceperunt. Hinc excursum in Zafram  
 Seguram aliaque oppida, quò vix aliàs nostrorum  
 quisquam pedem intulerat, fructu non pœnitendo.  
 Ab innumeris quotidie pagis accersimur: sed om-  
 nium postulatis annuere officia domestica & no-  
 strorum paucitas non patiuntur. Ad rem familia-  
 rem facta est accessio non vulgaris, nec mediocris  
 ad sacram: aucta enim est quaternis tabulis Beato-  
 rum nostrorum Patrum, & D. Illesonsi cui ædes no-  
 stra sacra habetur; Sanctorum reliquijs ter centum;  
 & salutiferi ligni particula non contemnendæ ma-  
 gnitudinis, quæ aureæ cruci argenteam stauero-  
 batem habenti inclusa asseruatur. Hæc omnia ab  
 vrbe Roma ad nos allata. tabulæ in altari summo,  
 reliquiæ verò vtrimque suis ad eas asseruandas apta-  
 tis arculis, collocatæ sunt. Proposita sunt etiam li-  
 terarium certamen & præmia, quibus Poëtæ ille-  
 cebris inflammati, versus ad augendam rei celebri-  
 tatem effuderunt pluriimos, eosdem optimos.

### *Residentia Antequerensis.*

SEdes hæc superioribus annis instituta lætissimos  
 iam habet progressus. Planè noster est populus,  
 nostra nobilitas, & (vt vno verbo dicam) nemo est  
 qui nostris non faueat rebus, nostris non lætetur  
 successibus. Area domus capacissima, in præclaro,  
 salubri, amœno, nostris muneribus aptissimo vrbis  
 loco sita. habitationem & templum sanè commoda  
 præsentī anno concinnauius. quin & vena per-  
 ennīs limpidissimæ aquæ senatus consulto nobis  
 attributa, & per fistulas in domum inducta: quæ  
 autem domesticis officinis superest, in hortum (qui  
 amplissimus est) deriuatur. Magni ad nos Sacra-

mentorū & consilij in rebus arduis (quæ non raro incidunt) capessendi causa concursus quotidie fiunt. Sedatæ discordiæ; publica flagitia exterminata; quin & ipsa hæc ciuitas mutuis similitatibus odijsque in factiones diuisa, nostrorum operâ euulsis ex dissidentium animis irarum fibris iterum conqueuit. Inchoata est piorum hominum Sodalitas, qui relictis quibus antea dediti fuerant ludis, flagella bis singulis hebdomadis vsurpant, conscientias octauo quoque die expiant, toties cælesti pane vescuntur, omnia demum Christiani hominis officia exercent, cæteros itidem suo exemplo lacescentes, vt studijs pietatis muneribusque se dedant. Templum nostrum magnum hoc anno cœpit incrementum: amplificatum enim est cùm tabernaculo adseruandæ Eucharistiæ perelegantium, tum corporato pueri IESV simulachro, cui argentea corona, & duplex donata vestis est, quarum vna textili auro pulcherrimè elaborata aureis multis indicatur. Accesserunt etiam Sanctarum vndecim mille bina simulachra dimidiato corpore extantia, quæ reliquias virginum specularibus inclusas pectore medio præferunt. Anni præteriti eleëmofynas ducentis aureis hornæ superant. quibus adiunge piam in nos Lusitani militis liberalitatem: qui cùm hac fortasse transiens incidisset in morbum quo extinctus est, bonorum suorum heredes nos supremo testamento scripsit: funere autem eius religiosè curato, ducenti nobis aurei superfuerunt. Nec desunt alia Antequerensium in nos beneuolentiæ documenta. faxit cæleste numen, vt quæ ipse benignitate sua tam clementer orditur, nos etiam laboribus studijsque nostris promoueamus.



## PROVINCIA SARDINIÆ.



Habuit hoc anno Sardinia Socios cētum circiter & triginta. In Collegio Sassaritano quatuor & quadraginta; Patres quindecim, ex his quatuor magistros, scholasticos sexdecim, & ex his tres magistros, & Philosophiæ alumnos, administratos rerum domesticarum decem. In Calaritano Collegio ferè totidē; Patres duodecim, ac ex his tres magistros, scholasticos decem & octo, ex his quatuor magistros, administratos rerum domesticarum vndecim. In Domo Probationis viginti quatuor; Patres quatuor, Coadiutores veteranos quinque; scholasticos duodecim tirōnes, Coadiutores item tirōnes duos. In Collegio Valleclesiensi decem; Patres quatuor, scholasticum vnum, eumque magistrum, Coadiutores rerum domesticarum quinque. In Algarensi vndecim; Patres quatuor, & ex his vnum magistrum, reliquos Coadiutores rerum domesticarum. Sex vitam clauferunt, totidem in Societatem admissi sunt.

*Collegium Sassaritanum.*

Exercitationes literariæ Collegiorum quidem propriæ assidua diligentia tractatæ sunt. Neque minori cum laude, moribus & Christiana pietate animi fidelium informantur: quod præcipuè in scholasticis nostris externis eluxit, dum Confessionis & Eucharistiæ Sacramenta obirent. ex quibus vnus decimum quintum explens annum, in nostro templo, Deo ita prouidente, procumbit humatus: capitis enim vertigine grauiter vrgente correptus,

in nostrum Collegium moribūdus immittitur, ubi ad breue tempus animam reddidit: cumque sofo-rem rogasset puer, vt si quid illis diebus humanitus contigisset, sepulturam à Patribus Societatis in suo templo contenderet (nulla enim ratione se domi suæ moriturū affirmabat;) eius voto placuit nostris satisfacere, suis enixè id efflagitantibus. Quo factum est, vt obtineret casu, quod consultò fortè viuus non impetrasset. In Sodalitatibus B. Virginis idem manet ad officia Christianæ pietatis ardor, atque eadem in vsurpandis Sacramentis constans frequentia: in illis maximè Sodalibus, qui sibi à B. Virginis natali nomen asciuerunt, misericordia in pauperes eluxit, qui suis ipsi manibus detentis in carcere ministrabant: ad quod quorundam viro- rum primariorum, qui in eo officio insignes erant, pietate impellebantur. Habita est quadraginta ho- rarū supplicatio bacchanalibus ferijs, vnde multæ confessiones & communiones consecutæ, quæ ab omni hominum genere factæ sunt. Eum diem, qui B. Virgini solemnis est, Sodales in suo sacello valdè celebrarunt, quibus Eucharistiam sacer Inspector fidei præbuit. quod idem in sacello conceptionis B. Virginis factum est. Hoc anno primùm celebrari cœpta est migratio in cælum Nostri B. Patris Igna- tij, magna quidem omnis conditionis hominum celebrata frequentia: inter quos Archiepiscopus, sacer fidei Quæsitō, Consules, Equites, atque alij primarij viri magnum quidē erga Nostrum B. Pa- trem Ignatium studium, & in nostram Societatem amorem atque existimationem ostenderunt. Sacer Inquisitor rem diuinam fecit, patre Prorectore concionante. peracto autem sacro Archiepiscopus sacram synaxim sumpsit, quem secuti sunt nostri Fratres, scholastici omnes externi, & alia magna vtriusque sexus, atque omnis conditionis multitu- do.



do. quam celebritatem quantum Deus O.M. approbauerit, illud esse potest maximum argumentum, quod per idem tempus contigit. Ioannes Heruias Hispanus vnus è nostris Fratribus, quinquagesimum iam annum agens, cum per scalas descendens ad alterius Fratris ascendentis pedem grauiter suum dextrum allisisset; ita læsus est, vt luxato pede suo ad terram pondere corruens neque vltius progredi, neque se loco mouere potuerit. In sequentem noctem præ dolore luxati pedis, & à sua sede transuersum ferme pollicem auulsi traduxit in somnum. postridie pedem figere magno licet cum dolore expertus, tumentem ad eò exasperatumque sensit, vt nec humi eum ponere, nec lecto continere aliqua ratione posset. tertio post lapsum die, vel baculo innixus incedere vix valebat; quem non sine labore atque dolore claudicare nonnulli ex Fratribus nostris præstito apud tabellionem iuramento testati sunt. Hortabantur interim plerique vt aliquod ægro pedi remedium adhiberet: sed ipse humanum respuens, ad diuinum confugit; atque sub vesperam, vt potuit claudicans, in Christi crucifixi sacellum, quod est in nostro templo, se contulit: è cuius dextro latere B. Patris Ignatii, quem singulari studio colebat, imago pendet. fusi que ibi precibus cubitum discessit, ac inter discutiendam conscientiam, eidem B. Patri Ignatio pro salute recuperanda promisit, se annum singulis diebus ter Pater & Aue recitaturum; in tribus insuper proximè insequentibus hebdomadis, Mercurij diebus ieiunaturum. in hunc enim diem hoc anno felicis B. Patris obitus commemoratio inciderat. Addidit se rogaturum Superiorem, vt in eodem sacello pro se postero die Missæ sacrificium offerret. concepto voto quietem capit, atque integram sanitatem recuperat: ad eò, vt sub auroram suam ipse miratus



fructum incubuerat, vt omnium sibi animos colligauerit. Alter Andreas Galia Saffaritanus, Philosophiæ candidatus, græcis latinisque litteris, vt illa ætas ferre potest, insignitus, cuius probitatem, atque animi candorem nemo est qui non prædicet.

### *Collegium Calaritanum.*

**E**A templi parte, quam anno proximè lapsò perductam ad fastigium diximus, vti cœpimus, comoda quidem, capaci, & propter operis artificium ad aspectum insigni: & licet imperfectum sit templum, & in infima oppidi parte situm, ciues tamen ad se profectò allicit & inuitat. In hoc templum sacra transtulimus eo die, quo Nostri B. Patris Ignatij felicem obitum celebramus, magno quidem concursu: ac Episcopus Alensis benè in nostrum Ordinē animatus rem diuinam fecit: Archiepiscopus Calaritanus cōcionatus fuit, & templum ipsum tota fermè die suauissima musica personabat. Celebratus item est foundationis Collegij dies magna cum frequentia ciuitatis, eo die, qui diuo Bartholomæo sollemnis est, dataque candela cerea fundatricis matri. Supplicatio quadraginta horarum habita est solita pompa. Laboratum est hoc anno in curandis animis vehementer, præcipuè tamen quo tempore molestissimus atque horridus pustularum morbus furebat: neque enim tunc diu noctuque laborare cessatum est, & procuratâ fuit ægrotantibus eleëmofyna, sine qua multi in vitæ periculo versabantur. Magnæ restitutiones factæ. Mulier à turpi consuetudine abstractâ, nunc Sacramenta frequentat. aliquot totius antea vitæ confessiones audita. Quidam ex familiari de mundi vanitate sermone à nostris habito religiosam vitam susceperunt. Alius ex amissione pecuniolæ tan-

tum hauferat dolorem, vt cibo, potu atque hominum congressu abstineret, & suo inquieto animo molestus domesticis esset: qui in eam mentem deductus erat, vt sibi mortem conscisceret, ad sanam mentem & ad pacem cum domesticis reductus, peccata confessus est. Mulier quædam à dæmone decepta multos annos corpus in Venerem soluerat; operâ tandem vnus ex nostris, Deo duce, Venere abdicata ad meliorem frugem se recepit. Quo tempore mulier hæc turpibus libidinibus indulgebat, in quemdam adolescentem affecta fuit, cum quo turpem consuetudinem habuit. hic cum conuersionem misellæ mulieris resciuisset, ægerrimè ferens laboriosissimam ei molestiam intulit, omnibusque adhibitis machinis, vt ad pristinos amores, & carnis libidines eam reuocaret: quibus in studijs eò vsque permansit, donec Deus Opt. Max. graui eum morbo corripuit, quo extinctus est. Paucis post diebus, cum quietem in lecto mulier caperet, animaduertit, se ex cubili subleuari, inscia à quo aut quomodo veheretur. Ecce in altissimo ac horrido loco se reperit, vbi se multos dæmones vidisse commemorat, qui immaniter quemdam cruciarent; quem ipsa videre non poterat, quòd nebulosa flamma obtegeretur. cui vnum è dæmonibus imperare vidit, vt illi mulieri patefaceret quisnam esset, & quam ob causam illos cruciatus subiret: qui cum non posset imperium recusare, se occultari posse valdè desperas, magno cum rubore atque angore, recedentibus ex interuallo flammis, quibus cingebatur, vt pateret mulieri, dixit, Ego sum (suo se nomine appellauit) & ob ea peccata, quæ tecum commisi, hos sustineo cruciatus. Animaduertit mulier infelicem hominem ex ore cæterisque corporis partibus, quibus cum ipsa Deum offenderat, crudeles flammæ emittere, clamorem edere præter modum,

modum, suum infortunium queri, ac eam imprecationibus persequi, cuius causa ( vt aiebat ) ita cruciaretur. Quidam ex dæmonibus mulieri formidinem iniicientes, eam illic remansuram aiebant: alij negabant quidem, sed eam in pietate non permansuram, & illuc tandem deferendam esse affirmabant. cuius rei argumentum esset eam alio in loco se reperturam, atque vnde arrepta fuerat. Tunc portari cœpta est, ignara quomodo, vel quò transiret; donec domi suæ se reperit, licet non in lecto, nec in eo cubiculo vbi dormiebat. Quæ rei miraculo stupefacta & percussa summo manè rem totam Confessario aperit. Eadem item mulier, ac eodem tempore, quo turpem illam vitam agebat, cum alia femina sibi moribus simili amicitiam inierat, ad quam sua consilia deferebat, atque ambæ sibi inuicem in illarum turpium ac libidinosarum voluptatum incremento fauebant. hæc, cum qua videlicet amicitiam illa contraxerat, ex hac vita migravit. illa, quæ animum recenter à vitiis auocarat, aliquando intempesta nocte, strepitum velut hominum in vico sensit; & quamuis timore aliquo correpta, surgere tamen è lecto statuit, vt quidnam illud esset, videret. Egressa ex cubiculo ad fenestram accedit, quæ vicum spectabat: quam cùm aperuisset, multa nigra corpora ordine velut hominum procedentia vidit supplicantium: qui quamuis ita streperent, ac si loquerentur, nullum tamen verbum percipi poterat. ij veluti pheretrum quoddam, iacentemque in eo mulierem in extremo ordine vehebant, quæ paucis antè diebus excesserat è vita, quemadmodum suprâ meminimus. Hæc suum infortunium deplorans fuso capillo iactabat execrationes, & ob turpem vitam se inferorum flammis addictam esse dicebat. vix illa ad fenestram accesserat, cùm hanc è pheretrum surgentem



tem vidit: quæ cum per fenestram ingredi velle sibi videretur, statim ea clausa magno metu & terrore concussa in cubiculum se atque lectum recepit. Manè autem rem totam ad nostrum confessarium detulit. Quæ omnia profuerunt vt hæc pristinam illam ac turpē vitam cum sanctiori commutaret, in qua nunc perseverat. Abiit ex hac vita Frater Nicolaus Muroi Valleclesiensis, qui literis humanioribus dabat operam. hic maligna febri ardens, postquam peccata ritè, & fermè omnia antea vitæ confessus fuit, & sacro viatico munitus, rationis & iudicij vsu amisso vsque ad extremum spiritum deliravit; quem cum ceteris Sociis in cælesti beatitudine collocatum speramus.

### *Domus Probationis Calaritana.*

**N**ihil dicam de communi tironum ardore ad pietatem. omnes enim variis quisque rationibus ad perfectam religiosamque vitæ sanctitatem se inuicem adhortantur, quorum numerus indies augetur. & vnus virtus, cum admitteretur in Societatem, dæmonis tentamenti exercita & probata fuit. Is erat Iulianus Pyrancha Sassaritanus, idemque scholasticus: qui cum ineundæ Societatis mentem suscepisset, sui maximè obstabant; adeò vt nunquam ab illis impetrare potuerit ingrediendi facultatem. quòd cum ipse cerneret, domo patris in Collegium fugiens exceptus est à nostris: quo die Calarim erat discessurus; quòd tam occultè fieri non potuit, vt ad parentis & suorum aures non perueniret: qui obuij facti illum comprehēderunt. Noster animosus tiro vehementer obnitebatur, studuitque eorum manus nequicquam effugere: pedibus enim manibusque arreptum cum pater, frater

frater natu maior, & auunculi magno interuallo aduectarunt non sine molesta vehentium, & vecti defatigatione, propter initam inter eos contentionem. cum tamen se victos à puero cernerent, pater eius maximè, in quo alendo in illud vsque tempus labores pertulerat, cum vnice diligeret, à cuius ingenio magna quidem expectabat: quod eius animum vehementer sollicitabat. defatigati iam ciuitatem puero præeunte ingrediuntur, eo consilio, vt domum illum deducerent, vbi magno cum dolore luctuque expectabatur à matre. Sed cum ille longè alias curas animo versaret, vbi se liberum vidit, è vestigio per ciuitatem aufugit: cui & suis magno furore insequentibus cursum impedit vltiorem Præfecti officialis Regem appellans: qui prudenti consilio ad vrbis Præfectum adducit omnes cateruatim, vbi duo è nostris eorum aduentum expectabant. Præsentes ergo in duas partes diuiduntur, & ex altera statuuntur cum adolescente consanguinei; ex altera verò nostri. tum Præfectus optionem adolescenti dedit, vtram sequi vellet partem. qui forti ac generoso animo, Patrum, inquit. ac statim se ad eos contulit. Quòd cum Iudex vidisset, adolescentis facultati satisfacere consanguineos iussit, ac in Societatem animosus ac profectò ingenuus adolescens adscitus est; cui pater mutata sententia facultatem dedit, & mater eius subscripsit. Hic idem frater antè quàm primum annum tirocinij peregisset, & paucis antè diebus quàm in morbum incideret, quo absumptus est; missus à Superiore, ac per scalas noctu lapsus crure in fractum gradum immisso, & caput ad inferiorem gradum lapideū allidens læsus non est. Qui paucis antè diebus commentationibus spiritualibus se excoluit, & sumpto viatico paucis ante mortem horis confessionem flagitauit, in qua totius præteritæ vitæ no-

xas aperuit, & emissis Societatis votis Deo animam reddidit magnum sui relinquens cæteris desiderium, & virtutis exemplum maligna febris consumptus. Eodem morbo interierunt Frater Antiochus Pala Iscanensis, tiro scholasticus, boni quidem exempli adolescens, & planè religiosus; & Frater Iulianus Balia item tiro, Vallecclesiensis, rerū domesticarum administer, humilis, simplex, rectus, timens Deum, & parendi virtute valdè insignis, ac in sua vocatione constantissimus adolescens.

### *Collegium Vallecclesiense.*

**I**N animarum salute procuranda labores huic Collegio cum cæteris communes fuerunt, ad quos communis insulæ vocabatur morbus. Quadragesimalibus feriis vnus è nostris concionatus est in templo maximo magno cum applausu, ac omnium solatio: quem cum iterum ciues petijssent, sibi non concessum ægrè tulerunt. Paces aliquot conciliatæ sunt, quarum duas commemorare satis erit. Altera inter duos Ecclesiasticos viros in hac vrbe notissimos constituta est. vnde factum, vt eorū alter, qui erga nostrum Ordinē antea bene animatus nō erat, cum in posterum magno studio coleret: nam apud nostros quotidie peccata confitetur, & Missæ sacrificium magna omnium cum approbatione in nostro templo frequenter offert. Altera inter quemdam, cui cæde frater creptus erat, atque alium, cui cædes illa tribuebatur. actum est magna licet cum difficultate, vt ille actionem reuocaret, & iniuriam persequi iure cessaret, satisque haberet, vt quod acceperat damnum, aliqua pecunia compensaretur. Non caruit Collegium hoc piorum liberalitate. Nam quædam urbana mulier ei testamento legauit hortum peramœnum, quem perenne flumen inter-

fuit,



fuit, ad omnia fermè pomorum genera paratissimum, & ad animum relaxandū commodissimum; qui, quoniam in ea ciuitate res vili quidem emuntur & vaneunt, quingentis aureis æstimatur, si terras horto proximas annumeres idoneas fationi: horto pecuniolam adiunxit. Archipresbyter huius Ecclesiæ cum nostræ Societatis amantissimus sit; nostram inopiam frequentibus eleëmofynis liberaliter leuat. Quod etiam ostendit hoc anno: agro enim minoris quàm valebat nobis vendito, solutioni pretij nullum præscripsit tempus; sed illud nostræ voluntati subiecit. Aliorum insuper liberalitatem experti sumus, qui sua pecunia nostræ inopiæ subuenerunt. Restitutiones aliquot factæ. Exceptæ confessiones generales. Manet illa prisca, piequæ instituta consuetudo sermonis, qui Dominicis diebus peracto primo sacro ad plebem de verbo Dei habetur: ad quem non sine fructu, magnus concursus fuit.

### *Collegium Algarense.*

**D**iebus Dominicis primo sacro facto exponitur verbum Dei concurrenti turbæ. idem frequenter in templo maximo factum. Tradita est doctrina Christiana pueris. Studium huius ciuitatis in nostram Societatem & existimatio aucta est: in qua ea est animorum comparatio ad pietatem, vt, nisi operariorum obstaret inopia, omnes ad Collegium confessionis causa confluerent. Congregatio virorum vrbanoꝝ, quam anno proximè superiori separatam à scholasticorum Sodalitio diximus, ad Romanam est aggregata; quo factum est, vt magnum capiat incrementum: quæ profectò spem facit fore, vt non in minimis huius prouinciæ Sodalitatibus numeretur. in hoc enim Collegio res est  
inter

inter cæteras maximi ponderis. nec minorem pietatem præ se fert Scholasticorum Sodalitas, dum singulari quidem & accurata diligentia quot mensibus, sacrisque B. Virgini diebus ad sacram sumendam Eucharistiam simul omnes accedunt. Gymnasium licet vnica classe contentum, suæ tamen diligentiae specimen aliquando præbet, cuius Scholastici bene morati, & ad virtutem propensi sunt. Res familiaris creuit accessione trium millium aureorū, quæ nobilissimus huius vrbis Eques nobis testamento reliquit. Sed heres demortui filia nobis litem intēdit, iure quidem iniquo: nobiscum enim iustitia maximè facit. cuius vir Patri Rectori aliquando iratus, grauissimas iecit contumelias, & cædium minas, atque furentis hominis actiones addidit. Verùm Pater Rector cùm nunquam illum antea vel ipse, vel alius ex Societate laceßuerit, in re tam turbata, tanta prudentia, religione ac mansuetudine vsus est, vt illum coërcuerit, & ad suarum ineptiarum cognitionem iniecta quasi luce compulerit. quo ipsi ciuitati præclarum profectò pietatis exemplum præbuit, atque ipsos etiam aduersarios docuit, quantus in huiusmodi occasionibus appareret virtutis splendor in Societate. Sacrificia in dies magis ornamentis augetur, quæ piorum eleëmofynis comparantur.

### *Missio ad Arborenses & Algarenses diœceses.*

**V** Triusque diœcesis pagos obierunt quatuor è nostris primùm: quibus exeunte Quadragesima, alij duo accesserunt, è quibus vnus erat Frater, cui tradendæ Christianæ fidei cura commendata erat, quò Patres concionandi, & confessionum audien



diendarum muneri liberiori ac diligentiori studio satisfacerent. Magnus extitit ex confessionibus fructus, in quibus totius præteritæ vitæ exceptæ sunt quadringentæ, atque in his auditi sunt Rectores & Curiones multi cum melioris instituendæ vitæ consilio. quorum duo rectè viuendi rationem postularunt, magnum præferentes desiderium se in posterum ita gerendi, vt probos deceret sacerdotes: eorum alter tortum ex fetis funem, quibusque diebus Veneis gestandi carni applicatum, ac se diuerberandi consuetudinem sponte suscepit, ad commissæ peccata vindicanda. Recta data sunt vtrique cõsilia, vt res postulare videbatur, ad vitam probis & præclari exempli sacerdotibus dignam ineundam. Mulier cum nubere cuidam cuperet, ante matrimonium deuirginari passa fuit: quæ cum se concepisse cognosceret, nec matrimonium ad exitum posset perducere; suæ turpitudinis occultandæ causa medicamenta quæsiuit, quibus fœtum abigeret. verum irrita potione, & quartum aut quintum iam mensem prægnans sibi mortem consciscere statuit, antè quàm patri, suisque vrbis quidem viris innotesceret. & quia verebatur, ne statim deprehenderetur, necis consilium maturabat. Hæc concionibus interfuit, & peccata alicui de nostris confitendi desiderium Deus iniecit: ad quorum vnum accedit, nondum abiecto sibi mortis inferendæ consilio, ei que rem totam aperit. Edocetur à Patre quàm scelestum, tum abigendi fœtus, tum etiam homicidij consilium suscepisset; neque à peccatis absolui posse, dum in eo persisteret. Adhæc exponit Pater in quanto maiorem calamitatem & dedecus eius animus incurreret, si ita fœtus eriperetur è corpore. Quòd vt melius expenderet, & illius tam nefariæ mentis cognitionem à Deo precari totum illum diem, & insequenti eam redire iubet.



bet. Paruit mulier, & magna cum peccatorum detestatione, animoque peruersi consilij mutandi reuerſa est. tum Pater rationem docuit, qua quod optabat matrimonium compleretur, antequam commissa turpitude ad patris aures perueniret. Priusquam igitur nostri ex eo vico migrarent, rem tentare cœperunt: quam quidem probauit adolescens, cui nubere mulier volebat, & pollicitus est se sublaturum impedimentum, quod obstabat, quo minùs matrimonij exitus maturaretur. Alia mulier, cui cæde virum olim ademerant, homicidis studiosè mortem conſabat, vt iniuriam vlcisceretur, quam retaliare ardentissimè desiderabat. Concionantes nostros hæc audiuit, conceptoque in pristinam vitam ob adulterinas confessiones odio, vnum è nostris adiit, apud quem torius vitæ superioris peccata confessione expiauit, & mutata mente inimico iniuriam ex animo condonauit. Alia item per eandem occasionem, omnibus quæ commiserat in vita peccatis confessione ablutis, nuncium adulterio remisit, in quo aliquot annos vixerat. Alia, eaquæ primaria luxuriosam vitam cum amasio traduxerat, ex quo ter cœcipiens ne flagitiũ cognosceretur, ad fœtum eijciendum nequicquam haulit potionem, ventremque dissimulans partum editum statim enecabat: quod & vulgo & Confessario præstigiôsè occultabat. sed non passus est benignus Pastor in tam turpi cœno suam ouem hære. Hæc cum nostrum hominem differentem de confessionis integritate, eiusque necessitate audiisset; generali confessione magno cum dolore animi sordes absterſit, cœpitque commissa vindicare, ac à turpi anteaçta vita ad honestiorem se reuocauit. Alij vtriusque sexus ab infandarum, quas admiserant, turpitudinum confessione verecundia, vel suorum confessoriorum metu absterrebantur

(& quidem multos annos) nec pauci quinquaginta & sexaginta perniciosum hoc silentium tenuerant, cum eorum conscientiarum arderent. quidam ex eis voluntarias susceperunt pœnas. id enim sibi satis esse putabant, ad commissorum peccatorum veniam impetrandam. quamobrem aliquot per hebdomadam dierum ieiunio, Veneris potissimum, arido pane & aqua contenti, ac alijs eius generis pœnis corpus extenuabant. hi vbi nostros audierunt de confessionis integritate & necessitate verba facientes, & eas dæmonis artes explicantes, quibus ad perpetranda scelera in confessione prætermittenda homines inducuntur; posita verecundia & metu, quibus deterrebantur, & magno affecti dolore, generali confessione detexerunt, atque è cœno demum, in quo tamdiu iacuerant, emerferunt. Alij, qui aliquot annos in letali peccato versabantur, & ad cōfessionem sacramque communionem, cum animo in eo permanendi accedebant. Alij præterea, qui confessionis Sacramento frequentius utebantur, nec peccatorum proximam occasionem relinquebant, ex nostrorum sermonibus, quæ non ritè confessi erant, repetierunt; atque ex eis quidam hoc non contenti, totius vitæ flagitia adiunxerunt. Magna profectò erat frequētia confitentium, magnumque inter utrumque sexum certamen, utri prius ad cōfessionem aditus pateret: homines enim anteponi feminæ querebantur, seque iure antepondas esse dicebant, quòd sibi eius rei causa in ciuitates ire, ut hominibus, non liceret. Quare tâtus fiebat ad hanc salutarem medicinam concursus, ut non pauci, cum propter multitudinem confitentium aditu ad nostros prohiberentur, ad Curiones generalis confessionis causa se contulerint. Homines duo ex suo pago secuti sunt nostros in alium, eos audiendi pariter, & peccata aperiendi cupidif-

fimi. adducti fuerūt ij eorum sermone, qui nostrorum conciones celebrabant & fructus, qui dum in illo vico fuerunt, colligebantur: qui enim aderant, tantum ex pio nostrorum officio solatium ceperant, vt rem absentibus prædicarent. Peccata igitur confessi, & Sacramento excepti magno cum solatio in suum pagum reuersi sunt. Huc alij confluxerunt ex vicinis populis, quæ nostri transierant, vt pro multis beneficijs, quæ se breui illo temporis spatio, quo in eorum populis nostri manserunt, accepisse fatebantur, gratias haberent. quod in omnibus fermè pagis factitatum est. Sed audite quæso alia, quæ licet sint in diuerso genere, non erunt tamen vestris pijs auribus iniucunda. Quidam sacerdos cum annum iaceret in lecto cancro impeditus, quo acriter afflictabatur, vt nostros domum suam ingredi vidit, maximè recreatus est: duos enim illos Patres, tanquam duos Angelos ad se inuisendum venisse, videri sibi dicebat, decreuisseque ad Patrem Prouincialem litteras dare, vt è nostris aliquè sibi concederet, qui suam animam antè peccatis absolueret, quàm ex corporis ergastulis solueretur; à Deo autem vnum sibi petenti, duorum copiam factam esse: qui & generali confessione expiatus est à peccatis, & sacro epulo refectus. Pax inter multos conciliata est, cuius exempla quia litteris digna iudicauit, subijciam. Quidam fustibus verberatus, verberatori necem diu moliebatur. egerunt cum vtraque parte de pace nostri: quæ ita conuenit, vt percussor verberati pedibus aduolutus, in conspectu multorum primariorum virorum illatę iniurię veniam peteret. Inde mulieres quædam inimicitias inuicem susceptas in templo, atque in magno hominum numero posuere. Alius armatus captabat occasionem eius interficiendi à quo fuerat colapho petitus. Hunc nostri allocuti adducunt tandem,



vt in templo palàm ad suos pedes abiecto inimico impunitatem daret . quod peracto sacro maximo mutuis amplexibus factum est. Composita item pax inter sacerdotem, & primarios quosdam viros, qui aliquot annos illi ægrè faciebant, & mutua salutatione abstinebant. Quædam primariæ feminæ, quamuis affines, inimicitias aliquandiu gerentes, nec se mutuò salutabant, nec colloquio utebantur. effectum est vt in templo mutuam iniuriarum illatarum veniam postularent. Quæ malè parata fuerat ad suos dominos redierunt. Quidam etiam furta in confessione supprimebant, quòd verebantur, ne ad restituendum compellerentur: qui ex concionibus præteritas confessiones irritas cognoscentes, & generali confessione suis animis consulentes, ablata retinendi mentem deposuerunt. Nunc ad alia pergamus. Neque enim nostri in huiusmodi missionibus vni hominum generi profuerunt: vel vni peccatorum rationi tantum occurrerunt. Virgo ex amittendæ virginitatis periculo nostrorum operâ erepta fuit, atque aliò translata, vnde nullum periculum imminebat. Alia item quæ in eadem versabatur naui in tuto collocata est. Alij præterea vtriusque sexus à re venerea, & ab adulterio potissimùm sunt abstracti. Quidam illegitimo matrimonio coniuncti, vetiti gradus nõ ignari, minimè curabant vt legibus soluerentur: qui ad solutionem impetrandam litteras mittere, atque interim abstinere nostrorum operâ statuerunt. Subuentum est multorù inopum nuditati, partim ea pecunia, quæ pro templorum ianuis à quibusdam sacerdotibus cogebatur, partim etiam ijs eleëmofynis, quas primarij viri in eundem vsum erogabant. Huc etiam incertæ restitutiones accesserunt. Sublatæ sunt præterea superstitiones & errores. Quidam vnice filium diligebat, què cum in longiorem morbum incidisse

cidisse videret, medicinas multas conatus est discere, nec tamen inuenit aliquam. Per idem tempus accidit, vt illac peregrinus transfret: ad quem confugit, & remedium aliquod ab eo quæsiuit. cui peregrinus: eius domi cecinisse gallinam, quod argumentum esset ibi latere thesaurum, atque animam cruciari. quare vt eius filius conualesceret, ac illa anima eriperetur è pœnis, & thesaurum inueniret, oportere Sacrum Missæ Romæ ab Episcopo decantari, cui duo alij Episcopi administrarent. Ad candelas duabus opus esse ceræ libris, & Episcopis singulos aureos esse dandos: si sibi committere pecuniam vellet, se Romam iturum, & simul curaturum vt Missæ sacrificium fieret: facti verò iam Sacri iudicium fore, dum è digitis, quos ipse ille designauit, tres sanguinis guttæ decurrerent, ac filium tandem salutem recuperaturum. Habuit homo peregrino fidem, pecuniamque commisit: sed irritis omnibus post paulò filius animam exhalauit. Paucis post mensibus adsunt in vico Patres: quorum concionibus auditis se adductum in fraudem intellexit, dum homini peregrino credidit, ad aliasque superstitiones cõfugit. quare nostro rem confessus, & tum peregrini fraudem, tum etiam superstitionum vanitatem doctus, non ad ea præsidia, quæ fallunt, sed ad Deum O.M. à quo salus omnis redditur, conferre se fortissimo animo decreuit. Reducti sunt etiã ab errore multi, quos huiusmodi peregrini mendacijs & fabulamentis expleuerant. Vt autem huic missioni manum extremam imponam, illud dicam, quod nostræ Societatis existimationem in his populis auget. Mos est paganorum in Sardinia paschalibus ferijs per pagi vicos mercedem cogere ad concionatoris labores remunerandos. Idem existimabant in pago quodam nostris præstandum esse officium: sed vbi non esse hanc

Societatis nostræ consuetudinem cognouerunt, in magnam admirationem rapti consuetudinem approbarunt, ac magis nostros homines adamarunt.

### *Missio Olianensis.*

**E** Gregiè laboratum est hîc à nostris. præter auditas confessiones, & cælestem doctrinam traditam, explicatæ sunt Curionibus, & animarum rectoribus quæstiones de officijs Christianis. Eleëmofyna diebus festis per pagum corrogata leuati sunt inopes, & in carcere detenti. Sed maximè adolescentula quædam, quæ cum denarios aliquot deberet, & soluendo non esset; vrgebatur misella, vt vel cum pudicitia iactura solueret; si secus faceret, se adempturos esse, si quam haberet exiguam suppellectilem creditores minitabantur. procurata eleëmofyna solutum est debitum, & ipsa in pudicitia confirmata. Alia adolescentula vexabatur à malo ne demone, an morbo aliquo, latet: quotidie namque extra se posita animo linquebatur, quæ cum caderet, cum oris distorsione linguam exerès, & spumas agens, caput reliquumque corpus allidebat ad terram, ac tandem post vnus duarumque horarum certamen, semper miserè affecta surgebat. hæc cum audisset in sacris agnis, quos imperiebantur nostri, magnam inesse virtutē, commodatum sibi vnum à vicina, & ad collum alligatum octo dierum spatio gestauit, solito morbo non correpta. Sed vbi vicinæ petenti restituit agnum, eodem die reuocatur ad morbum, à quo cruciabatur quotidie, donec agno à Patribus impetrato morbum depulit. Hoc sacrorum agnorum studio multæ sublatae sunt amuletorum superstitiones à peregrinis inductæ. Admoniti sunt multi, ne quibusdam peregrinis habeant fidem, qui ad Com-



stellanam diui Iacobi ædem ire se simulantes, per speciem pietatis pecuniam conficiunt. huiusmodi enim peregrini infinitis propè mendacijs, terrorem pariter & metum multis incutientes, multam certamque pecuniam sacris faciendis ab eis extorquebant. Abolita est quoque inueterata quædam consuetudo, in qua quædam pietatis & religionis species elucere videbatur: sed reuera pudicitia amittendæ periculum suberat. Magnus enim mulierum grex ad quoddam Spiritus sancti templum primis noctis tenebris, nullo intermisso die, pietatis causa se conferebat: quod quia intra populum templum erat, commodè fieri poterat. Verum nullis Parochorum admonitionibus mulieres illæ ab ea consuetudine abduci potuerunt. existimabant enim nisi ea fieret hora, pium illum vsum ac religionem tolli: nostrorum tamen admonitionibus locum relinquentes, vsum illum periculosum abiecerunt. Gratiarum reconciliationes non parui momenti factæ sunt aliquot. Duo primarij viri iniquissimis animis sibi inuicem iniurias intulerant, & nisi qui intererant occurrissent, se gladijs appetijissent; & obfirmassent in odijs animum, nisi nostrorum opera intercessisset. Nam antequam Quadragesimalibus ferijs ad sacram mensam accederet, ad mutuos amplexus, mutuamque veniam adducti sunt. Alius in multorum conspectu colaphum acceperat, & tum ipse, tum etiam consanguinei adiutores de vindicta cogitabant. Quibus conuocatis perfecit vnus è nostris, vt eò percussor accederet, & flagitij, quod impellente furore commiserat, veniam peteret: cui & condonata est iniuria, & datus amplexus. Alius item in facie vulnus acceperat, qui quoniam erat multa cõsanguinitate instructus locum veniæ non dabat, & quidam Ecclesiasticus petebatur. sed Deo dante sedata sunt omnia. Duæ fratris  
duorum

duorum fratrum vxores, duos iam annos à colloquio abstinebant: quarum causa ad mutuam ferè necem venerunt. Perfectum est vt in gratiam redirent: insequente verò die frater alter inuitauit ad festum, quod celebrabat magna eorum qui aderant approbatione. Mulier graui erat affecta iniuria, quia cum esset ipsa honesta quidem & vrbanà; primarius vir quidam ob contumeliam illatam vxori suæ, acceptam eam (ob mariti namque absentiam commodè fieri poterat) calcibus petiuit, & magno interuallo capillis traxit. Vltionem iniuriæ in viri aduentum distulit, qui tum aberat, & concedere veniam volebat. Nostri tandem ad publicam veniæ concessionem eam perduxerunt, populo probante pariter & admirante, quòd nostrorum operâ perficerentur ea, quæ ab ipsis fieri nec poterant, nec solebant. Iuuenis quidam cum satis non habuisset senem quendam vulnerasse, eius filix pudicitiam in agro, atque adeò in itinere violauit: quam tam grauem iniuriam senex ita sensit, vt biennio, vel triennio eius animus nullius vnquam oratione flecti potuerit ad memoriam iniuriæ deponendam. imò nec ipse iuuenis ad petendam veniam impelli potuit. Nostris tandem auctoribus iuueni veniam petenti donauit senex. Alia plurima eiusdem generis referre possem, sed breuitatis causa ad alia me conuertam. Quidam ob falsi criminis testimonium contra se dictum, se præcipitem dare velle, vel suspēdere laqueo tanquam furens aiebat; ab ea mente depulsus est nostrorum oratione, Pater & Aue apud Eucharistiæ Sacramentū recitato. Læsa erat grauiter palàm cuiusdam adolescentis fama. ipse hoc irritatus, cum nesciret à quonam fuerit offensus, totum populum turbabat, multis iniecto metu. Cum enim de quibusdam suspicaretur, omnes eos de medio tollere volebat. neque ab eo

consilio abduci poterat Nostri tamen multis salutaribus consilijs datis, tandem hominem eò deduxerunt, vt antequam scelus illud admitteret, penderet, & circumspiceret omnia diligenter, & vt intelligeret, quid agere deberet, templum ingressus ad Eucharistiæ Sacramentum se Deo commendaret serid: quod quum impleuisset, diuinitus afflatus, se non commouit; immò residente animi tumore, peccata ea Quadragesima expiauit magna cum omniū approbatione, qui se eius causa interituros existimabant, si in eò consilio perstitisset. Quidam sex iam annos iacebat ægrotus in lecto, qui cum nostrum sacerdotem in eum pagum peruenisse accepit, eodem die ad se accerseri iusserat quo appulerat. quod singulari facto contigit: nam antea vitæ peccata confessus cæterorumque Sacramentorum particeps effectus, insequenti die excessit è vita. Nostrorum operam experti sunt etiam alij ægroti. Quidam in manu inter pollicem & indicem periculosum vulnus acceperat: nam sanguis exhauriebatur, & is, qui vnico pago huiusmodi vulnera curare solet, desperatam esse salutem affirmabat; quam ob causam vulneratus confessionis, communionis, & Extremæ vnctionis Sacramentis se muniuit. inuisit eum vnus è nostris, & postquam pro eo Sanctorum opem implorauit, aliasque orationes percurrit, piacularem orbiculum atque agnum Dei sacrum dedit; pòst crucem exhibuit, vt oscularetur, ac tribus pòst diebus melius habuit, & ad veniam percussori dandam perductus est. Quidam erat proximus morti Sacramentis omnibus communitus, linguæ vsu amisso, & omnino desperata salute. cum de eius funere ageretur, eò se contulit vnus è nostris: qui Euangelio pronunciaturo, ac frusto sacri agni cerei dato, adiuncto grano piaculari, insequenti die melius habentem inuenit;



ac triduo pòst tandem egrotus surrexit. Vnus è nostris iacentem humi pastorem reperit acri febris & æstu laborātem; commiseratus hominem frustum agni sacri dedit in sinum inserendum. acceptum ille piè osculatus est, ac postero die conualuit. Alius cum ex equo decidisset, ita ex vulnere affectus est, vt fermè totum emiseric sanguinè, cui sacer agnus attulit medicinam. Sacerdos die sacro resurgenti Christo subitò morbo tam acriter correptus est, vt ex eo factus attonitus fermè sensum amiseric. Vnus è nostris quam gestabat crucem cum aliorum Sanctorum, tum etiam B. Patris Ignatij reliquijs ornatam illi commodauit, vt ad collum appenderet, & Nostrum B. Patrem Ignatium piè appellaret. Paret ille, ac postridie omnino conualuit, & surgens rem diuinam fecit, cum priori die confessus fuerit festinanter vrgente morbo, & viaticum sumpserit. Alia mulier acris doloribus cruciabatur, quæ adhibita eadem cruce postero die curata est. Magna tandem omnis generis multitudo ad nostrorum diuersorium confluebant, vt Euangelium sibi pronunciaretur, & reliquiæ, numismata sacra, & sacer Dei agnus admouerentur; vnde magno cum solatio quisque domum suam redibat. Puellus quidam duos aut tres annos natus non longè aberat à morte: & cum nostri ex eo pago in alium profectionem pararent, Frater noster B. Patris Ignatij imaginem puelli parenti dedit, vt ex eius collo suspenderet, ac postquam salutem recuperasset, sibi eam in alium pagum mitteret, in quem discedebat. Paruit pater, & filius omnino ad salutem restitutus est. Obuiam etiam itum est luxuriæ. Quidam Ecclesiasticus vir turpem agebat vitam cum femina honesto loco nata, magna cum populi, cui res patebat, offensione. Consanguinei femine rabie inflammati in omnem vtriusque interficiendi occasionem imminabant.

nebant. Per confessionem illi vitam libidinofam, isti necis inferendæ confilium abiecerunt, & reconciliati sunt inuicem. Neque carcer noſtrorum opem deſiderauit. Quidam enim humili conditione homines ob cauſam minimi ponderis in carcerem coniecti fuerant, & ſtatutum erat eos in carcere diu retinere, & grauis commiſſæ multæ damnare. abſoluti noſtrorum operâ ſunt omnino. Quod ad confeſſiones & conciones audiendas attinet, oratione vix explicari poteſt quantus eſſet concurrentium numerus. Nam, vt cæteras confeſſiones præteream, multæ generales exceptæ ſunt: imò præ nimijs occupationibus, quibus noſtri Patres detinebantur, ſatiſfici non potuit omnibus, qui totius vitæ crimina aperire volebant. Non eſt cur longum ſermonem texam de Sodalitatibus, vel condendis, vel penè lapſis reſciendis vel extinctis reuocâdis, in quibus noſtri homines laborarunt. Conſultò in extremum locum reieci quæ ſenex quidam ex antiquioribus dixit, cum noſtros videret ita impenſo ſtudio laborantes, atque in animarum ſalutem incumbentes. is enim iudicio quidem pollens, quando in eius pago fuimus, nunquam abſuit à noſtrorum conſpectu. excutiebat ille lachrymas ex lætitia, quam ex Patrum ſermonibus hauriebat, dicebatque ſibi fore glorioſiſſimum ſi Patrum liceret eſſe ſeruum. Sed illud proſectò curioſis auribus non erit ingratum, quod quia noſtris pagos obeuntibus accidit, litteris adſcribendum eſſe putauit. Quidam accidit ad naturæ arcana rimanda ſingulare, cuius rei nuſquam periculum factum, neque ab aliquo auctore mentionem factam intelligo. Quidam homines ſambuci fruſto in cultri formam amputato & circuncifo; vicioſi bouis cornuum mucrones præcidere cœperunt, quo cultro, ac ſi ferreus eſſet, cornua ferrata ſunt. Idem experti ſunt

alij:

alij: qui cùm rem narrarēt, poscebant rationē, quare virtus ea in illo tantùm ligno inesset. Sed hoc rerum naturalium peritioribus relinquitur iudicandum. Hæc sint quæ pro annuis litteris, in hac Sardinia Prouincia scribenda occurrunt.

## PROVINCIA MEXICANA.



Vcenti octoginta octo versantur in Mexicana Prouincia: sacerdotes centum vndecim, Fratres verò centum septuaginta septem. Mexici in Professorum Domo triginta sex, in Collegio nonaginta circiter, in Diui Gregorij tres, in seminario 13. Angelopoli in Collegio Domoq; Probationis eidē annexa quinquaginta quinque: in seminario quatuor. In Tepozotlano Collegio septem. In nouæ Galiciæ duodecim. In Guaxaquensi duodeuiginti. In Pasquarensi sex, totidē in Vallisoletano. In residētia Veræ crucis octo. In Sacatequana sex. In Cinaloana quinque. In Guadianica quindecim. In missione ad Tepeguanes duo, totidem ad Caxeas. Ad Societatem adscripti sunt quindecim; in cælum verò (vt spes est) transscripti quinque.

*Professorum Domus.*

PRæter consueta quidem atque communia, illud insigne fuit Christianæ pietatis officium, quo nostri sacerdotes in carcere regio detentis pestilentique propemodum contagione laborantibus omni ope atque operâ consulere. tamque nauiter elaborant, vt periculosos etiam morbos ipsi contraxerint, è quibus tamen diuino beneficio, ad maiora relictis laborum certamina, conualuere.

Coëmpta



Coëmpta domus est aureis ferè sex millibus, ad quam tertix probationis domus translata est mense Septembri; habet cum Patre nouitiorum Magistro sacerdotes decem, qui Philosophix & Theologiae studia peregerunt.

### *Collegium Mexicanum.*

**M**vlrus ac inutilis esset labor, si quotidiana, quæ vel ad proximorum auxilia, vel ad litterarum studia, vel ad maiorem minoremue Congregationem pertinent, cum sæpè aliàs scripta similiter fuerint, nunc eadem repetantur. Mexicanæ linguæ instaurata schola est, quam & scholarium nostrorum & externorum nonnulli frequentant. Maioris Congregationis alumni B. Virginis (quæ tota ferè sacerdotibus constat) præter alia illustria quidem atque præclara, habitis Dominico quoque die per vnum è Societate nostra de Missæ sacrificio cohortationibus, vsque adedò profecere, vt librum ipsi conscripserint typisq̃ mandauerint de Missæ ceremonijs tum clero ipsi vniuerso vtilissimum, tum Episcopis atque Prælati, quorum ad manus peruenit, probatissimum. Congregationi verò Annunciatæ latinæ atque Rhetoricæ studiosorū & numerum & animi ardorem auxere Roma nuper allata diplomata, quibus ad primariam aggregatio conceditur: animos eidem addidit noui electio Protectoris, qui vir est pietate erga Deiparam Virginē singulari, ciuitatisq̃ prætor Mexicanæ. Regule Congregationis communes cum eiusdem Indulgētij excusæ sunt, & regulæ item officiorū propriæ, & multa etiam Sanctorū nominū millia, quò commodiùs atque faciliùs illa Diuos initio cuiusque mensis in patronos assumendi consuetudo feruetur. Excessit tandem ex hac vita mortali Pater

Ioannes

Ioannes de la Plaça vir immortalitate dignus, cuius animi constantiam multorum annorum articularis morbus acerbissimis doloribus exercuit. Sed quoniam Patri nulla res potior fuit, quàm vt animi sui virtutes occultaret, & quæ sibi cum laude contigissent, alto silentio tegetet, crepta nobis facultate prodendi litteris singularium rerum exempla; præcipua quædam de eius virtutibus, vitæ muneribus & consilijs per capita breuiter exequemur. Natus Metimnæ Sidoniæ, studiorum causa missus Complutum, in curriculo liberalium artium non vulgaria dedit ingenij & doctrinæ documenta. Sed quod caput est, iam tunc in puero ea se prodiderant superioris animi signa, quæ studiorum & contubernij socios in sui admirationem conuerterent, & à procaci verborum licentia deterreret. Ob id etiam charus in paucis fuit Bartholomæo Turriano postea Episcopo Canariensi, qui in celebri gymnasio Seguntino magna sapientiæ fama Theologiam publicè profitebatur: cuius audiendi causa peracto Philosophiæ curriculo sedem studiorum Seguntum Plaça noster non sine laude transtulerat. magna Collegij opportunitate & Doctoris eruditione singulari mirum quantum in Theologia profecerit, quanta Doctoris approbatione. illud argumento sit quòd scripta sua in publicam vtilitatem typis mandaturus Magister ille clarissimus, non alijs quàm Plaçæ codicibus propter expertam auditoris diligentiam vsus fuerit. Sub finem studiorum iam optimo adolescenti æterna meditati de eligendo necessario vitæ genere sollicitudo inceserat. Sed tandem hebdomadariæ vacationis die, cæteris Collegij alumnis ad rusticandum dilapsis, ipse se domi continuit, vt remotis interpellationibus in eam deliberationem totus incumberet. Multa ergo dubia & incerta mente cogitanti, atque ex fenestra

libe

liberiore cælorum aspectu perfruenti ingens lacrymarum vis ex interna quadam & insolita animi voluptate repente suboritur. inde tacito quodam monitu instinctuque diuino animum ad Societatem ineundam vehementer impelli agnouit. Pius adolescens diuinæ voluntatis nutu nuntio rebus humanis sponte remisso non multò post nomē dedit Societati. Sed qui ad illa vsque tempora studio humilitatis incensus, Doctoratus insigne recusauerat, cogendus fuit Sociorum imperio, vt in ipso penè aditu Religionis Doctoralem Theologiæ apicem, & quidem magna gymnasij approbatione susciperet. Societatem ingressus, & egregiam sui adeptus victoriam, tantam breui tempore assecutus est spiritualium rerum cognitionē, vt nondum exacto biennio probationis, tironibus præpositus magistrum agere cœperit. Nec solùm nouitiorum gregi ita ad vitæ sanctimoniam præibat, sed iam tunc in grauioribus spiritualium rerum difficultatibus ab ipsis animorum moderatōribus consulebatur: atque earum rerum vsu & experimento saluberrima quædam instituta procudit; quæ progrediente tempore Societas vniuersa recepit, & tironibus & eorum magistris custodienda præcepit. Auxit hanc in tractandis ac dirigendis animis hominum dexteritatem optimos homines & in ea arte peritos frequenter consulendo, atque ideò crebris sermonibus vsurpabat Francisci Borgiæ, Iacobi Lainez, Euerardi que & Magistri Ioannis Auilæ sapienter dicta, quæ in eorum intima familiaritate perceperat. Rectoris & Prouincialis munere perfunctus in Prouincia Bætica, Visitator in Perriānam mittitur; multisq; in ea rebus ex Societatis disciplina præclare constitutis, eodem munere Mexicum abhinc annis tribus supra viginti destinatur. deinde continuato labore Prouincialis officium



cium multa nostrorum pariter atque externorum utilitate sustinuit. Verbis factisque colebat egregiè illos, qui in procuranda Indorum salute versabantur. aiebatque Superiores paterno quidem amore erga omnes subditos esse oportere, sed in eos, qui inter Indos agerèt, materna charitate & indulgentia; propterea quòd illi nullo honoris & commodi inuitamento Deo ac Societati strenuam operam nauarent. Eius ratio gubernandi omnibus fuit numeris absoluta. sed illud erat eximium, quòd domesticæ disciplinæ vindex cum esset planè seuerus, & domesticorum noxis minimè conuieret; ita peccantes arguebat, vt nullum daret turbulenti ac perturbati animi signum: sed minutis interrogatiunculis & obiectionibus, interdum etiam profusis lachrymis eò perducebat errantes, vt suos ipsi defectus agnoscerent, & supplicia deposcerent. Ne mirum quòd eam animi vultusque tranquillitatem in seuerioribus actionibus præferret, qui trium annorum quotidiana commentatione, & particulari, quod aiunt, examine fontes carpere, & officij commonere didicisset. Sed non minori obedientiæ & submissionis laude subditum egit, quàm Superiorem egisset. Aiebat in rebus arduis nulla se magis ope & adiumento muniri, quàm Superioris iussu, eiusque imperio prorsus sibi adimi timorem infelicis euentus. Postquàm vrgente senio & incommodà valetudine vacationem impetrauit à muneribus imperandi; ita se Rectorum potestati permisit, vt omnem sui curam ac sollicitudinem in eosdem proiecissee videretur. Officiosè conquerenti honestissimo viro quòd illum nunquam inuiseret, amicè respondit, postquam Dei beneficio imperij curas euaserat, sibi sententiam esse nihil moliri nisi vrgente Superiorum imperio. Rectori per interuentum sciscitanti vellètne in celebritate quadam concio-

concionari, respondit, se sui iuris non esse, volentem tamen ac lubentem iussa facturum. Visitatori prouinciæ consulenti, quo primùm argumento ad explorandam nostrorum disciplinam vteretur, acutè respondit; vt communia tintinnabuli signa diligenter obseruaret, & qua celeritate parèdi à nostris acciperetur. Tres integros annos antequam è vita discederet, prostratus articulorū doloribus iacuit, perpetuo affixus lecto, spectaculum edidit commiseratione dignum. contractis quippe distortisque digitis alieno vtebatur ministerio, alienis manibus versabatur in lecto, nec leuiter tractari poterat sine magna doloris amplificatione. Socio vtebatur quotidiani victus administro, cuius ineptias tam æquo perferebat animo, vt eius arbitrio, non aliter quàm exanime cadauer sese circumagi pateretur. nunquã inter edendum conquestus, licet interdum cibaria per incuriam vel inscitiam malè cocta aut malè condita præberentur, quamuis rarè permisit, vt aliquid sibi propriè apponeretur. & in tanta valetudinis infirmitate apparatiores cibos Et exquisita condimenta constanter auersatus, communibus domesticorum edulijis tenuè corpusculum reficiebat, atque aded quidquid in omni corporis cultu, cubiculo, lecto, cæterisque rebus à communi vsu reliquorum abhorrebat, fastidiosè repudiabat. Sed promptum illud voluntatis & iudicij obsequium, quo se suamque sententiam vel infimæ conditionis tironibus subijciebat, & magnum priuatæ vitæ studium, quo delata imperandi munera multoties recusauit, inde ortum habuisse crediderim, quòd de suis rebus tam demissè humiliterque sentiret, vt se mortalium omnium infimum ac diuinæ opis maximè egètem reputaret. Neminem passus est manus osculantem, chiragrè dolorem scitè prærendens, sed reuera studio humilitatis. nam cum aliud



aliud agens osculantem quemdam impedire non potuisset, celeriter apprehensam ipsius manum peramanter osculatus est. Scholasticum Fratrem, qui tractus reuerentia viri manibus osculum fixerat, quamuis morti proximus, minacibus oculis intuitus est. eidē ingenuo candore sciscitāti præcognoscerētne temporis articulum, quo molestam corporis sarcinam relicturus esset; suspicatus id quod res erat, ex magna sanctitatis opinione, quam de illo conceperat, Fratrem in illam suspicionem venisse, amarum renidens, Serio, inquit, denuntio me id prorsus ignorare. Cū maximè vrgebatur doloribus, colligebat sese, & æterna supplicia, quæ (vt ipse aiebat) suis peccatis commeruisset, tacitus expendebat. mox quasi ab inferis redux stragulam vestem digitis atrectabat. Itane verò, inquiens, tam præclare mecum agitur, vt in molli lecto decumbam, qui vltimicibus flammis torqueri debuissem? Cū aciem alterius oculi amisisset, quærenti sacerdoti idne molestè ferret; Libenter potius (inquit) vt luam iactura ista vnus oculi malum vsu vtriusque. Detulit quondam ad Prouincialem sacerdotem quemdam, quem ille ad elegantiam vitæ melioris excoluerat optimis institutis, vt in Societatem reciperetur; ad genua Prouincialis accidens, En, inquit, Pater, tibi hsto hominē, qui Deo Societatiq̃ue præstet obsequium, quando ego tanta solcordia & negligentia in meo munere versatus sum. Frequenter vsurpabat Apostoli verba, *Qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus.* & illa, *Venit Iesus peccatores saluos facere.* Ego sum *minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei.* aiebatq̃ue se his Apostoli verbis rēcreari, & in spem veniæ vehementer assurgere. Morti proximus audiuit quemdam è Socijs verba illa psalmi proferen-



tem, *Conuerte nos Deus salutaris noster, & auerte iram tuam à nobis;* & curiosè Patrem interrogauit, cur illis potissimùm verbis afficeretur. nimirum (inquit) quia hac precatone diuinam misericordiam sollicitare quotidie ter decies solitus sum. Mirum profectò hominem, qui à tenera ætate intento semper studio animi puritatem & morum innocentiam custodierit, ita dolori ac pœnitentiæ constanter indulgisse. quod paternitas vestra tacere noluit litteris ad eum datis anno 98. vbi alia præfatus adiecit, Nonnullus mihi pudor incutitur cogitanti hominem, qui cum se toto vitæ curriculo ad mortem comparauerit, ea se nunc potissimùm cura sollicitari fateatur. nimirum Dominus, cui nostra deseruit industria, tam diligenti obsequio dignus est, vt quo quisque intensiorem illi operam dederit, eo magis sese desidem ac cessatorem inculet. Verùm longè alia de Patre communis hominum sensus & prædicatio ferebat, quàm ipse de se sentiret animo, & plerumque verbis testaretur. Nam qui se despiciatui habebat, ab omnibus colebatur & Prælati, Proregibus, ac principibus viris acceptus & charus in paucis erat. Granatensi Archiepiscopo Guerrero exquisitæ sapientiæ & sanctitatis viro non solum familiaris fuit, & consiliorum particeps, sed etiam moderator & arbiter. vnde ille magnus Antistes de Patre loquens aiebat (vocabulo non inuenustè ludens) quæcunque desiderasset, in ea platea se se facilè inuenisse. In Concilio Prouinciali Mexicano magni fuit eius auctoritas, & prudentia ab eruditis hominibus collaudata. Nec silètio prætereundum est, Concilij iussu Catechisimum concinnasse, quo rudimèta Christianæ religionis teneræ ætati traderentur. Sed hac Principum voluntate nunquam vsus est, nisi ad illa expedienda negotia, quæ maximè essent cum religionis

nis instituto & diuini obsequij amplificatione coniuncta. Eam verò non adulatione seruili, nec aditu frequenti, & immodicis verborum officijs promerebat, sed modesto grauiq; alloquio: quod ille scitè condiebat protrahebatq; iucunda exemplorum varietate; quæ non ex antiquitatis lectione, sed longo rerum vsu & experimento sæpius eruebat. In adhortationibus publicis ac priuatis nullus erat verborum fucus, nulla sermonis lenocinia; sed graues acutæq; sententiæ, & tanta rationum pondera, vt quod intenderet, quasi syllogistica argumentatione perficeret. Sanè is erat hominum sermo, qui Plaçæ concionibus assuesceret, fieri non posse, quin veterem hominem exueret, & arctam virtutis semitam ingrederetur. Quamobrem quidam malè prudens, sed bene numatus, aiebat, se se nolle ad concionem Patris accedere, ne cogretur argenteam abaci supellectilem pauperibus distribuere. Non deterrebat concionis infrequentia & auditorum penuria, ea potissimum cogitatione, quòd Angelus Custos, princeps curiæ cælestis cum sit, non dedignatur vni dumtaxat hominioni semper assistere, & saluberrima consilia sepius deuorata repulsa peramanter instillare. Porro in concionibus is erat orationis scopus, vt omnibus suaderet facile ac tutum ad felicitatè iter, si in suo quisque münere perfectissimam officij rationem teneret. quare magni faciebat sancti Didaci Complutensis sanctimoniam, propterea quòd ianitor cum fuisset, regia ac tritissima via ad apicem Christianæ vitæ peruenisset. Ab ineunte ætate refugit inanem ingenij ostentationem & plausum. locos tantum graues ex Christiana Philosophia discrebat, & testimonijs sanctorum Patrum (vt erat in eorum lectione versatus) egregiè locupletabat: sed ueruos & quasi robora suasionis ab orato sæpius &



propitiato Numine colligebat. Publicę aut priuatę concionis nullum extat exemplum, quippe quę ad breuissima capita referebat, cętera ex concepto charitatis ardore prompturus; illa tamen, quę de imitandę Christi Domini vita & virtutibus comparandis, diuino consortio & commentandi assiduitate didicisset, ordine digesta & suis distincta capitibus scriptis commendabat: quas illę opes domesticis sine cunctatione proferebat in familiari congressu, & per litteras ad veteres alumnos disciplinę suę in Hispaniam trāsmittebat. Testatur Monialis Granatensis cęnobij Antistita, missis nuper ad eum litteris, quanti faceret Patris scripta. nam ad signũ tintinnabuli coacto cętui eius litteras legere assueuit, nec latum quidem papyri digitum patitur interciderē. Traditam verò ante annos triginta viuendi rationem tam religiosę custodit, vt eo pręscripto conceptum ex Patris eloquio seuerioris vitę propositum perpetuum sese retinere fateatur. His affinia sunt, quę de se memorat Princeps femina datis Compluti litteris, vbi accepta quondam semina pietatis multiplici nunc reddit bonorum operum incremento. Sed potissima Patris cura in procuranda Sociorum vitę sanctimonia, & augendo orationis studio versabatur. Certę delatas à Superioribus pręfecturas eo solũ nomine recusauit, ne ab audiendis scholasticorum confessionibus atque illis omni ope iuuandis prohiberetur. In nulla re magis fessus morborum tædio optimi Patris animus requiescebat, quàm spiritualium rerum colloquio, quod ita cum domesticis plerumque miscebat, vt ex eo discederent ad religiosę vitę munera promptiores. vnde qui eius congressu frequentius vtebātur, haud vulgaris erāt cęteris probitatis exēplum. Erat enim Patri singularis quędam solertia in tractandis hominum animis, & in me-

liorem



liorem frugem subinde mutandis, ut meritò ab optimis æstimatoribus inter præcipuos rerum spiritualium magistros, qui in nostra Societate flourerint, haud vltimus numeretur. Ut ipse erat orationis studio deditissimus, ita etiam cæteros ad contemplationis assiduitatem & diuini congressus frequentiam sollicitabat. Antiquo sacerdoti, qui peracto magistratu sui colligendi gratiâ solitudinem cuiusdam Collegij adamauerat, id consilij dedit, ut exhaustis ritè Superiorum mandatis quidquid temporis superesset, contemplationi donaret. Ioanni Cainnis nostræ Societatis sacerdoti in Hispaniæ regnis agenti ita quondam scripsit, Ego vero, mi Pater, hanc viuendi normam mihi describerem, ut matutinas horas deplorandis præsentis & anteactæ vitæ peccatis, & venia suppliciter exposcenda traducerem, iuxta illud Ecclesiastici, *Iustus cor suum tradet ad vigilandum diluculo, aperiet os suum in orationem, & pro delictis suis deprecabitur.* Deinde ad sacrificium Missæ in spiritu humilitatis & in animo contrito procederem. Pretium inde Sanguinis Christi Domini pro soluendis peccatorum debitis, & diuina gratia recuperanda oblaturus. Sacris operatus Christo Domino gratias agam, quòd me sibi æternoque Patri Eucharistiæ Sacramento coniunxerit. Per diem in id potissimum incumbam, ut Christi Domini virtutes, ac maximè singularem in homines charitatem verbis & operibus exprimam. Apperente nocte, ita me animo comparabo, ac si ea nocte vitæ rationem redditurus essem. Tandè optabo è custodia corporis euolare, ut faciem Domini speculatus in illo cælestium animorum cœtu debitas Deo laudes sine fine persoluam. Cæterum non minùs exemplo quàm consilio præibat contemplationis iter, qui plerasque diurnas nocturnasque horas commentando, oran-

do ac precando traduceret. Quamdiu per vires & valetudinem licuit, rem sacram peragebat magna significatione pietatis; nec antea ad sacrum mysterium accedebat, quàm ingenti lachrymarum profusione animi sordes eluisset, & Eucharistiæ litanias de more recitasset. Nec solùm in obeundis Religionis muneribus, & persoluendo Horarum penso internum animi ardorem lachrymis testabatur; sed in concionibus & priuatis adhortationibus tantus plerumque fletus erumpebat, vt vocem in verba formare non posset. Familiares suos ea ratione ad studium orationis impellebat, vt non alijs itineribus, nisi mortificationis & pœnitentiæ, dirigeret. Sui compellendi copiam negabat hominibus, qui ita Dei familiaritati inhiabant, vt de euellendis vitiorum radicibus & voluntaria corporis maceratione non agerent. Lusitanæ Monialis stigmata (antequam fraus illa patefieret) nunquam approbavit; & increpauit è Societate nonnullos, qui eorum exemplaria circumferebant. Mexicano ciui, qui suffragijs non solùm vulgi, sed etiam peritorum hominum, Sancti cognomen obtinuerat, difficilem aliquando præbuit aditum, & progrediente tempore penitus interclusit; eo solùm nomine, quòd ita de amore Dei eiusque dulcedine loqueretur, vt parum tribueret supplicijs voluntarijs. Sed ille spiritualis homo, qui triginta annos sub vmbra ac nomine sanctitatis latuerat, vice simo anno postquam a Patre repulsus fuit, cum hæc scriberentur, hæresis & proiectæ libidinis à sacris Quæstoribus damnatus, in luce totius regni, carnalis apparuit. Quocirca affirmabat Pater, idiotas homines, qui singularia quædam vitæ genera sectarentur, dæmonum illusionibus obnoxios esse. Quare urgente quodam qua potissimum via homo spiritualis euaderet, & à terrena contagione sciungeretur, subridens in-



quit, Itane verò nouo Euangelio prædicato opus est? aut inaudita vox illa Christi Domini, *Qui vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me?* Fratri nostro Villosò præferuido adolescenti non satis agnoscenti quid in causa esset, quòd parum in spiritali negotio proficeret; Ego verò (inquit) ex tui corporis incondito motu illam exigui tui profectus potissimam causam existimo, quòd viuido ingenio cùm sis, parum tibi imperes. illudque apud te statue, idcirco spirituales homines tam exiguo numero censeris, quòd ex multis spiritua- lem vitam profitentibus pauci admodum suis cupiditatibus moriuntur, Deo propalam denunciante, *Non videbit me homo, & viuet* Quamdiu licuit cum cæteris ad triclinium refectiois causa descendere, id ætatis homini solemne erat, positus in terra genibus suam negligentiam in seruanda Ordinis disciplina cum lachrymis confiteri. Corporis maceratiõni nedum ingrauescente ætate pepercit; quoad Dominus illi supplicia voluntaria morborum doloribus permutauit. quos ille æquissimo animo ferens, quando acerrimus erat morsus doloris, sublatis in cælum oculis, Tu Domine (aiebat) tu verbera iniunge, ego interim Miserere percurram. Aiebatque in hoc laborum genere vberiore esse meritõrum segetem, quàm in illis, quæ sponte sumuntur à nobis, voluntatis arbitrio temperatur, & inanis gloriæ vitio corrumpuntur. Et quidem tantis illum incommodis diuina Maiestas exercuit, vt meritò à multis diceretur Societati donatus, vt posteris daretur exemplum patientiæ, sicut & beati Job. nam, vt omittam longinquas navigationes, tres Romam ex Hispania, inde aliam in Perriana regna, post Mexicum aliam, & longissima itinera per incommoda ac deserta loca, ab incunte ætate aduersa valetudine vsus est. Nondum exple-



uerat annum ætatis vigesimum, cum tentari cœpit febricula prorsus quotidiana, rigore prænuntio. Ventris atque ilium dolore interdum opprimebatur acutissimo. Postremos sexdecim vitæ annos grauiter laborauit articulari morbo: quo sæpe ita malè accipiebatur, vt vix remaneret vllus artus in corpore doloris expers. Tandē mali pertinacia ita vires exhaustit, manus pedesque debilitauit, vt in lecto decumbendi necessitatem imposuerit. tres integros annos supinus iacuit, nec sine magno cruciatu in latus circumagi poterat. quo tempore nihil in seruandis Ecclesiæ præceptis de sua pristina seueritate remisit. Adigi non potuit optimus lenex, vt esurialibus diebus valetudinis causa carnibus vesceretur. adeò vt decimo die antequam vita defungeretur, interrogaret Socios carnis edulia ministrantes, ageretur ne tunc feria sexta? Diebus festis sellæ insidentem magno vtique incommodo gestari se postulabat in sacellū valetudinarij, vt sacris interesset. Horariæ verò precationis pensum, etiamsi ad vèrtèda folia alienis manibus indigeret, ita perseueranter exsoluit, vt ex minoribus Horis quædam memoriter recitare auditus sit die, qua sacro vnctus est oleo. In magna doloris acerbitate rogatus à Socijs, cuperétne tandem ex tam misera vitæ conditione migrare? Respondit, teneri se quidem desiderio videndi Dei, sed tantum abesse ab ipso doloris tædio & impatientia, vt maiores cruciatus expeteret. Sed iam Deo placuerat athletam suum, cuius virtutē tam longo laborum certamine exercuerat, ad præmia æternæ felicitatis euocare. ergo sæuiente hieme lethalis ille succus, qui tam diu manus ac pedes insederat, paulatim cœpit in interiora sese recipere, & capitis infimas cõmissuras occupare. inde ciborum tædium, & somni facultas erepta, tum recenti dolore, tum etiam im-

portuna

portuna prurigne pedicularis morbi . nimirum breuiter exhausto corpusculo arida tantum cute ossa tegebantur. Sensit optimus senex adesse sibi supremum diem, & accersito a confessionibus sacerdoti longiori spatio quam assueuerat confessus est. Tertia Aduentus Dominica Eucharistiæ Sacramēto munitus, & sacro perunctus oleo, Grates, inquit, Deo, quòd hactenus in eius gloriam aliquid molesti pertulimus. & circumfusam Fratrum coronam allocutus, Vos (inquit) Deus optimus benedicat, vt in eius obsequio & laude persteris. Languentibus deinde viribus sex dies excitandæ omnium commiserationi supertuit. Sabbato circa mediam noctem illius diei, qui sancto Thomæ Apostolo sacer fuerat, prosequētibus Sociorum precibus, è vita discessit, anno sæculi huius secundo, ætatis septuagesimo quinto, in ita Societatis quadragesimo nono, quarto & quadragesimo professionis, Mexicana peregrinationis vigesimo sexto. Postera die funebri campanarum pulsu de eius morte certiores facti Mexicani ciues frequentes accesserunt, perciti sanctimonia viri, quæ ad externos etiam amicorum sermonibus permanauerat. è sacris Religiosorum familijs sua sponte alij, alij de morte Patris admoniti in ædes nostras conuenerunt. Communis erat omnium doloris sensus & desiderium: nec satiari poterant Patris aspectu, qui in ipso feretro sacro collocatus ornatu, veteris sanctimoniae & sanctitatis speciem præ se ferebat. Nec caruit admiratione omnium, quòd manuum digiti, quos vita superstitè dira macie luridos & adunca curuitate reflexos cuiusuis aspectus horrebat; decima sexta post mortem hora grato candore ac mollitie tumentes ad sui oscula intuētes inuitabant. Vbi composito agmine corpus elatum est, mirum quanta cupiditate visendi accurrerint, qui iamdiu feralem



pompam in templo præstolabantur . nec satis habebant rosaria applicuisse ori, impressisse oscula manibus, sed in frustra & præsegmina cōularunt. Nec enim prohiberi poterat popularium impetus, omnem penè defuncti vestem sacrarum reliquiarum nomine diripientium, quòd grauium ac doctorum hominum excitabatur exemplo. Inter quos primarius Theologiæ Professor regalis Academiæ, cùm depromptum ex feretro corpus in sarcophagum suis manibus intulisset , vt aliquod referret suæ pietatis pretium, quo desiderium magistri solaretur, pedi calceum occultè subduxit. Alij qui funeri interesse non potuerunt, intimis precibus postularunt, vt è lectuli supellectile aliqua sibi particula donaretur. hoc hominum studio domesticis pariter & alienis non tam dolore quàm pietatis ardore collachrymantibus, conditum est optimi Patris cadaver sub ara maxima, funebrem psalmodiam solemnè cantu persoluentibus curialis templi cantoribus, qui in id suam operam sponte detulerant. Nec defuerunt mortuo laudatores. nam in publicis honoribus exequiarum , quas octauo die Cōgregatio clericorum gratitudinis ergò celebrauit; oratione vespertina Theologiæ auditor , & matutina concione Professor Theologiæ præclaram vitæ sanctimoniã multis laudibus extulerunt.

### *Collegium D. Gregorij.*

**T**Am in iuuandis omni pietatis officio Indorum animis, quàm in educandis eorum filijs, egregiè, vt solent, nostri laborarunt. ex vtroque autem felicissimi collecti sunt fructus, nec vulgares è Sodalitio B. Virginis. nec pauca sublata sunt peccandi occasiones.

*Semi-*



## *Seminarium D. Iuldephonsi.*

**E** Ducat nostra Societas in hoc seminario centum circiter viginti, de præcipua regionis huius nobilitate adolescentes: qui omnes, ut sæpè scriptum est, omni tam literarum cura quàm virtutem exercitatione florere, fructusque ex eo quotannis colligit tum Societas ipsa, tum etiam aliæ Religiosorum familiae.

## *Collegium Angelopolitanum.*

**Q**uamquam concionibus domi & in foro & qualibi etiam habendis, excipiendis confessionibus, sacraque synaxi administranda, habendaque Congregationis B. Virginis cura, inuisendisq; xenodochijs lanarumque opificijs, & huius generis alijs Christianæ pietatis muneribus, multa quidem atque præclara Societatis erga proximos tam Hispanos quàm indigenas sint promerita; nihil tamen nouum, nihil singulare attulit annus præsens ad ea quæ sæpe scripsimus. Sacerdos vnus Fratre comitatus multa vtiliter & præclare gessit in quadam quadraginta dierum missione, vbi præter cætera, Indorũ duo millia, cõfessione plerosque generali, expiauit. Huius probationis tirores & animos quidem suos consuetis tirocinij exercitationibus, & proximorum interdum inuisendis xenodochijs, catechesique instruendis indigenis egregiè adiuuere. Diui Hieronymi seminarium huic annexum Collegio & collegarum numero & virtute auctum est. Fratrem Franciscũ de Flores, annis natum triginta quinque, quorũ habuit in Societate tredecim; floruitq; humilitate, silètio, caritate, obediendiq; alacritate, ac cæteris quæ huius status Religiosum decent,

cent, virtutibus, Deus optimus maximus ad præmij gloriam euocauit.

### *Collegium Tepoçotlanum.*

**E**Thi complures in hoc oppido sint ex Hispanis incolæ, quorum est maximè saluti consultum; præcipua tamen ac peculiaris nostrorum cura ad indigenas probis moribus instruendos, & Christianæ fidei disciplina imbuendos, intenta est: eosque sollicitis nostrorum ministerijs progressus faciunt, fructusque capiunt vberrimos, vt ferè omnes non modò celebrioribus festis diebus, sed etiam sæpe sæpius in anno, præcipuè tamè iubilei diebus, multi etiam semel in mense, nec pauci quidem bis aut etiam sæpius, participes Christi corporis fiant. hinc ille erga nostros amor adèdè eximius, vt, cum inter nostros de assignando eis sæculari Parocho ageretur, primores ex eis Proregem adierint, & ab eo non cum exigua lachrymarum copia petierint, vt Societatis Iesv Patribus vniuersa Tepoçotlanæ regionis oppida Christiana doctrina & Ecclesiæ præceptis erudienda committeret Eruditionis ac disciplinæ causa ad nos commeantium hoc anno longè maior multitudo fuit: nostrorum enim industria ac labore omnium vicorum remotissimorum incolæ, cunctis posthabitis difficultatibus, in pauca oppida sunt trāsscripti. ast magnitudini laboris par utilitas respōdit. Hinc è nostris aliqui ad Hispanos indigenasque, qui in disiunctissimis pagis agrisque versantur, missionis gratiã profecti sunt: quorum aduentu incolæ tantam morum ac vitæ conuersionem, tantum virtutis cumulum, ac vitiorum extirpationem, tantam denique Sacramentorum frequentiam sunt experti, vt sibi maiorem in dies fructum affore persuadeant, si nostri inter eos velint diu



diu commorari. Atque hoc impulsi feruentissimo desiderio magnam aureorum copiam, ad quotidianum aliquorum è nostris victum reliquaque necessaria, fundationis instar assignant.

### *Collegium Guadalaxarense.*

**T**anta est hac in vrbe Societatis reuerentia, civiumque erga nostros benevolentia, vt Præses reliquique regalis curiæ Senatores Regis iussu parentes, velint vna omnium sententia, nostrorum hac in vrbe residentium humeris, latum satis infidelium campum Christiana fide & moribus excolendum imponere. ampla enim in hac noue Galicię prouincia infidelium natio insano demonum cultui & venerationi dedita: cuius haud vnquam oculis sacrę fidei lumen affulserat. Reperta est messis quidem multa, operarij pauci. speramus tamen copiosum satis ac vberem animarum fructum, & maximum Christianę religionis cumulum, nostrorum illuc aduentu futurum. Reliqua huius Collegij ministeria ingenti cum virtutis fœnore, & incolarum in religione prouentu, vt præterito anno scripsimus, perfecta sunt.

### *Collegium Guaxaquense.*

**P**eculiare in hoc Collegio nostrorum studium in Indorum tutela eorumque eruditione & doctrina versatur. Incredibilis est messis vbertas, nec minor sanè in messe utilitas. visi sunt enim hoc anno tū Dominicis tum celebrioribus festis diebus, in patenti sancti Iosephi templo tria, & eo amplius Indorum millia magno animi sensu, & lachrymarum effusione cõcionatori nostro operam dare. Eximia erga Beatissimum Patrem Nostrum Ignatium tam  
Hi-



Hispani quàm indigenæ deuotione pollent. Verùm quia quid singulare in hac prouincia hac in parte acciderit, ad calcem huius annuæ epistolæ adnotandum relinquimus, cōsultò hîc prætermitto. Non parum aucta est templi supellex quorundam liberalitate, qui nobis ad sacræ ædis ornatum argentea vasa erogarunt. Vir quidam moriens Collegio nostro duo aureorum millia testamento legauit.

### *Collegium Pasquarense & Vallisolanum.*

Qui è nostris in his Collegijs sunt, tū Hispanorum saluti summo quidem studio ac solitudine consulunt, tum præcipuè (est enim ingens hîc multitudo) circa Indorum ministeria, eorumque disciplinam paternè versantur: quorum industria assiduisque cohortationibus tum hîc, tum etiam in varijs remotissimisque indigenarum oppidis, ad quæ accersiti sunt à Parochis, incredibilis facta est voluntatum ac morum conuersio. Sacerdos è nostris quidam insignis ac indefessus sanè operarius, varioque linguarum munere præditus, hinc Proregis iussu ad pagos vicosque disiectissimos commeauit, vt cum indigenis de re valdè difficili ageret. Arduum sanè negotiû, sed (quid Patris perseverantiæ difficile?) mirè sibi impositum negotium Deo fauente ad finem vsque perduxit: pagos namque omnes & vicos magnitudine perexiguos, multitudine innumerabiles, loco maximè inter se distitos, itineribus perdifficiles & penè inaccessos, ad pauca traduxit oppida, ingenti cum omnium applausu, &, quod maiorem facit admirationem, summo cum indigenarum gustu & alacritate; qui antea natale solum auitalque sedes relinquere  
mortis

mortis instar ducebant. De incredibili indigenarum erga B.P.N. Ignatium religione & cultu, de quæ eius inter indigenas gestis miraculis suo loco dicemus.

### *Residentia Veræ crucis.*

**C**Um è veteri ad nouam Veræ crucis urbem mutari necesse fuerit domum nostram, non parum laboris habuere Socij in habitatione parâda. tantus verò est ciuium erga nos amor & liberalitas, vt ad vndecim aureorum millia in edificationis sumptus elargiti sint. Nec verò occupationes huiusmodi & incommoda industriam nostrorum impedire retardareque valuere, quo minùs Societatis muneribus tam erga ciues Hispanos & Indos quàm etiam vicinos pagos Deo Optimo Maximo inseruierint.

### *Residentia Zacatequana.*

**I**N vrbe quidem ipsa & oppidis alijs quàm plurimis, ad quæ profecti varijs anni temporibus fuerunt sacerdotes nostri, præter fructus ex ministerijs Societatis colligi solitos, ille fuit planè mirabilis; quòd inimiciæ ac discordiæ quæ annos obduruerant multos, quæque multum negotij ciuibus ac regio nouæ Galiciæ senatui facefferant, sublata denique fuerint. templi supellex aucta est bis mille quingentis nummis aureis, quos ad eam ciuium liberalitas augendam attribuit.

### *Residentia D. Ludouici de la Paz.*

**D**Ei maximo beneficio gentes has barbaras immanesque hæctenus ac planè feras Societatis industria mansuefecit, sustulitque pericula, bella, sumptusque



trusque permaximos, qui in pacificandis tuendis-  
que itineribus fieri soliti sunt. tantus est eorum er-  
ga Societatem amor ac reuerentia. Extendit se præ-  
terea nostrorum labor ad Hispanos & omnis gene-  
ris alios, qui vicina prædia pagosque incolunt. se-  
cutaque animorum utilitas non vulgaris.

### *Residentia Beatæ Mariæ de Cinaloa.*

**E**X domo hac sacerdotes nostri, non contenti la-  
bore ac industria quam erga ciues Hispanos &  
Indos præcipue collocant, ad finitimum agrum, qui  
longè lateque extenditur, excolendum quotidianis  
& magni momenti missionibus progrediuntur, re-  
deuntque identidem, domum spiritualium virium  
reficiendarum gratiâ. vbique autem fructus appa-  
rere mirabiles, qui quoniam ab aliorum quidem  
annorum prouentibus nullo modo discrepant, præ-  
termittendi sunt. Nostrorum industria populos in-  
digenæ condiderunt, domosque extruxere com-  
modiores. In communi peste quæ grassata est, mul-  
tùm quidem sacerdotes nostri de proximorum sa-  
lute bene meriti sunt. resque interim accidere pla-  
nè mirabiles, sed ab aliorum quidem temporum  
nò omnino dissimiles. Numerus crescit eorum qui  
è varijs remotioribusque locis ad populi frequen-  
tiam aggregantur, qui que sacro fonte abluuntur,  
abluique percipiunt.

### *Guadianæ Residentia.*

**V**Rbs hæc princeps est & quasi caput regni quod  
appellât nouæ Cantabriæ. Hic sedes est guber-  
natoris officialiumque regij ærarij, apud quos non  
parum valet Societatis auctoritas. hinc variæ fru-  
ctuosissimæque fiunt varia ad loca excursions.

*Missio*



*Missio ad Tepeguanes.*

**C** Rescit diuino munere in dies singulos Christianorum numerus: exemplo enim suo Tepeguanes Indi non modò alios populos remotasque nationes ad Christiana sacra perducunt, sed etiam pacem cum Hispanis hominibus Regeque Catholico habere cogunt. quod eo quidem admirabilius est, quò acerbioribus odijs antea gentem nomenque Hispanū insectabātur. Res hæc admirationem fecit Reuerendissimo nouæ Galiciæ Episcopo, qui magna cum lætitię significatione primates optimatesque illorum publico solemnique baptisinate, quod illi summis precibus postularant, ad ouile Christi Domini aggregauit. Multi multis in partibus vel grandæua ætate senes, vel tenera infantuli paulò post acceptum baptismum felicissima morte vitam finire. nonnulla antiquæ superstitionis decorumque simulacra ab ipsis quidem Indis oblata sunt sacerdoti nostro, ipsisque gaudentibus comminuta in fluuiumque coniecta.

*Missio ad Caxees.*

**N** Vlla propemodum est huius regionis natio superstitiosior, quæue impensius dedica sit vitijs & idolorum cultui, immanissimæque ac barbaræ crudelitati; naturam tamè tam efferatam Christiana videntur pietate ac humanitate velle mutare; tam auidis enim & ardentibus studijs Christiana documenta perdiscunt, tantoque amore fidei magistros prosequuntur; vt spes maxima sit fore, vt mirabiles fructus ex inculta hætenus silua agrisque sterilibus diuina colligat prouidentia. Varij ac repentini sæpe fuere bellorum tumultus, varij huius

SSS      gentis

gentis insultus & insidiæ, quibus ab Hispanorum consuetudine regioque imperio secedere passim conati sunt, passimque ad montes ac silvas fuga se recipere, passim alia huiusmodi perpetrare flagitia: quæ ita quidem eorum animis inhæsisse videbantur, ut spes nulla esset pacis atque quietis. Tantum verò virtutis diuina bonitas Societatis instituto vocationique attribuit, ut, cum ad eos ex mōtibus reuocandos ad pacemque pertrahēdos, itineraque tutanda vix magnis sumptibus Hispanorum militum præsidia sufficerent; iam nunc diuino munere ac beneficio sacerdotis nostri pileus, in pacis ac beneuolentiæ signum ostensus, omnia illis secura faciat animosque trāquillos: quo factum quidem est, ut si qui longè aufugerant, & ad antiquos ritus feritatemque sese conuerterant, iam nunc aliquem de Societate ducem sequentes, cæteruatim ad populos fidemque reuertantur. Interim verò dum huc illucque excurritur, dici non potest quot quantosque labores & pericula nostri perpetiantur, quamque suauibus diuinæ dulcedinis voluptatibus eos Deus optimus maximus reficiat ac recreet.

### *Missio ad Parras, Paludemque magnam.*

**M**Irum quanta propensione animi hæc natio feratur ad res sacras atque diuinas, quantisque desiderijs baptizari cupiant, quàm denique obsequentes se præbeant sacerdotibus nostris, qui in hac excolenda vinea perampla quidem ac feracissima, egregiam nauarunt operam. Eorum vnus Pater Ioannes Augustinus Zacatequensis, dum incessanter laborat, dum nullum non mouet lapidem, nullamque prætermittit occasionem qua de  
indi-



indigenis bene mereatur, ad tantorum quidem meritorum præmia demigravit in cælum; tertio Kalendarum Maij anno 1602. cum in Societate vixisset annos ultra septemdecim; magno semper & mirabili virtutis exemplo, innocentia, modestia, candore animi singulari, laborum perpeffione ac tolerantia, dummodo alios atque alios ad Christum adducere posset, planè ferreus, suæque immemor commoditatis. orandi verò studium quàm impensè exercuerit, quantoque animi affectu cum Deo agere, eumque ubique testem comitemque habere studuerit, declararunt quidem non solum egregiæ virtutes eius; sed etiam scriptæ interim datæque varijs temporibus ad Superiores litteræ; ex quibus etiam quàm serio quàmque constanter ad perfectionem tenderet, quo fuerit animarum zelo, qua morum integritate, qua religionis & obedientiæ cura, qua sanctitate, apertè cognoscitur. hæc tamen attigisse sufficiat, ne annuæ brevitati dissentiant reliqua.

Non defuere in his quoque ultimis terrarum angulis illustra quædam exëpla, quibus diuina bonitas B.P. Nostri Ignatij merita patefecit, & eius in omnium animis singulari venerationem excitauit: sed ne molesta sit nimis enucleata narratio, potissima quædam libabo ex his quæ in publicas tabulas restatò relata sunt anno 1602. quo morbus anginæ ac tonsillarum vniuersas regiones contagione peruasit. In oppido Guadianæ nobilis femina Maria Castagneda periculoso eoque multiplici morbo laborabat: nam præter vulgatam luem, qua facies & lingua ita intumuerant, vt nihil esculenti aut poculenti posset haurire, nec vocem in verba formare; accedebat caufonis lethalis ardor, & sacro igni nõ absimile morbi genus erysipelas, quæ subter aurem dexteram intumescens fædo miseram vlcere deformabat. ad hoc pleuris acuta cum pestilenti feбри



dolore pungente, ac respirandi difficultate inferior quoque mandibula resoluta coagmentatione dilapsa, tantusque in toto corpore languor ac macies, ut sine magno cruciatu in lecto versari non posset. iam morbus superauerat medicorum remedia, & animum ad supremam luctam munierat extremis Ecclesiæ Sacramentis. Desperata salute feminam cum sacerdos noster magis iam cum morte quam cum morbo luctantem admonuit, ut P. B. Ignatio, quem Deus tantis nostra ætate miraculis illustrabat, quando verbis non poterat, mente saltem atque animo supplicaret, uti vitam illi superstitē suis apud Deum precibus impetraret. paruit ægra vocibus vix auditis, & sensit præsentē Numinis opem. nam cum adorasset sacram B. P. effigiem, quam sacerdos illi præbuerat, repente tanquam ab infuso suauissimo liquore percipere sibi visa est inusitatam oratione dulcedinē: deinde intra semihorā totus ille tumor euanuit, & quæ antea non nisi alienis manibus, & cum acuto doloris sensu circumagi poterat, suis se cubitis enixa leuauit, hilaris & exprorecta fronte supra lectum consedit, clara voce enunciāns se nulla medicorum ope in posterum indigere; Beato Ignatio deprecante mortem euasisse, & integram valetudinem recuperasse: proinde cōfestim aliquid cibi afferant, in animo esse statim sese lecto proripere, & per vias & compita tam illustre miraculum prædicare. fidem quam ardore animi & oratione pietatis plena miraculo fecerat, tum maximè confirmauit, cum hic intra paucos dies publicè instituta gratulatione in templum venit acceptam referens valetudinem Beatissimo Patri. Concionator quidā à Franciscana familia, qui tunc verba ad populum fecit, è suggestu ita præsentem ac minimè dubiam Ignatij opem in eo periculo diuinitus interfuisse asseuerauit, ut vniuersum populum

Ium Guadianæ plurimum debere B.P. Ignatio prædicaret; quòd eo præside & adiutore grassantē morbi lucem sine periculo popularium depulisset. Sensit etiam propitium ac salutare B.P. Ignatij patrociniū filia quædam prædictæ Mariæ Castagnedæ: nam cū fœdus tumor cum acerrimo doloris sensu capiti insideret, apposita sacra Patris effigie primò quidem dolor ille sedem subinde mutabat, donec effigiem in capite retinente puella intra breue spatium extinctus euauit. In eodem oppido Guadianæ puella menses nata non amplius sex præcipiti correpta feбри, atque erysipelæ vrente tabe, toto corpore intumuerat, superâte atrocitate morbi teneras vires, nihil propius habuit quàm vt animam efflaret. deserta erat, parentibus in interiori cubiculo, ne tantum oculis dolorem haurirēt, aspectum refugientibus: sed apposita Beati Patris Ignatij imagine aperuit oculos, & quæ antea stomacho fastidiente respuerat nutricis vbera, cœpit exfugere, ac breui depulsa feбри ac tumore conualuit. Horum ac similium euentuum fama percitus octonarius puer, qui hectica consumptus feбри iacebat desperatus à medicis, cōcepto voto Beatissimi Patris opem implorauit, atque eius effigie capiti reuerenter imposita, statim mali leuationem sensit, & paulatim vires & integram valetudinem recuperauit. In agro Guadianæ in latifundio parentum commorabatur virgo quædam nobilis (Clara Eredia) quæ duodecim ipsos annos acerbissimis frequentibusque cephalæ doloribus conflictabatur, frustratis plurimis medicorum remedijs: sed auditis ex hospite sacerdote nostro quæ sacris Patris nostri imaginibus miracula patrabantur, fidei atque spei plena imaginem capiti imposuit, ac postera die sacerdos Sacro pro virginis valetudine factò, consueta oratione per Ignatij merita diuinam opem labo-



ranti precatus est, euentu sanè felici: nam statim melius habere cœpit, virgo illa, & a nota veste qua caput antea premebat, modicum fumum vel auram timēs, solo Ignatij præsidio omnes longinqui morbi reliquias propulsauit. Huic prædio atra nubes incubuerat, quæ caligine sua & multo fragore cæli alibenti segeti & palanti pecori extremam calamitatem minabatur. Claræ mater præstati erga Beatum Ignatiū affectu femina, implorato sui præsidis auxilio, nubem à finibus prædij propulsauit, tanta celeritate, vt magna incussa vi illam regionem fugere videretur: substitit tamen intra quintum lapidem, & nullius rei nocumento effudit imbrem grandinis, quæ post duas horas ad piam feminam exempli causa perlata glandis magnitudinē superabat. Erat his nobilibus feminis ancilla quædam Inda genere, quæ spina dorsi concussa vix poterat crura sensim ac pedetentim explicare. iam duos annos dolore conficiebatur acerbo, à medicis destituta: cum sacerdos noster iter agens eò fortè peruenisset, commemoratis quæ à Patre Ignatio miraculosè gesta ferebantur, in spem recuperandæ valetudinis mulierem excitauit. nec vana fides. recitata super ægram E.P. oratione statim se crexit, & in argumentum recuperatæ valetudinis per spatiosam exedram citato pede cucurrit, & magna pondera in humeros suis manibus sustulit: sed vt plerumque sunt leuia mulierum ingenia, inanis timor incessit ancillæ, ne iterum sibi pristini dolores redirēt. ergo malè sano conatu balneum petit calentis aquæ, vt confirmet receptas vires. vix se aquis inmeiserat, cum subito dolore correpta leuitatis acerbissimam pœnam dedit. quæ circa erant excipiunt vociferantem, in lectamque deferunt questibus omnia complentem. Vt primùm ad se redijt, haud multo negotio sibi persuasit ab irato Deo malum immissum.

nec



nec aliunde sibi pacem & doloris medicinam quã à B. Ignatij patrocínio quærédã. ergo effusis vbertim lachrymis Ignatiũ intensè rogitat, vt condonata leuitatis noxa priora sanitatis beneficia restituat. nec incasũ missæ preces. applicata particula sacrę casulæ, qua viuēs vsus fuerat Beatus Ignatius, & Dominica oratione cū Angelica quinquies recitata, pristinam sanitatem obtinuit, qua etiam nunc fruitur nullo præteriti doloris vestigio. Seruatur à nostris qui Guadianæ commorantur, æris lamina, in qua B. Parentis in genua fusi Christo Domino crucifixo humiliter supplicãtis cernitur imago inclusa, tecta regente crystallo. hanc multis precibus impetrauit à nostris vir. honestus, vt filiolæ imponeret, quæ diutina vrgente febrî in vltimum venerat vitæ discrimen, & damnata spe atque ope medicorum in vno tantum post Deum Ignatij patrocínio deposita erat. res fuit multorum prædicatione celebrata. Puellæ penè animam agenti applicita imago, intra breue spatiũ gemmeis sudoris stillis profluere cœpit: quæ in crystallo & ipsa æris lamina fluere videbantur gemmarum specie & magnitudine, cæteris miraculo stupētibus. Fæmina quædam è circũstantibus ortum sibi apostema sudore illo reuerenter illiniit: nulla interposita mora tumor euanuit. tunc demum omnes efferre laudibus Ignatij merita, & palàm confiteri haud dubia Numinis dispensatione B. Patris imaginem eo sudore manasse, stillas sacri roris in capite Christi Domini è cruce pendentis & Ignatij supplicantis, non sine arcano mysterio longo tempore perstitisse: sed quo testatior esset Numinis præsentia, & plenior omnium gratulatio, puella quoque ex eo temporis pũcto depulsa febrî periculi expers fuit. In oppido Saliceti quod imminet Guadianæ, res alia contigit memorãda, & ad augendam Ignatii religionem imprimis illu-

stris. Indus quidam Michaël nomine cū ira ferox virga percuteret equum, dissultantibus virgæ fragminibus aliquod patenti excepit oculo, vnde decis apertisque tuniculis albuginis ille liquor multo cum sanguine effluxit. desperata omni humana ope diuinam spectare iubetur Indus, & expertum à multis Ignatij patrociniū fufis ad eum precibus implorare. semel igitur orationem Dominicam & Angelicam salutationem recitat barbarus, & imaginem Beati Patris effosso oculo venerabūdu impo- nit. mira dictu ac visu res. nullo profus adhibito remedio cū post triduum detraheret linteum, quo vulnus fouerat, animaduertit sibi oculum restitu- tum, & Ignatij præsidium sibi saluti fuisse. quod nunc gratus ac beneficij memor cum oppidanis ad Ignatij reliquias eo miraculo incitatis prædicare nō desinit. Femina quædam ex Æthiopia, quæ seruitu- tem apud Hispanū Guadianæ seruiebat, ex vulne- re non solum graue & occultum pectoris aposte- ma cōtraxit, sed caducum etiam morbum, quo fu- renti similis interdum iactabatur: damnata medi- corum arte quā multos annos experta fuerat, oleū & operam perdens, ad Beatum Ignatium spem & vota vertit. Patris imago desperato capiti impo- nitur, & oratio recitatur. nec mora, sanitatem om- nino recuperat, non minori sua quàm domini gra- tulatione, qui, vt medicorum industriam incitaret, aureos supra ducentos ei qui mancipium persana- ret, data fide pollicitus erat. In eodem oppido Gua- dianæ femina quædam honesto loco nata, cū maximo febris ardore æstualet, filiabus præcepit vt in honorem B. P. Ignatij semel orationem Domini- cā cum Angelica salutatione recitarent, vt illa pro- pitiatione impetret sibi corporis sanitatem. illæ di- ctis obtemperant, & mater placido sopore compo- nitur: mox sudore perfluens euigilat, & febris ex- tincta



tincta recedit. Simili etiam commodo valetudinis  
 & maximis totius corporis doloribus solutus est  
 æger, qui nuncupato voto Beati Patris auxilium  
 imploravit. Eandem opem expertus est Hispanus  
 quidam, qui excussus ab equo, & ad terram afflictus  
 brachium ita læsit, vt vnus anni curationibus vsus  
 illius recuperare non potuerit. Ignatij igitur opem,  
 cuius egregiam vim in morbis diuinitus curandis  
 fama perceperat, fiducię plenus implorat, vouetque  
 anniuersariũ ieiunium, & quotidianã precationem.  
 mirũ dictu: statim sensit auditas preces, & emortuę  
 penè dexteræ robur rediisse. & quo res testator ef-  
 fet, brachium contorsit, reduxitque tanta celeritate  
 ac robore ac si nihil incommodi habuisset. Femina  
 quædam vterum gestans in grauem ac periculo-  
 sum incidit morbum: quem tamen Ignatio præside  
 & adiutore, vt illa fatebatur, euasit, maiori diuinę  
 prouidentia miraculo reseruata: nam duodeuige-  
 sima sanguinis effusione exhaustis cum sanguine  
 viribus, nulla spes erat fœtum emittendi. apperente  
 igitur partu amicæ ac familiares conuenerant mi-  
 serimũ lethi genus oculis subiecturi. verũ in tan-  
 ta omnium desperatione steterit animo, Ignatij ere-  
 cta patrocinio: eius opem obortis lachrymis ex-  
 poscit, partus oppressa doloribus, ac minimè dubia  
 Ignatium sibi fauentem atque propitium affutu-  
 rũ. è lecto se subducit manibus innixa domestico-  
 rum, mox per cubiculum aliquantulum progressa  
 nullo pænè dolore peperit. scilicet qui aderat mœ-  
 rore in lætitiã verso diuinam clementiam efferre  
 laudibus, quòd Ignatio deprecate præsentem opem  
 haud dubio mortis periculo laboranti propitius at-  
 tulisset. Hispanus quidã, qui inter Indos Tepegua-  
 nes agit, acerbum ac multorum annorum capitis  
 dolorem, appensa ad caput lectuli sacra Beati Patris  
 effigie, in perpetuum propulsasse fatetur. In vice-



Prouincia in sede Silangēsi mulier affecta præcipiti morbo antè vocis vsuram amisit quàm se confessione expiare posset. Sed apposita sacra Patris imagine, repentè aperuit oculos, & sermonis facultatem eatenus duntaxat accepit, quoad sacerdoti peccatis rite confessis animam pænè è tartari faucibus ereptam Domino reddidit. Magna est etiam Guaxacensium pias erga Beatissimum Patrem, iamque hominibus religione eius vehemēter excitatis familiare est Ignatij opem in aduersis rerum euentibus frequenter exposcere, & solemnia quædam pietatis officia eius demerēdæ causa religiosè obire. Quidā vir nobilis quotānis obseruat in quam hebdomadę feriam natalis Ignatij dies inciderit, vt quāuis per domesticas curas aliquādo sacro interesse non possit, ea saltem feria non absit spectando Missæ sacrificio ad aram quæ in templo nostro Beati Patris effigie imprimis insignis. Alius Cantaber genere præcipua pietate colebat Beatū P. Ignatium, tum propter eximiam eius sanctitatem cui plurimum ille tribuebat, tum etiam quòd morti destinatus à medicis grauissimū morbū depulisset Ignatij implorata ope, nuncupato voto, si vita superstes esset, se cum tota familia natalem Ignatij diem festa gratulatione quotannis peracturum. & stetit promissis, nisi diuinitus restitutam valetudinem eripuisset apoplexia, qua repentè correptus vix potuit Sacramentis Ecclesiæ muniri. verum in tanta moriendi festinatione nihil potius habuit, quàm vt suam erga Beatum Ignatium pristinam religionem testaretur: nam aureos vltra sexcentos testamento legauit in sumptus canonizationis quam dicunt Beati Patris Ignatij. Sacris etiam imaginibus & reliquijs Beati Patris multum religionis accessit, nec aliunde magis quàm ab earum osculo & impositione in rebus asperis subsidia quæruntur.

Cantaber alius diuturna & medicis ignota consumptus tabè, adoratione sacræ imaginis & reuerente eius amplexu conualuit. Indus quidam uigebatur difficili morbo ac planè desperato: cum sacerdos noster euocatus ab eo, sacræ Patris Ignatij reliquiam apposuisse impensè roganti, eo solum remedio ægrum ita leuauit, ut postera die in templum uenerit faculam accensurus restem recuperatæ ualitudinis Ignatij patrocinio. Sed hoc etiam ad memoriam insigne. Inda quædam uerum gestans & partui proxima, à marito adedè malè fustibus accepta est, ut exanimato fœtu in apertum uenerit uitæ discrimen, quinque ipsos dies grauissimo excruciatâ dolore. Cum exanimato fœtu uitâ traxit ipsa morte duriolem. desperatis ergo uitæ remedijs mortis agoni se comparat, sacerdotem accersit, animum expiat, petitque ut aliquam è Sanctorum reliquijs sibi iam cum morte luctanti miseratus imponat. annuit precibus sacerdos, & quandâ Beati Patris reliquiam ad collum appendit. adfuit diuina vis. nam post aliquas horas concepti corpusculi frustra paulatim eiectione cœpit: mox dolore leuata conualuit. Sed longum esset tædijque plenum ire per singulos euentus illarum, quæ mulieres in pariendo labores Beati Patris Ignatij imaginibus, reliquijs & implorata ope superauerint. multis enim in his Mexicanæ prouinciæ tractibus commune est, ut partus dolore circumuentæ ad Beatum Ignatium incolumitatis causa confugiant.



VICEPROVINCIA PHILIPPINARVM.



Abet in vno Collegio septemque Residētijs & seminario vno, quinquaginta septem è Societate, sacerdotes vnum & triginta, reliquos Fratres Ad meliorem vitam vocati sunt duo; tres verò cum vno Fratre huc è noua Hispania venere.

*Collegium Manillanum.*

EGregiam, vt solent nostri, sacerdotes quinque, Fratres verò octo in hoc Collegio in obeundis Societatis muneribus operam nauarūt. Aucta latinæ studii studia, cœptus Philosophiæ cursus, habitæ magno cum ornatu ac splendore regijque senatus & cleri & ciuium frequentia consuetæ literarum exercitationes, Sodalitijque Beatæ Virginis celebritates tam à cæteris quidem scholaribus, quàm à Diui Iosephi seminario, quod magno cum omnium plausu nuper institutum est: instituta & alia Sodalitas ciuium virtute præstantium, quorum & numerus & pietatis studiū crescit in dies. Ad templi ornatum trecentorum adiectæ sunt aureorum eleëmofynæ, cum peregregio nec non medioeris sumptus altari, quod in B. Martyris Polycarpi honorem primarius ciuis erexit. illo namque Patrono sese ciuitas hæc contra terræ tremores, quibus antè afflictabatur, securissimè tuetur atque defendit. Ad ea quidem officia quibus Indorum animi iuantur, non parum momenti attulit Sodalitium Beatissimæ Virginis. Sodales enim non solum exemplo virtutis, sed etiam industria, labore, studio conqui-



conquirendisque vndique bene merendi occasio-  
nibus operam adiuuere Societatis. itaque quantum  
laborarint nostri, vel quãti collecti sint fructus, di-  
ci non potest. Christianarum legum obseruantia  
plurimi apud eos fit. cum quidam Christi Domini  
nataliis seruili exerceretur opere, reprehensus ab  
alio, datam sibi respondit à IESV Christo ita facien-  
di potestatem. nec multò post subsecutum quidem  
est cæleste supplicium: eodem namque die illius  
domum grauissimus inuasit morbus, qui vxorem  
ac liberos abstulit. ipsum quoque vehementer op-  
pressit, donec peccati culpa recognita, veniã à Deo  
opt. max. confessione apud vnum de nostris facta  
tãdem postulauit. Alia etiam vicina oppida perlu-  
strata sunt, in eisque quàm multa quamque præ-  
clara contigerint dicere opus non est. Quædam à  
venefica femina datis veneficijs rabie ac furore  
immanissimo cum ageretur ac tremere, ei que  
vnus è Societate agnum Dei collo iniiciendum  
prebuisset, repente sanata est. Ac eodem vsus reme-  
dio Indus alius ex eadem ferè morbi grauitate ad  
pristinam redijt valetudinẽ Anno 1601. Decembris  
initio Pater Franciscus Almerique obiit, dilectus  
Deo & hominibus, qui annis nouemdecim hac in  
regione incessanter elaborans omnibus virtutum  
& exemplo & gloria præluxit. primus omnium na-  
tionis huius linguam edidicit, omniumque euasit  
peritissimus. totum sese Indorum cõmodis animi-  
que saluti quærẽde ita deuouerat, vt laboribus nul-  
lis difficultatibusque parceret. quodque miran-  
dum magis, orandi studium ardentissimum cum  
actione operæque ita coniunxerat, vt alteri dumtaxat,  
non vtrique simul studuisse videretur. de ipsius  
quidem oratione illud vulgò ab his qui eum fami-  
liarissimè nouerant, dici solitum fuit, quod de  
D. Dionysio, quodque de Beato P. N. Ignatio: erat  

patiens

patiens diuina. quod verò ad actionem attinet, positamque in iuuandis proximis industriam, præter consueta in Collegio Manillensi munera & officia, quibus dies noctesque laborando desudauit; sanè oppida, insulas atque nationes non solum dispersas vnũ in locũ commodioris doctrinæ gratia coëgit, sed etiam fidei præceptis instruxit, verè Philippinarum Apostolus nominandus, Beatiq̃ue patris Francisci Xauerij imitator egregius, cuius ad præmiorum consortia eodem quo Franciscus die vocatus, pacatissimo mortis genere conqueuit. Anni etiam 1602. mense Ianuario, Frater Antonius de Robles, dum Logicæ operam dat, relicto posteris præclaræ virtutis exẽplo in cælũ, vt creditur, euolauit.

### *Seminarium Diui Iosephi.*

PERMAGNÆ futurum existimatur utilitatis ad diuinæ gloriæ augmentum hac in regione seminarium alendæ iuuentuti, quæ maximè libera vagabatur. eius foundationis solemnia tam à Gubernatore senatuque regio, quàm à Religiosis hominibus, & clero populoque vniuerso celebrata sunt.

### *Residentia Antipolensis*

NIHIL singulare habuit: quamquam labor quidem & industria Patrum duorum, qui hac in Residentia commorati sunt, fuit planè singularis, singulariaque utilitatum incrementa ac diuinæ gloriæ seges effloruit.

### *Residentia Silana.*

QVAUTO studio & amore Societatem diligent insulæ huius incolæ, vel ex eo apparet, quòd acceptis



ceptis de nostrorum ad eos aduentu nuntijs, octo dierum spatio aptam eis commodamque domum exardificarint, multaque vitia & peccandi occasiones facili negotio reliquerint, inque omni Christiana virtutis exercitatione non mediocres progressus fecerint. festos Ecclesiae dies magna prosequuntur obseruatione: cuius ad rei exemplum illud accidit planè mirabile, quòd Inda quaedam Dominico die cum sese occupasset texendo telam, repente consumptam comestamque à tinea comperit. Magna & perquam utilis facta est Indorum ex varijs remotioribusque locis hunc ad populum congregatio. quæ dum fieret, & huc illuc Socij nostri per montium viarumque penè inaccessibleium prærupta vaderet, quam fructuosis felicibusque euentis eorum labores diuina bonitas rependerit, confessiones, baptismata, morientiumque opportuna suffragia declararunt. Aucta Indorum fides, translatis ad huius Residentiæ templum non paucis ex Manillano collegio Sanctorum Reliquijs: aucta & templi supellex ducetorum aureorum eleëmofyna, & altari præterea perpulchro primarij cuiusdam viri sumptibus extracto, affabreque depicto, erecta denique Congregatione beatissimæ Dei genitricis, cõstitutisque Quadragesimæ supplicationibus, paschalibusque solemnitatibus, & rebus alijs, Christianaëque Ecclesiae moribus consuetudinibusque introductis. spem nobis offert diuina bonitas vtilitatis maximæ per amplam atque copiosam.

### *Residentia Zebuana.*

**T** Res Patres cum Fratribus totidem quam fructuosissimè in hac Residentia commorati, tam Indorum quam Hispanorum etiam commodis saluti que inseruiere. Hispanos milites, qui ex oblati belli



belli occasione anno præfenti hac in insula fuerunt, plurimum in Domino adiuuit nostrorum industria. confessionibus namque libenter audiendis familiaribusque colloquijs mirabilis subsecuta est vitæ mutatio. Hæc aliaque solemnia officia ita quidem Reuerendissimo Episcopo placuere, vt gratias immortalis Deo publica ad populos cohortatione ageret, tanta interim tamque præclara de IESV Societate dixerit ac prædicauerit, vt omnes ad magni facienda amplectendaque ministeria Ordinis nostri vehementer incenderit.

*Boholensis olim missio, nunc Residentia.*

**T**Am hinc spatiosus campus ostenditur, vt ad illum quidem excolendum non ad tempus missis, vt hæctenus, sed assiduis, inque insula ipsa commorantibus opus fuerit operarijs. itaque Patres tres rotidemque Fratres rem Christianam mirabiliter promouent. Baptismata qui suscipere, studiofissimo quidem animi ardore ad legem diuinam seruandam incumbunt: qui verò non suscipere, tanta illius auiditate ac desiderio flagrât, vt tam hi, quam etiam qui per oppida insulasque finitimas dispersi sunt, quidquid fieri oportere existimant, vt tanto beneficio dignos sese nostris exhibeant, constanti animo exequi, & quassibet superare difficultates minimè dubitent. Sed paruuli perierunt panem, & non erat qui frangeret eis. dolendum enim est, nec sine lachrymis dici potest, quâta hinc quamque copiosa messis pereat destituta messoribus, tantique apud eos est momenti Christiana fides, vt sese mutuo vicissimque cohortentur, & populi etiam alij alios ad Christiana sacra suscipienda non exemplo solum,

solùm; sed voce, sermone, præmio incitent atque permoueant. Christianus Indus primarius cùm ethnicum quemdam iocantem fortè ridentemque conspexisset, Quomodo, inquit, fieri potest, vt qui baptizatus non sis, securo gaudio, tutaque lætitia perfruare? Cùm hæc oppida & insulas de more officioque pastoralis, Episcopus Zebuensis inuiseretur, vnum habuit è Societate comitem. ille Præsul optimus, vt est erga Societatem animo pio atque beneuolo, multa passim de labore nostrorum bene vtiliterque collocato, quòd gentis huius mores mutaret Societas, quòd feros animos māsuefecerit, quòd ex agris, montibus, terræque cauernis, vbi inter feras belluarum more vagabantur, ad hominum consuetudinem consortiaque traduxerit, è morte ad vitam, è gehenna denique ad cæli gloriam euocarit. quid? si copia mitteretur operariorum.

### *Residentia Samarensis.*

§ Acerdotes quatuor cum Fratribus totidem hæc in excolenda vinea laborarunt. quid autem, si cum immèta ferè segetum, quas hic ager pollicetur, magnitudine conferantur? quinquies ad vicinos populos insulasque profecti, catechismo, baptismo, confessione, vagantiumque hinc inde hominum vnum in locum aggregatione fructus collegere mirabiles. In vno quidem oppidorum huiusmodi, quod Beatissimi Patris Ignatij nomine insigniri voluere, ducentorum puerulorum schola instituta. Sacramenti vndæ baptismatis, aquæque lustralis aspersioni, sacrique Euangelij lectioni, & id genus alijs Ecclesiæ cæremonijs tantum exhibet cultum, tantamque fidem habet, vt miraculi propemodum loco reponenda esse videantur, quæ hac in parte contigerunt mirabilia. multi enim vel morbo vel



vicina morte liberati sunt, vel à baptismo vel confessione ipsa in cælum euolarunt. quo factum est vt superstitiones antiquas ritusque deponant, & ferinis moribus relictis ad humanitatem Christianamque consuetudinem facillè transeant.

### *Missio ad Catubig.*

**H**Aud facile est dicere quot quantosque labores Pater & Frater per difficilibus ad hanc missionem itineribus terra marique pertulerint, quam multos ad Christum vocarint, quanto ardore animi gentes hæ baptismum appetant, quam ægrè ferant se tanto bono præ ministrorum inopia destitui, quam auidè sacerdotes nostros abeuntes prosequantur, eo dumtaxat animo, vt vel ad baptismum consequendum Christiana rudimenta perdiscant. Inter alios sanè quam plurimos duo viri primarii, cum vt baptizarentur difficultates superauerint incredibiles, æs alienum suis restituerint dominis, seruitia quæ iniuste possederant, libertate donauerint, interque egenos ac pauperes magnam rei familiaris partem erogauerint; mirabile quidem est quantum reliquis exemplo suo profuerint. Cum in oppido quodam sacerdos noster de Christiana fide apud Christianos publicè concionaretur, Indus ethnicus alienigena casu præteriens, ita rebus quæ dicerentur permotus est, vt ad patriam illicò festinantèrque redierit, familiamque suam domumque mutarit ad locum, vnde facillè quidquid ad fidem morisque Christianos pertinet, posset ediscere. Sacrosanctum nomen IESU quam reuerentissimè in periculis discriminibusque inuocant: nec pauci sunt qui præsentè Dei opem hac inuocatione persenserint. In quibus illud fuit mirabile, quòd cum immanissimus crocodilus (*cayman* vocant) paruulum

lum infantem corripuisset, illeque nihil nisi IESV nomen pronuntiare nosset, audito statim salutari nomine prædam fera deposuit. Baptizati sunt adulti trecenti, paruuli verò quadringenti.

### *Residentia Dulaciensis.*

Quatuor hîc Patres, & Fratres totidem plus laboris & occupationum habuere quàm hactenus; non solum propter famem & hostiles incurfus, aliasque molestias quibus oppressa fuit insula, sed etiam propter assiduas ad quatuor oppida vicina profectioes. Ad Christianorum numerum adiecti sunt sexcenti circiter adulti. pristinos ritus ac mores, ac præcipuè idolorum cultum, ita mente & animo perhorrescunt, vt quidquid ad idola ipsa pertineat, si apud aliquem ipsi fortè deprehenderint, illicò cum idolis ipsis ad forum publicalque plateas comminuendum comburendumque deportent. Cùmque olim ad sementis segetisque cõseruationem varijs vterentur superstitionibus; nunc crucis salutari signo, aquæque lustralis asperusione sese suaque omnia tuentur, tantoque ardent desiderio alios ipsi ad Christum vocandi, vt ex agris & montibus locisque remotis multos passim vel senio vel morbo confectos quærissent, ad nostrosque deferant, salutaria remedia postulatam. Non exiguus est numerus eorum, qui cùm alioquin ferarum more in agris & montibus morituri fuissent viderentur, iam statim accepto baptisate felicissimè vitam finierint. quam etiam ad rem duo hîc erecta fundatæque xenodochia profuere vel plurimum; multo etiam plus Beatæ Mariæ Virginis Congregatio: cuius quidam alumni quotquot in aliis orbis partibus à Congregationis Sodalibus pietatis exercetur officia, tanto amplectuntur studio, vt non neo-



phyti, sed in Christianis antiquissimisque urbibus alti educati que fuisse videantur. Quod autem attinet ad diuina mandata, nihil reformidat magis quam lethale flagitium non modo committere, sed nec cogitatione quidem admittere. Puerorum seminarium habuit hoc anno felix initium, qui regulis ac distributione proposita diem legendo, scribendo, canendo, pingendo, vtiliter collocant. patronum cooptauere diuum Iosephum, cuius festo die compositum patriam linguam dialogum placidissime quidem habuere. iamque non modo ad vocales preces, sed ad conscientiam examen, & orationis studium animos erigunt, vt non parum promoturi credantur.

### *Residentia Alangalagensis.*

NON minorem animi virtutem constantiamque, & egregiam, vt solent, industriam nostri sacerdotes quinque tresque Fratres ostenderunt, in conseruando Christianorum numero & fide, anno presentis, quam haetenus in adducendis ad Ecclesie gremium Indorum millibus multis. nam praeter centum armatarum nauium incursum, quae causa fuit vt in montes sese fuga reciperent incolae, & repentinos contra Xolum belli apparatus & munimenta, talis tamque atrox imber ventorum mixtus procella insulam inuasit, vt oppida, aedes, templa diruerit, soloque aequarit vniuersa: aliaque praeterea clades ac strages periculosior acciderit, nempe quod nefaria quaedam sacerdotissa occasionem ex huiusmodi calamitatibus arripuerit disseminandi contra Christi fidem absurda perniciosissimaque figmenta. iratum scilicet esse vehementer in Christianos Dabatam (sic enim idolorum maximum appellarunt) ac propterea mirum non esse, si haec aliaque incommoda tam baptizatos quam



quàm eos qui baptizari tentarint, sequantur & ventent; nostrorumque item ad eas partes aduentum nihil esse aliud, quàm Hispaniarum Regis cõsilium ac fraudem, vel ad incolas vtcunque capiendos, vel ad imperij fines ac terminos dilatandos: nec esse mirandum si terra fructus & alimenta neget, tantaque calamitas neutiquam abitura sit, donec à suscepta fide vel à suscipiendæ proposito recedatur. Nec ita conatus nostros gentisque huius desideria pia calamitates tantæ retardarunt, vt auctus non fuerit Christianorũ numerus. Creuit enim præcedenti anno Ecclesia mille ducētis sexaginta tribus: quos sacerdotes nostri iam mari, iam flumine, iam terra montuosa plenaque salebris, iter agentes pedibus, siti fameque cõfecti, ærumnas passi penè incredibiles, Deo tandem optimo maximo lucrati sunt. Diuina verò solatia tot inter labores ex felicibus prosperisque euentibus experti quàm plurima, præsertim verò cõfessionis & Eucharistiæ frequentatione, quæ maxima quidem fuit Quadragesimæ diebus: celebrataque IESV Christi Domini hebdomadæ sanctæ solemnia magno cum animi ardore ac doloris sensu, quem etiam composita sese diuerberantium supplicatione declararunt. Profectionem paranti sacerdoti nostro ethnicum quemdam grauiter ægrotare nuntiatum est. eum illicò Pater ante discessũ inuisit, baptizatine cuperet, rogauit: tum æger, nihil sibi magis in votis & optatis esse; sed obstare illud dumtaxat, fidei quòd rudimenta nesciret. cùm verò illum non ita morti vicinum crederet, vni Christianorum erudiendum tradidit. ille tum angè vehementerque dolere, quòd se tanto destitutum beneficio propeque mortem deserui videret. at repentè cælo tum fortè sereno talis coorta est tempestas tamque assiduus imber in oppidum irruit, vt morari manereque diutius cogere

Pater: quo factū est vt breui catechesim perdidicerit, baptismumq; præterea susceperit. nec ita multò post è vita discessit. Pœnitentiæ voluntarijsque propter peccata supplicijs vtuntur libentissimè: qua in re freno potiùs quàm cohortatione indigēt. etenim modos excogitant varios sese publicè discruciadī; è quibus illud est: manus in crucis formam ad polum alligant, ingentis dehinc ponderis adiungunt saxa; quo tormenti genere non modò vias templaque circumeunt, sed etiam orationi quàm diutissimè intendunt: quod & ipsis Bacchanalium diebus facere solēt. Ethnicus quidam ad rem Christianam parum quidem affectus, cum hæc aliaque id genus fieri à Christianis cerneret, faciendis eleëmofynæ loco in eum vsus crucibus (faber nimirum lignarius) inseruire primùm Christianis cœpit, mox vnā sibi ipse fecit, eamque ad templi vsque valuas gestauit. ac sacrosancti profectò ligni virtute factum videtur, vt qui fideles antea vel contemneret, vel nō magni faceret, iam ex eo tempore baptismum appetat postuletque instantissimè. Aqua benedicta aspergenda, recitandisque ad ægrotantium capita Euangelijs, mirabiliter eorum fidem remunerata est diuina benignitas. Paruulus quidā acerrimo laborans oculorum dolore, remedij poscendi gratiā sacerdotem adiit: cuius quidem monitu recitata puer Angelica oratione repentiē sanatus est. Non modò manè ac vespere diebus singulis catechismi gratiā in templum conuenire, vt cæterarum quidem insularum neophyti, solent, sed etiam Virginis Deiparæ rosarium quotidie reuerēter studioseque recitare. In oppido nomine Sunga varia erant primariorum inter sese certamina atque dissidia, è quibus magnę populis alijs imminere videbatur calamitatis strages: composita verò sunt omnia atque pacata nostrorum cohortatione.



*Missio ad Panamad.*

**Q**uod in hoc oppido naualia sint, Hispanorum maior est copia quàm in cæteris. tum hi, tum præsertim Indi vel ethnici, vel Christiani Societatis consueta præsidia suis vtilia commodis animorumque saluti fuisse experti sunt. Consciências multæ expiarunt, panæque cælesti animos refecere, tanto doloris sensu, tanta lachrymarum vi, tanta reuerentia, vt sacerdotes nostri mirabili gaudio perfusi nauigationum pericula itinerumque labores atque discrimina minora esse putauerint atque viliora, quàm vt eis tanta diuinæ suauitatis dulcedo emeretur. Hic publicum xenodochium ædificari commodè cœptum est.

*Missio ad Ogmuc.*

**I**nsula hæc Mindanao permagni nominis insulæ finitima est, campusque ideo patet ad Sociorum oppida quàm latissimus. iam superstitiones vitiaque antiqua deponere, iamque ad Christi fidem moresque affici videtur. vsuras præcipuè, à quibus antea dissolui separarique noluerat, non modò fugiunt ac perhorrescunt, sed etiam supplicio, pœna vindictaque insectantur. Confessiones fuere comunionesque frequentissimæ. Baptizari cupientium tantus est numerus, vt breui speretur omnes futuros esse Christianos. Quadragesimæ hebdomadæque maioris officia peracta solemniter: facta Hispanorum simul & Indorum publica sese diuerberantium supplicatio, aliæque cõsuetæ id temporis ceremoniæ: Christi verò Domini resurgētis gloriam cantu musicisque instrumentis, festis choreis ac ludis, & omni lætitiæ honorificatione sunt vene-

rati. Mirum est quantum hæc & huiusmodi alia neophytorum animos in fide corroborarent, ethnicorum verò incitent desideria.

### *Missio ad Baybay.*

**Q**uod nihil adhuc certi habuerimus, quem ad locum cogendi congregandique sint hi qui longè lateque dispersi montes ac valles inhabitant, multò hic minor est quàm alibi Christianorum numerus; diuino tamen beneficio mensium quatuor spatio ducèti triginta sex Christiana sacra suscipere. tanta est denique tum missionis huius, tum aliarum, & insularum omnium Philippinarum capeffendi Euangelij fideique amplectendæ cupiditas, vt immensos planè vtilitatis animorum ac diuinæ gloriæ fructus sola Ministrorum inopia retardet.

### PROVINCIA AQUITANIAE.



Abuit hic annus Socios 237. In Collegio Tolosano 39. In Domo Probationis 39. Burdigalæ 48. Ruthenæ 19. Aufcis 19. Agenni 25. Petrachoræ 23. Lemouicis 20. In residentia S. Macarij 5. Obiere tres, cooptati in horum locū 20. In omnibus ferè Collegijs, siue eripiendis à cæde, peccatis & periculis; siue ob eundis egris, patibulis, publicisque custodijs; siue societatibus cum dæmone, inimicitijsque capitalibus propinquos inter & proximos dirimendis; siue tollendis superstitionibus, prauisque ritibus, bonas consuetudines introducendo; siue hæreticis Ecclesiæ reconciliandis, vacillantibusque in orthodoxa fide confirmandis; siue alijs, quæ ista comitantur,



tantur, rebus, egregiam omnes operam nauauerunt. Agnouerunt Ecclesiam 140. Confessiones totius vitæ quàm plurimæ, & eorum qui nunquam confessi. Catechismus vbique personuit, tanto concursu ac voluptate omnium, vt eius etiam veritas inducta sit in familias aliquot hæreticas. Ruthenæ, vt de cæteris taceam, de prece consilioque Consulium in summo templo habita catechesis, cum alia, tum hoc effecit, vt inueteratam iurandi consuetudinem ex plurimorum ore euellerit. Ita subuentum corporibus nonnullorum, vt ea opera redundarit in auxilium animorum. Aucta, ornata, frequentata templa liberalitate & pietate multorum. Tolosanum quidem calice deaurato atque cælato cum binis vrceolis argenteis atque cælatis, nec non frontali holoserico auro circumtexo.

### *Collegium Tolosanum.*

**C**ollegio Tolosano cum alia multa cum alijs, tum hæc singulariter, euenerunt. Ex 25. Ecclesiæ reconciliatis, & de fide Catholica rectè instructis nobilis matrona, & ministrorum hæreticorum liberi duo: quorum alter literis, quæ sacris, quæ profanis, non mediocriter eruditus, cum nostros antè, quia scilicet non nouerat, vehementer auersaretur; cognitis vitæ rationibus & Societatis institutis, factus est derepètè amantissimus nostri, itaque in vera fide confirmatus, vt parentis, à quo hæresi docendæ alebatur, minas terroresque non solum non pertinuerit, sed patriam etiam adierit, patrem ipsum, quantumuis vetulum hæreticum, Catholicis dogmatis instructurus & ad Ecclesiam si Deus annuerit, perducturus. Totius vitæ maculas sancto Pœnitentiæ Sacramento 100. circiter elue-

runt. Fex prostituta muliercularum ex suburbijis de consilio nostrarum exhausta, & in vnum congregata locum, religiosæ disciplinæ institutis ac moribus informatur, edoceturque dignos fructus agere pœnitentiæ. Vidua pauperrima potentes voluptuarios, filia ætate florentis ac speciosæ pudicitiam pecunia impudentiaque expugnantes, magna animi constantia repulit. Puella item nobilis, recens nupta, pretiosa munera iam diu oppugnantis se prædiuitis singulari animi fortitudine repudiauit, acceptoque ferro oppugnatori, vim inferre minanti, intentauit. Missum recens à Rege Protopræsidentem, amoris argumento, tertio post ingressum in urbem die nos inuisentem, scholæ tam vario, tamque grato Musarum cultu apparatusque exceperunt; ut laudata maximè probataque palàm præceptorum nostrarum industria atque eruditione, primis quæ initio studiorum haberi à nostris solent prælectionibus interfuerit, & in frequenti Senatorum corona dixerit inter alia, nihil nisi accuratum ex Societatis hominibus solere proficisci. Fortunatus etiam nobis hic annus fuit circa temporalia: diremptæ enim feliciterque extinctæ lites forenses, quibus Collegium istud multis annis implicatum tenebatur, & in quibus agebatur de retribus præcipuis huiusce Collegij: quas omnes vno ferè alteroque mense, præter expectationem diuina prouidentia consopiuit. Conuictorum domus efflorescit in dies magis ingenuorum adolescentum & numero & probitate. Fuit hoc opus in ciuitate iuuenibus periculosa, permultis sanè gratum, & diu expetiturum. Nec defuit foris nostrarum opera in salute proximorum procuranda. Cadurcum enim, quæ ciuitas primaria & prouinciæ Cadurcensis caput, missus vnus è nostris concionator, plures nobiles viros hæreticos, familiæ capita, ad fidem adduxit,

tantamque diuini verbi audiendi animis ciuium cupiditatem inmisit, vt officinis clausis artifices ipsi & mercatores, nec non vicini ciuitatis agricolæ in singulos dies interessent; immodò cum his, qui locabant eorum operâ, paciscerentur de hora concionis, quam sibi ante omnia integram reseruabât. Simoniacis aliquot remedium datum est, & ab eis acceptum. Albiū item, quæ ciuitas prouinciæ Albigenensis caput est, missus est qui concionaretur Aduentus Dominici & Quadragesimæ tempore. Ibi conciones habitæ summa frequentia, & fructu sanè non pœnitendo, etiam hæreticorum, qui fama excitati ex urbibus finitimis ad eum audiendum ventitabant. In his primarij hæretici, dum ad eius concionem conuenirent, dixerunt, Heri nos adduxit huc curiositas, at hodie pietas & deuotio. Restituti Ecclesiæ Catholicæ quinque. Dissidebant proceres nonnulli, & alij. In concione cum semel egisset noster de odijs & simultatibus deponendis; in ipsa concionis exitu sex, quorum odia mutuas salutationes excludèbant, amicissimè coram omnibus redierunt in gratiam. Confessiones totius antea actæ vitæ auditæ plures 40. Neraci, vrbe hæretica, quatuor de rebus fidei per vnum è nostris instructi, & ad Ecclesiam aggregati. Ab eodem disputationes habitæ, non sine prouocantium Ministellorum ludibrio. Rapistanum, oppidum non longè ab vrbe Tolosana, alius se contulit ad concionandum: vbi inter cætera pietatis officia penè labens Sodalitium pœnitentium restituit; virumque nobilem inuisens, à quo sibi omnes vicini metuebant propter potentiam & ferocitatem, homini ingenitam, beneuolum maximè & coniunctum tum cum proximo suo, tum cum Societate nostra reddidit, non sine omnium admiratione & gratulatione.



*Collegium Burdigalense.*

**P**rofessionē quatuor votorū emiserunt quinque,  
 qui non sine omnium penē ordinum admirati-  
 one, ostiatim, vt solemne est Societati, emendican-  
 tes, Catholicis immò & hæreticis nō obscurum re-  
 ligiosæ humilitatis exemplum præbuere, atque ac-  
 ceptis eleëmofynis nosocomijs, carceribus, religio-  
 sisque familijs profuerunt. Depositi in gremio san-  
 ctæ Ecclesię nonagintaquatuor: in his Doctor qui-  
 dam medicus in Caluiniana hæresi ab infantia  
 educatus, post varia cum nostris, tum Neraci, tum  
 hic habita de religione colloquia, posthabitis, quæ  
 fore præuidebat, incommodis; ex illa tandem face  
 emerfit, suæque conuersionis causis libello in lu-  
 cem edito explicatis, labefactauit pertinaciam plu-  
 rimorum. Alius ex Anglia huc venit; relicta ad tem-  
 pus vxore, liberis, & patre hæretico; idque eo tan-  
 tum animo, vt Ecclesiæ Catholicæ reconciliaretur,  
 quod & operâ nostrorum obtinuit. Duo item ado-  
 lescentes Scoti, liberalium artium laurea insignes,  
 relictis parentibus & spe opimæ hereditatis (erant  
 enim ambo primogeniti) ad nos se contulerunt, vt  
 de Catholicæ fidei capitibus instructi eam profite-  
 rentur. Itaque abiurata hæresi Romam profecti  
 sunt. Erat in vrbe non valdè ab hac distita, hæreti-  
 cus non ineruditus, qui sæpe frustra cum multis de  
 religione congressus, vni tandem è nostris verita-  
 tiq̃ue dedit manus, tanta omnium gratulatione, vt  
 ob id in Ecclesia gratiæ fuerint Deo redditæ. Ena-  
 ris Præsulem inter ac Prætorem senatumque penē  
 vniuersum dissidijs, sic se tulerunt nostri, vt ab om-  
 nibus singularis prudentiæ nomine, missis etiam ad  
 Regem literis, fuerint commendati. Inter eos qui  
 Kalendis Ianuarijs templum nostrum pietatis iubi-  
 leique

lei que causa celebrarunt, Dux Pernonius, qui toto eo die à prima luce ad vesperam apud nos esse, & in templo quidem animum cælesti pane, corpus verò prandio refici in Collegio voluit. Vir quidam, ut vni ex nostris confiteretur, quadragintaquinque leucarum iter confecit. Alius vitæ omnino perditæ, familiari cuiusdam è nostris colloquio, ad bonam frugem reuocatus, non sine stupore plurimorum. Alius item magicis artibus deditus, alijsque nefandis sceleribus implicatus, reiectis dæmonum præstigijs in melius mutatus est. Accessit templo nostro non mediocriter ornamentum, ex altaris maioris in modum arcus triumphalis frontispicio artificiosè depicto. Dominus Bertinus, Officialis & Canonicus Ecclesiæ Metropolitanæ sancti Andreae, Societatis amicus, moriens Collegium constituit heredem mediæ partis suæ Bibliothecæ, quadringentis minimùm aureis æstimatæ. Frater germano fratri, eidemque sacerdoti, infensus, ad veniam flexis genibus petendam adductus, multis fraternam concordiã expetentibus exemplo solatioque fuit. Partheniorum Sodalium in visitandis iuuandisque his, qui vel in publico xenodochio iacent infirmi, vel in carcere captiui detinentur, pietas præsertim enituit & liberalitas. Nonnulli eorum causas deinceps gratis agendas susceperunt, in carcere diutiùs detentorum, vel amicorum inopia destitutorum, vel eorum qui exiguo æri alieno soluendo non sunt, quos etiam stipe corrogata iuuant. Itaque paucis mensibus ad quinquaginta liberarunt è carcere. Eaque occasione duo ex illis Calvinianam hæresim abiurarunt. Vir quidam honestus, dum multos in Collegium properantes, quò irent ignarus, insequitur, sacellum B. Virginis cum cæteris intrat: ubi audita Patris exhortatione totius vitæ confessionem eo ipso die (ne elaberetur



occafio)inftituit. Aucta eft Sodalitij fupellex calice & pyxide Sanctæ Euchariftiæ afferuandæ argenteis, affabrè elaboratis.

### *Missio Xantonica.*

**A** Dèdè grati fuerunt noſtrorum labores anno ſuperiore proximo Epifcopo populoque Xantonenſi, vt hoc etiam anno eundem è noſtris concionatorem habere contenderint, nec minori cum fructu. Nam præter eos, etiam ex præcipua nobilitate, qui in recta fide confirmati ſunt plurimi, Eccleſiæ aggregati quatuor. Sublata praua conſuetudo, qua multi, etiam Catholici, ſacro quadragenario cibus vetitis utebantur: adèdè vt quidam à concione, in qua Pater in tales carnum voratores inuectus fuerat, domum reſſus, ollam, in qua carnes coquebantur, euerterit, matremque hæreticam, cuius hæc cauſa fiebant, ſeueriſſimè monuerit, nolle ſe talia domi ſuæ in poſterum fieri. Pœnitentium Sodalitatibus, ſuperiore anno inſtitutis, additæ ſunt aliæ duæ. Quo exemplo aliæ vrbes ſingulas apud ſe excitarunt. Enituit maximè Xantonenſium pietas in translatione reliquiarum ſancti Eutropij, ciuitatis illius primi Epifcopi ac Martyris: cuius ſacrum caput ante annos circiter quinquaginta furori hæreticorum, qui urbem illam occupauerant, ſubductum, Burdigalam tranſlatum fuerat. Iam verò reſtituta ciuitate Catholicis, & pace conſtituta, placuit Epifcopo populoque vniuerſo tantum pignus ceu depositum repeti. Quare in dicta translatione poſt Paſchales ferias (cui rei qua pietate & cultu inſiſtendum eſſet, ſæpiùs à Patre per Quadrageſimam fuerant edocti;) factum eſt vt ex tota prouincia tantus omnium ordinum concurſus fieret, vt duarum leucarum iter multitudine com-



compleretur. Nec quidem sine ordine, præcedebant quippe Christi crucifixi insignia: ad octoginta sublequebantur Pœnitentium, quas diximus, Sodalitates, quæ ad octo leucas obuiam nudis pedibus processerunt. Deinde clerici ferè quadringenti linteati. Hos sequebatur Illustrissimus Cardinalis Sourdus, qui Lutetiam profecturus tanto comiti se adiunxerat: cui & Episcopo Xantonensi aderant duo è nostris concionatores, qui, cum subsistendum esset, ad populum de cultu ac veneratione Sanctorum verba faciebant. Extremum claudabant agmen innumeri, inter quos ne quid fortè tumultus oriretur, Gubernator ipse prouinciæ, nunc has, nunc illas partes obibat. Quatuor ipsos dies sacrorum hymnorum cantu aures aërque personuerunt. Res erat sanè spectatu dignissima, quæque plurimas præ gaudio lachrymas ciebat, præsertim cum hæc in ea regione fierent, in qua hæreticorum rabies in sacerdotes & sacra, maximè fuerat debachata. Itum est etiam à nostris in insulam quandam eiusdem diœcesis Xantonensis, Oleron vocant, cuius incolæ magna ex parte Caluinistæ. In ea nobilem virum Catholicum Minister hæreticus peruertere studebat. Rogauit ille Patrem è nostris, sibi vt adesse vellet: quo audito non solum colloquium detrectauit Minister, sed etiam ex insula profugit Rupellam, hæreticorum asylum, sibi vicinum. Quade causa multi non tantum vacillarunt, sed duo etiam hæresim abiurarunt. Erat in eadem insula hæreticus quidam hydropicus, qui cum omnia Rupellanorum medicorum remedia frustra esset expertus; tandem implorata beati Eutropij ope, & in eius memoriam Sacro fieri iussu, sanitatem recepit, & Ecclesiæ Catholicæ à Patre nostro voluit reconciliari. Ad aliud quoque oppidum eiusdem diœcesis, Montem Andree vocant, ter hoc anno euocati sunt

sunt nostri. Primò ab ipsis Catholicis, qui multa & graua olim passi ab hæreticis, multitudine & potentia longè superioribus, cùm inter eos esset ipsius oppidi dominus, ex antiqua & pernobili familia, omnibus etiam Catholicorum templis concrematis; tan to tamen religionis ardore succensi erant, vt quoties sacerdotis adesset copia, excitato raptim tentorio rem diuinam summo animi sensu procurarent. Cùm verò nullus sacerdos præstò esset, conueniebant tamen diebus Dominicis ac festis, & inter se alternis Officium B. Virginis recitabant, edocti nimirum ab vno è nostris, quem ante viginti-quinq; annos illuc profectum audiuerant. Iam verò vbi pax affulsit Ecclesiæ, & oppidi dominus ad fidem Catholicam, relicta hæresi paterna, redijt, & Catholici templum suis sumptibus excitarunt satis amplum; nonnulli ex hæreticis fidem ibi Catholicam complexi sunt, alij vacillantes firmati, hæreticorumque repressa audacia. Alia quoque inissio ex hoc Collegio facta est ad insigne monasterium monialium fontis Eberaldensis. Occasio verò huius missionis hæc fuit: Regis Christianissimi amita, iam septuagenaria, Abbatissa illius monasterij, in quo ducentæ numerantur moniales, sæpè à Patre Prouinciali per literas petierat mitti sibi vnum aliquem è nostris. mittit tandem, & opportunè sanè: nã in id tempus incidit, quo filia nobilissimi quondam Ducis Guisij professionem in eodem monasterio emissura erat. Habitis per quindecim dies cõtinuos concionibus, Guisfa Ducissa, mater eius quæ professionem erat emissura, vxorque olim Ducis, cum magna procerum turba, plurimisque alijs, qui eò aliunde confluxerant, interfuit. ex eo tempore regis amita Societati magis ac magis addicta: argumento sit, quòd vnum è nostris hoc anno habere voluerit, qui sibi & suis Aduentus & Quadragesimæ



mæ tempore concionaretur, quin & alium in insequentem annum postularit.

### *Collegium Ruthenense.*

**A**D Gabalos in Prioratum Chiracensem, olim à Gregorio XIII. impetratum, hoc anno suprema Senatus Tolosani sententia; post varia impedimenta plurimorum, Collegio adjudicatum, missi è nostris duo, qui inter cætera mulierem Calvinianam Catholicam fecère. Mimatensis Episcopus nostrorum & operâ & consilio libentissimè vitur, nec ita pridem per literas à Patre Prouinciali postulauit vnū è nostris, qui in vrbe olim Catholicis infestissima aliquot Aduentus & Quadragesimæ dies, pro instituti nostri ratione, concionaretur. Excursiones in oppida non sine fructu factæ. Parthenianus Sodalitatis vitiosam mulierculam ad vitæ castioris exemplum reuocare dum nititur, eandem in se impudentem ac blandientem non verbis tantum, sed verberibus emendatam remisit. Senuerat penè in Lutherana lue nobilis quidam, cum illum vnus è nostris admoneret, hæresi abiecta Ecclesiæ aggregatus, & Sacramentis ritè perceptis, septima inde hebdomada feliciter, vt piè credimus, obdormiuit.

### *Collegium Aginnense.*

**N**Ostrorum in Rhetorica alumnorum hic constitit seminariū. Aquitanix Marecallus, vt pedem in urbem intulit, mox Collegium inuisit & templum, Deo supplicaturus, exceptus perhonorifico Musarum omnium applausu. In quatuor, qui hæresim eiurarunt, strenuus dux numeratur, qui ob nescio quid facinoris arctiori custodiæ mancipatus, ab vno è nostris carceres inuisenti monitus

ac edoctus, eò se demum trahi passus est, vt seu sibi viuendum, seu moriendum foret, ad auitam religionem se postliminiò rediturum receperit. & pollicito certè stetit. Nam cum ductus Neracum damnatusque capite iam agendus esset in patibulum, atque hinc Caluinianus Ministellus quem sibi commissam, pastor scilicet bonus, perdere non passere conaretur, hinc pius iuxta ac eruditus sacerdos, salubrioris doctrinæ pabulum propinaturus instaret: huic constanter adhæsit præclarus fide; illum importunè se intrudentem, & nescio quam cantilenam iam inchoantem procul repulit magno suo pudore, & garrulam cornicem ad suos coruos abire iussit; ac demum exomologesi facta, riteque expiatus feliciter infelicem ad arborè summa animi magnitudine vitam finiuit. Sutor tetricus ac Saturnius, auri argenti que auidior, cum nummos aureos duos, quibus in præsens maximè egeret, sibi sublatos comperisset, in desperationem versus, gladium in dexteram mammillam violenter sibi haud dubiè adegerat, ni propera vxoris manu brachium aliquantulum retentum petitionem minùs grauem ac violentam in latus conuertisset. accurrit confestim tota vicinia, aduocatur subitò noster sacerdos, qui hominem ad sanam mentem reductum expiauit: quare animo & corpore breui conualuit. Vrbs est vicesimo circiter milliario distans, hæreticorum labe infecta, Turnonium vocant. Eò cum de nostris sacerdos vnus excurrisset, historiam Christi passi iam triginta ab annis ea in vrbe inauditam, magno omnium tum hæreticorum, tum Catholicorum sensu ac profectu, sanctiore hebdomada palàm explicauit. Itum est in oppidum ferijs Paschalibus, vbi mulier voto, malo dæmoni mancipata, eum sæpe videbat humana specie. ex illius suasu è præalta porticu in terram prono capite se deie-



deiecerat, tum etiam cultrum in femur sibi adegerat, ut penè toto profuso sanguine iaceret exanimis: & ni concretus sanguis cum admiratione medici fluxum stitisset, mortem quesierat. hæc maledicta in filios congerere, Crucis signum pavere, aquam lustralem horrere, dæmonis opem implorare. Ad hanc iuuandam vnus è nostris accedit: cuius consilio Cruce se armat, piaculari aqua confirmat, agno cereo corroborat, maledicta retractat, dæmoni nuntium facit, Christum ac Deiparam in opem vocat, confessionemq; pollicetur in crastinum. vrgetur tamen tota nocte à malo dæmone proiectu lapidum, mane verò frigida quadam manu prehensio brachio trahitur in præcipitium; iamque penè præceps ruebat, cum furibundo conatui quidam accurrentes impedimento fuerunt. Reuocat promissionem confessionis, nec vrgente, rogante, minante sacerdote eò adduci potuit, ut confessionem ederet. Ad hoc tamen demum adducta, ut & Sacro & concioni interesset: sed vix audita concionis parte dimidia, abiit illicò furore percita. Ad extremum se desperata, cum iam ex oppido pararet reditum noster, extremum recurrens ad remedium, ad patrocinium scilicet Beatæ Virginis, eò feminam trahit, ut vnà cum coniuge, cui nomen est Boni-euærus, voto se obstringeret duos candidos cereos offerendi. Mirum dictu, vix votum emiserat, cum illicò repetens solutionem promissi sacerdos, sanctè pieque confitentem eam audiuit, ad eò ut sequenti die templum adiens petita ab omnibus venia communicarit. Pumioli ludimagister, ingenio & eruditione spectandus, ceterum hæreticæ prauitatis ita tenax, ut non pueros modò, qui ad se itarent, sed & ciues & aduenas, aut corrumperet, aut in errore confirmaret. Is dum nostros ibi sæpius concionantes, non tam profi-

ciendi animo, quàm efficiendi inaudiret; vnam maximè de cæteris concionem de Sanctissimo Sacramento sic excepit, vt statim impellente Deo fluctuare cœperit; mox de religionis mutatione cogitare: denique apud se firmiter statuere; quod nulla vnquam vis potuit labefactare. Nam vt primores hæretici, rem sagaciter subodorati, mirari primò, mox precibus & minis hominem tentare, nullum funem intactum relinquere, ad extremum custodia detinere, aris alieni nescio quam causam prætexentes; sed retexuit statim vnus ex optimatibus Catholicis Christiana munificentia, atque hominem soluit: qui liber mox ad nos aduolat, instruitur, expiatur, & ritu solenni in templo nostro, id ita volente Episcopo, hæresim eiurat, gaudentibus iuxtà ac gratulantibus vniuersis. Itum est in monasterium S. Benedicti, vbi noster amicè exceptus, in gratiam alios cum aliis restituit, & intermissum diuinum Officium constituta pace, reuocauit. Profectus alter è nostris in castellum vicinum, ad sedandas quasdam rixas & simultates obortas, hunc miserum statum offendit: mater proxima desperationi, filia iam furore correpta in aquas se præcipitem egerat, quibus iam vincebatur; sed præstò fuit aliquis, qui præsentis periculo miseram liberauit. vtraque verò per inedia mori destinarat: sed reuocata vtraque industriâ nostri sacerdotis, à quo & hæc & illa, cum tota domo, confessione expiata. Neraci sacro Christi Corporis festo die, solenni supplicatione delata tota vrbe Eucharistia, hinc micâte purpura toto senatu Catholico, hinc prælucentibus cereis ad duo millia, circumfusa plebe, domibus omnium, etiam hæreticorum, (qui plures sunt Catholicis) quaqua pompa flecteret, vario peristromate conuestitis, soloque quâ flore quâ herba vbiubi instrato. ad cuius



rei obtutum nequicquam frementes senatores heretici, & acrius expostulantes, sibi cum purpura, nõ secus ac collegis Catholicis, suis interesse conuenticulis concedi volebant. Concionatus vnus è nostris de Sacra Eucharistia magno omnium fructu. Porro tam ardentè à senatu Catholico expectuntur hinc nostri, vt existiment alium neminem huic muneri facere satis posse.

### *Collegium Auscitanum.*

Sacerdotem, postquam obiisset per aliquot annos Ecclesiæ Catholicæ munia, dæmon abripuerat in hæreseos prauitatem. vbi per speciem connubij hæreticæ mulierculæ iunctus, mercator ex sacerdote factus, in eo luto ad annos ferè quatuor & decem hæserat. Catholici igitur illius affines & consanguinei, hominem miserati, vt primùm data occasio, sollicitant, vt aliquando tandem resipiscat. Surdis hæc auribus. adeò iste pertendebat in impietate sua. Urgent nihilominus hominem, eoque tandem penè inuitum trahunt, vt de rebus fidei cum aliquo è nostris conferat. Confert. dubiam mentem ponit, hæresi abiurata. Cumque inter abiurandum ad ea verba, quibus asseritur in Eucharistia corpora & vera Christi præsentia, peruenisset, manantibus vbertim lacrymis agtè perfecit interruptam professionis formulam. Qui eius vitam cum hæreticis detestabantur, vt impiam, iam suspiciunt inter Catholicos virtutis exemplum. Parentibus hereticis adolescens iam ante aliquot annos Catholicum se apud nos professus, Christi natali festo die domum reuocatus, ab vtroque parente, nec minis, nec blanditiis à vero & Catholico cultu potuit reuocari. Cùm in eius diei peruigilio conuiuæ adessent frequentes, omnes ferè hæretici, eundem-

que hortarentur, vt vesceretur carnibus, & pater mirabundus ediceret, se, nisi fieret hæreticus, exheredem facturum; ille intrepidus, se hoc vnum quod faceret, olim etiam facturũ respondit. Quin etiam fratrem natu maiorẽ Catholicum, sed quã metu parentis, quã malorum consuetudine factũ remissiorem impulerat in id consilium, vt clam parente ac domesticis ad mysteria sanctissimæ noctis in ecclesiam venirent, vt expiatis per confessionẽ animis Eucharistiæ participes fierent; sed intercepti fraude, vt credunt, domesticorum, patris iussu per eos fermè dies velut arcta custodia detenti sunt. Rediit igitur ille spei plenus atque animi, ea re vna anxius, quòd malo improborũ dolo adempta sibi pietatis exercendæ occasio fuisset.

### *Collegium Petrochorense.*

**N** On minor hoc anno, quàm superiore proximo, nostrorum in hoc Collegio fructus extitit: vt communia taceam, quinque facta fidei professione in gremium Ecclesiæ Catholicæ redierunt, præter familiam nobilem, quæ 50. iam annos Lutheranam an Calvinianam sectam professa, Numine tandem propitio, feliciter emerfit. Sarlatensibus anno iam secundo per Aduentum & Quadragesimam concionibus & aliis Societatis officiis sacerdos noster, tum cõmuniter profuit, tum viro primario & docto, qui nobilem magistratum à spiritalibus commentationibus B. P. Ignatij cælibe religiosâque vita commutauit. Vnius impudentia adolescentibus & mulierculis periculosa, oratione palàm habita, omnino repressa est. Brihati Lutherana magistella solitis lenociniis ad se puellarum fermè omnium animos alliciens, magistratu ciuibusque per nostrum ibi concionantem commo-

nafa-



nefactis, fugam arripere compulsæ est. Sodales pastoritij, qui iam pridem, pro Dominico Natalitio, bacchanalia celebrare cõsueverant, non sine scandalo proximorum, per ædes omnes sacras & compta diu noctûque personati debacchantes; hoc tandem anno, larua deposita, & insolentissimo tripudio prætermisso, cum silentio & funalibus accensis ad sacrosanctam Liturgiam accedere cœperunt. Insultantem & gloriabundum coram imperitis Ministellum vnus nostrorum præsentia in latebras abdidit pudore suffusum.

### *Collegium Lemouicense.*

**I**psa ineûtis anni die primo cœpta est habitari noua domus. quam commigrationem, non modò Antistes, sed omnes etiam ciuitatis ordines conuocati celebrarunt. Vnus è nostris bona Collegij, vi & armis postremis bellorum temporibus per varios occupata, dum iure suo repetit, mortem sibi sapiùs intentatam, non sine præsentis Numinis auxilio, euitauit. Ex vno vel altero fiet coniectura de cæteris. Dum igitur trigesimo aut quadragesimo ab vrbe lapide, negotiorum causa, oppidum petit, certus multos eosque nobiles magnum sibi faceßere posse negotium, Patrem Rectorem per literas rogat, vt Deo per communes preces communem velit rem commendatam. nec frustra: nobilem enim quemdam, militum manu stipatum, occurrentem, vociferantem & deierantem, non solùm cohibuit, sed emolliuit etiam & sedauit penitus, eodem tempore, quo pro ea re matutinæ preces ad Deum fundebantur. Idem cum pro altero Collegij negotio laborat, & duodecim falsorum testium perfidiam euincit, & iudicem secundum alios litem post horam daturum maturè, iuris sui rationibus exposi-

ris, in suas partes adduxit. Ex Ecclesiæ reconciliatis  
 mercator vnus, qui Caluinistarum multos iam an-  
 nos fuerat à secretis. Sacris Beati Patris Ignatij ex-  
 ercitationibus complures Ecclesiastici, nobiles,  
 alijque operam, maximo animorum suorum fru-  
 ctu, dederunt. In his Religiosus concionator, diui-  
 no instinctu huc ad nos missus, vt & seipsum iu-  
 uaret, & ad alia sui Ordinis cœnobìa, quæ à sancto  
 primæuæ religionis instituto deflexerant, iuuan-  
 da, aptum instrumentum efficeretur. Nobilis item  
 ijsdem meditationibus excultus illud vitæ genus  
 elegit, vt in sæculo Deo seruiat, & proximis iuuan-  
 dis vacet. nec verò frustra: nam duellis impedi-  
 dis (quæ pestis hîc grassatur latissimè) egregiam na-  
 uat operam, & vitæ suæ exemplo, non minùs, quàm  
 verbis edocet, totusque ferè in eo est, vt alios, præ-  
 fertim nobiles, ad meliorem frugem, ad Sacramen-  
 ta, & ad easdem, quibus ipse mentem exercuit, me-  
 ditationes adducat. Ille idem nobilis, cùm aliquan-  
 do hospitium ingressus, mensam carnibus, quo nō  
 licebat die, opertam reperisset, hortatu suo effecit,  
 vt nullus eas attingeret. Honestæ quædam matro-  
 næ, inter cætera pietatis officia, antiquam, quam  
 vocant Maleuestitorum, Sodalitatem nostrorum  
 operâ, nouo aded feruore reuocarunt, vt non so-  
 lum vrbis pauperibus, ad quorum subleuandam  
 inopiam instituta fuerat, sed & externis vestes ne-  
 cessariæ suppeditentur. Nobilis matrona, cùm in  
 partu, magno vitæ discrimine, laboraret, apposita si-  
 bi B. Patris Nostri Ignatij icuncula ænea, felicissi-  
 mè, nullo penè cū labore est enixa. E millenis, qui  
 scholas nostras frequentant, scholasticis, quatuor  
 in Societatis album adscripti. Ad alias verò Reli-  
 giosorum familias transiêre decem. Reliquorum  
 porro pietas hoc vno vnus exemplo poterit con-  
 firmari. Subriperat ille librum magiæ, deque Pa-  
 tris



tris vnus è nostris consilio ignibus tradiderat: cum ecce derepentè chartarum murmur crepitans fumusque crassissimus & teterrimus, sulphurei pulueris ad instar, cubiculo adolescentem præ timore coëgit abscedere. latebat nimirum dæmon, frende-  
debatque dentibus; nouo tamen animo Crucis signo efformato rursus ingreditur. mira res; paumentum figuris magicis, quibus sparsus erat liber, stratum reperit; solis figurarum extremitatibus ambustis. dæmonem dixisses obstirisse, quo minùs in eas ignis egisset: has tamen omnes, partim pede, partim scopis, in ignem euerrit. crepitus maior priore, secundò perterritum exire coëgit. Tertio tandem victus dæmon, quem tunc dixisses domus fundamenta quatere, & omnia murmure, fumo, retroque odore miscere. Cum vnus è nostris fortè obiret oppidum, in quo Ecclesiastico cuidam nobili parata & in numerato delata fuerat pecunia, qua Beneficium vèderet Ecclesiasticum; ita ei Coadiutor noster culpæ grauitatem & Dei offensam tanto cum verborum pondere proposuit, vt de cælo tactus Ecclesiasticus irruerit sapiùs in illius amplexus, ei gratulans, quòd sapienti & libero monito salutis animæ suæ prouidisset, asserens se nunquam bona Ecclesiæ sibi commissa venditurum. Idem mulierem in nostros atrocissimis verbis, nullo pudore, inuehentem, patientia & silentio eò adduxit, vt commota illa & inœrens, quòd tam temerè calumnijs fidem habuisset, veniam à circumstantibus petierit, & liberiùs in Religiosos infantes debacchatam se fuisse confessà fuerit, immò de eiusdem consilio destiterit ab emptione Beneficij Ecclesiastici, ad quam quadringentos iam parauerat aureos.

*Domus Probationis.*

**A**Dmissi viginti: quorum vnus annorum sedecim, vnicus matri viduæ, cum non prius à nobis aditum impetraret, quàm per matrem licuisset, tanta constantia cum materna tenacitate decertauit, vt extorta tandem ab inuita penè licentia, lectus ad nos victorq̃ue aduolarit. Alter rogatus à patre, num Societatem, vt ferebatur, cogitaret; cum, vt res erat, pernegasset, accepto repentè ex ore parentis, quasi allato sibi cælitus suæ vocationis oraculo, ita deinceps desiderio Societatis exarsit, vt non nisi factus voti compos, oportuna importuna postulatione destiterit. Ita, quæ vox illi, patris iudicio, bonam mentem, si hanc habuisset, excussura videbatur, ea ipsi, diuino consilio, quam non habebat, iniecit; & quæ alteri damno esse potuisset, huic vni saluti fuit. Nec dissimilis fuit alterius, licet in dissimili genere, vocationis euentus. Cùm enim ille, nulla de re minùs, quàm de religiosa vita cogitaret, sollicitari ad eam cœpit à Monacho, identidem proponente, vt si cuius instituti voto teneretur, ad suos se potius, quàm ad nostros, ad quos inclinare iuuenem suspicabatur, si sibi rectè consultum vellet, aggregaret; additis etiam his, quibus Ordinem nostrum apud ipsum in odium inuidiamq̃ue vocaret. sed recidit in auctorem dolus; quibus enim præreptam volebat, his ipsis, hoc facto, prædam venabatur imprudens. Nam alter, hac occasione studio Religionis incensus, sic Societatem appetijt, vt ab alterius instituto complectendo longissimè semper abfuerit. vt vel hinc quiuis intelligat, res huiusmodi diuino magis consilio permittendas, quàm nostra vel industria, vel voluntate, moderandas esse. Data vni iam erat fides, cùm ecce con-



tubernio malorum ita mutatus est, vt non modò primam mentem penitus exuerit, sed cuidam etiam, propositi sui conscio, deierarit, nihil sibi vnquam cum Societate commune fore. & certè verborum tenax, toto decennio varijs literarum studijs intendit, stimulos scilicet excullurus, anxium fluctuantemque animum subinde perurgentes. nihil tamen cedit ex voto; frustra aliarum Religionum instituta animo proponuntur: recurrit enim Societatis imago, seque quasi desertam expostulans, militem in sua castra, nequicquam renitentem, perduxit. Nec nullus fuit peregrinationum nostrarum (quæ vnà cum cæteris Societatis experimentis diligenter obitæ) fructus. Multi enim non dubia diuinæ prouidentię signa dubijs in rebus experti, suas in eum curas omnes iactare fidentiùs didicerunt. Et per eos non pauci milites peruersam deierandi tertio quoque verbo consuetudinem, non sine voluntaria mulcta, dedidicerunt.

## PROVINCIA LVGDVNENSIS.



**S**VMVS in hac prouincia abeunte anno 1602. Socij 242. in 5. Collegia, duas Residentias, & Domum Probationis distributi. Sunt enim hoc anno circa mensem Septembrem duo huius prouincię Collegia, Dolanum & Bisuntinum, in prouinciam Franciæ trāslata, & vnum Biterrense ex Aquitanica ad quatuor quæ nobis reliqua erant, adiectum. In Collegio Auenionensi 79. sacerdotes 30. ex quibus duo Theologiæ Scholasticæ magistri, Casuum conscientię vnus, Philosophiæ & Mathematicæ quatuor, Theologiæ auditores quatuor: ex cæteris quin-

quinque profitentur literas humaniores, II. Theologiae dant operam, 7. Philosophiae. reliqui Coadiutores. In Collegio Turnonensi versantur 45. sacerdotes 18. ex quibus duo Casus conscientiae, tres Philosophiam profitentur. ex caeteris 5. sunt humaniorum literarum professores, 9. auditores Casuum, reliqui Coadiutores. In Albenacensi Residencia, quae ab hoc Collegio pendet, quinque, 4. scilicet sacerdotes, vnus Coadiutor. In Collegio Camberiensis 23. sacerdotes 9. magistri 5. Coadiutores alij. In Tonnonensi Residencia, quae huic Collegio annexa est, 7. ex quibus sacerdotes quatuor, professores Grammaticae 2. Coadiutor vnus. In Collegio Aniciensis 30. sacerdotes 15. ex quibus vnus professor est Casuum, alter Philosophiae: ex caeteris magistri humaniorum 6. reliqui Coadiutores. In Collegio Biterrensi 22. sacerdotes 11. ex quibus vnus est professor Casuum, alius Philosophiae, ex caeteris magistri humaniores 5. reliqui Coadiutores. In Domo Probationis Auenionensi sunt 31. sacerdotes 7. ex quibus duo peragunt tertium annum probationis, ex caeteris duo tertium quoque probationis annum peragunt, Coadiutores veterani 3. reliqui nouitij. Admissi in Societatem vndecim, nullus dimissus: defuncti duo, vnus Pater in Collegio Auenionensi, & vnus Coadiutor in Domo Probationis.

### *Collegium Auenionense.*

**F**orum qui Collegium Auenionense hoc anno habuerunt, domi forisque opera utilis fuit. Initium à domesticis capiatur. In suprema aedium parte exaedificata contignatio cubiculorum est, & summo nostrorum commodo ad porticus subiectas suprema tertia, iniecto etiam nouo tabulato



accessit. Collati partim ad sacram templi suppellectilem, partim in rem domesticam piorum hominum munificentia, aurei nummi plusquā bis mille. Inchoatum & magna iam ex parte perfectum scalarum lapidearum ædificium, quod ex imo domus fundamento ad fastigium vsque ducitur, Ludouici Belli, Auenionensis Vicarij sumptu. Illustre inirium ædificationis fuit. Peruetus fundamentum in altissimam humum defossam ruinam minabatur; & vnus aliquis è nostris in imo solo erat noui fundamenti locum contemplans. vix pedem extulit fossa, cum repentina ruina muri veteris illum opplevit, & hominem sanè obruisset casus, si tantisper hæssisset. In scholis numerus auditorum nihilo minor quā aliis annis, supra mille sexcenti. Ex Theologica schola concionatores externi bene multi Quadragesimæ tempore varia in loca dimissi. Exeunte anno datū drama Adrianus Martyr cum Natalia coniuge, biduum tenuit Auenionem spectaculi admirabilitate percussam. Celebrata item Episcopi Vensiensis nostro in templo consecratio, & Dauidis pueri vactione, quam iuventus domi nostræ exhibuit, excepta, voluptati fuit. Solennis affixorum pompa ad diem B. P. N. Ignatij celebrandam, superiorum annorum memoriam vicit. Magistri vnus lectio catechistica vtilis alicui fuit, qui cum ex ianua auscultaret de Confessionis integritate dicentem, & sibi dicta omnia suspicatus est, & celata ferè semper peccata salubri confessione reuelavit. Congregationes tres florere Conceptæ, Annunciatæ, Purificatæ Virginis; seu quòd numerus haud antea alias maior, seu quòd feruor haud paulo quā antè in tanta multitudine maior. In Sodalitio maiorum laudabilis omnino est procerum ad vilia quæque submissio, & de animi demissione contentiones. Præfectus eius Episcopus

pus Vensiensis palàm testatus est plus se gloriari quòd inscriptum nomen Sodalitati haberet, quàm mitra sua & Episcopatu In aliis duobus virtutes illi ætati accommodæ exercentur, & euntium ad nosocomia consuetudo exemplo est. In Societatem admissi octo, ad alias familias bene multi appulerūt. Quidam ex periculoso morbo voto Congregationis incundæ cõualuit. Alter morti creptus Sodalium orationibus. Impudicos homines duos, qui ex insidiis adolescentem adorti ad scelus blanditiis minisque compellebant, vnus ille ac solus, & ad vires alioqui imbellis tamen repulit: illius pugnis, calcibus, dentibus fracta prædonum petulantia est. Alter alloquium sollicitantis se feminæ, & per multos inuitantis recusauit. Optimè indolis adolescens, cum hebdomada sancta, breui quodam de Christo crucifixo dialogismo diuini amoris partes sustinisset, maxima omnium commendatione, atque è theatro Christi effigiem exportasset; perendie morbo captus est, & tertio post die pietatis suæ mercedem accepturus, ad Christum in cælis triumphantem excitus est, non mediocri omnium luctu & admiratione ex interitu eius repentino quidem, sed rei tamen quam egisset in scena, suæque pietati perapposito. Profectum etiam in vrbe nostrorum hominum operâ, nec vllum genus pietatis præteritum. Pauca ex multis. Quoddam cœnobium B. P. Nostri exercitationibus institutū & instauratum est. Hæresim abiurarunt in manibus nostrorū in vrbe tres supra quinquaginta. Vir flagitiosus, qui peccati semen mala arte spargebat in optimos quosque, fusus fugatusque tandem est. Valdè multi è carceribus summaque miseria reuocari. Erectum etiam in carcere sacellum, vbi solatium perditis datur. Cum exeunte Quadragesima oratio bidui ad D. Petri



tri esset, is fuit numerus confitentium, qui post hominum memoriam visus auditusque nunquam est; totos octo dies omnes vicinæ circum prouinciæ Auentonem decurrerunt. Audita concione aliquis tria aureorum millia, quæ per fraudem obtinuerat, reddidit. Quidam & hæreticus & latro cum instinctu cacodæmonis templum de nocte ingressus summi pretij casulam furto sustulisset, & ex ea sibi vestes accommodari assuique iussisset, à diabolo comprehensus agitatulusque tantas in furias precipitauit, vt se dæmonem esse inter suos diceret. Vbi hominem Deus corripuit, & ille crimen confessus est, simul heresim & malam mentem expuit, simul de vita sanctiore deliberauit. Alter sacerdos sexagenarius, cui iam annos triginta cura incuberat animorum, Nemausum fugerat, & apud hæreticos deuouerat se Caluino. piguit eum facti sui; rediit Auentonem, fleuit, curatus est, Romam denique abiit literis instructus vt dignam mercede pœnam deposceret ac subiret. Arausicus quidam studiis suis apud nostros exactis in patriam profectus, nullis parentum Ministrorumue machinamentis abripi potuit ad pestiferas conciones, & deserere patrimonium ac spem suæ hereditatis maluit, quàm animæ suæ salutem sinere periclitari. Iam ergo is piorum eleëmofynis iuuatur, cui fundus est peramplus domi. Adolescens pactum cum dæmone quem in aure gestabat, initum rescidit; & salutari confessione peccatorum onere liberatus, tutus nunc uiuit ab illis dæmonum maleficiis, quibus iam ferè triennio obnoxius fuerat. Emisum pro pia muliere votum quæ sex iam. menses mania conflictabatur; obtinuit à Deo vt eodem die quo eius sanitas postulabatur, bona mens illi, & lux animi restitueretur. Mater ac filius annos viginti magno cum scandalo inimicitiam exercue-

rant,

rant, factum aliquando vt non amplius diffiderent. Perditus quidam in Monte Pessulano à fide Catholica defecerat ; illum ciuis hæreticus, quòd vitæ adminicula deerant, hospitio suscepit. Hæretico filius erat annum decimum octauum natus: is ex illo alio nequam homine vsum Sacramentorum, & ceremonias Ecclesiæ crebra percontatione didicit. Placuit adolescenti Ecclesiæ forma, & dignitas fidei nostræ, de qua os pollutum fabulabatur: non potuit diu premere spiritum, patri nunciauit, & cum obsisteret renunciauit. paulò pòst Auenionem deportatus, nobis operam nauauit heresi apud suos abiurata. Alius improba dæmonis persuasione gladium cautè parauerat, vt se concubia nocte silentibus cæteris nullo negotio conficeret. diuina prouidentia factum, vt conditus in lectulo gladius nec tunc, nec postea extiterit. rem nobis confessus valetudinem recuperauit. Mulierum duarum in respicienda turpitudine animus virilis fuit nostrorum cohortatione. Altera torquem aureum qui à lenone offerebatur, contempsit. Altera pretiosum munus, teste illo ipso qui inuitabat ad libidinem, flammis cremauit. Vnius è nostris diligentiam Anglæ sorores duæ, Maria & Margareta Voddica Illustrissimi Domini Datarij Romani literis commēdata, altera in sanctæ Claræ cœnobio inter illustres familia & pietate virgines, collocata; altera apud viduam honestam, dum illi melius, de vita, statu & conditione constiterit. Prima illa anno ætatis tertio decimo ad Christi fidem conuersa, se voto perpetuæ virginitatis eodem ipso die obligauit. Mores vtriusque conspicui, & parentum hæreticorum verberibus, carceribus, tormentis probati. Induerat se in laqueum, & iam ex fune moriturus pendeat alter, quòd oculum virginis se contemnentis, quam deperibat, æquo animo non tulisset. iacêdit illi ancilla restem,



restem , & homo ad nos delatus cicatrice in collo designata, apertoque animi vulnere morte turpi redemptus est. Cuidam nummi exciderant in via: eò dementiæ venit vt gladium iugulo intentaret, ac spectris furiarum de animo derurbaretur. sedatus animus est postquam apud nostrum deoneravit causam doloris. Mouit multorum animos euentus circa egregium militem quendam & rei bellicæ fama notum, ad memoriam insignis. Is aliquândo cùm de nocte iret ad villam, ipso in itinere fulgentissimi cuiusdam simulacti occurso conterritus, obstitit primum aliquantisper, ac se de via cessurum negauit. larua in equitem conuolat, & cùm eius gladio non pateret, ipsa ceruice comprehensum succutit, & relinquit illæsum. Progreditur miles haud longè ab illa prima statione iterum equitanti modico intervallo obijcitur idem illud spectrum: iterum ille congreditur, iterum eius ictus eluduntur. Tertio denique aliquanto pòst tetra imago, non iam amplius candidi hominis, sed horribilis omnino, & ingentis cacodæmonis properanti obuiam ostenditur. Tum verò expauit, & licet hæreticus Catholico tamen scuto sanctæ crucis, prout illi necessitas suadebat, munitus, iruentem in se bestiam remouit. illa crucis metu resluit, & à milite sibi temperauit. miles propè in ictu oculi sensit se ad vrbis suæ muros deportari, ea equi pernicitate, quæ cogitationem anteuolet, & verò ita aiebat sibi necessarium fuisse, quòd tanta fame preini se conficique fenterit, vt iamiam eum enecatua videretur, si paulo plus à laribus abfuisset. Domum ingressus familiam totam Christo aggregauit volentem sequentemque, & rei nouitate attonitam. pòst, Auenionem ad nos cucurrit trium dierum itinere, vt nostrà operâ Illustrissimi Prolegati auctoritate in Ecclesiæ sinum ingrederetur quod & fecit, stupenti-

bus ijs qui narrantem summo cum sensu hominibus  
audierunt, viderunt, & profirētem profecuti sunt.

### *Missio Nemausensis.*

**V**berem campum hæreticorum Nemausum duo  
ex nostris totum annum coluere. Supra quin-  
quaginta Ecclesiæ nomen dedere, haud tam multi  
aliàs vnquam. In ijs primaria quædam femina quæ  
viro Catholico recens nupserat. Hæc cum accersiri  
voluisset concionatorem, qui se pleniùs de fidei re-  
bus institueret, iamque in illius ædibus pedem Pa-  
ter posuisset, adhibiti speculatores sorores de facto  
admonent. Illæ aduolant, lamentis & eiulatibus  
cuncta complent, aditum sibi ad sororem expostu-  
lant. Venientibus ad vxorem vir obuiam it, arcet  
ab eius colloquio importunas; minùs commodum  
esse coniugi dicit ea hora interpellari. instant vehe-  
mentiùs, scire se clamant quid rei agatur, intrò sa-  
cerdotem esse, eripi sibi sororem, & ad Papistas  
dolo malò traduci. lachrymæ, gemitus, querelæ. In-  
doluit flentibus mulier, & ad illas è cubiculo egres-  
sa, siccis oculis animoq; imperturbato, Quorsum,  
ait, sorores meæ, muliebres vlulatus? quam flendi  
causam potui dare sororibus? Adhæc, fletus, cla-  
mores, preces increbrescere. Quid tu nos, inquiūt,  
perditum is, & rem tuam? quid inuitis nobis dome-  
sticam fidē abiudicas? At, ait illa, frustra hæc sunt:  
nam, si nescitis, acta res est, abiuravi mentem hære-  
ticam, piau lachrymis & confessione peccata. iam  
vsu didici Missam audire. Ad hæc illæ, Insana, im-  
pudens, vecordissima mulierum, tūne tantam infamiam  
nobis inuras & gentilibus tuis? Non sum  
fornicata, inquit, nihil contraxi turpitudinis. desi-  
gnate scelus, quid feci tandem? **Q**uin tu potiùs (ad-  
dunt dementes) alia omnia facinora in te suscepi-  
sti,



ſti, vt ab hoc vno diſcederes. Diu altercantes & ad  
 omnem honeſtatem obſurdeſcentes abigit domo  
 inatrona . & ſubito ad Patris pedes ſummo cum  
 animi ſenſu prouoluta, purgavit animum confiten-  
 do, tertioque tandem poſt die Eccleſiæ aggregata  
 magnam ſtragem edidit in hæreticorum grege.  
 Tantum nobilis inatronæ certamen valuit ad viros  
 frangendos. Alius vir non ignobilis, cum hæreſim  
 ſimularet, & peſſimam ſimulationem timor huma-  
 nus foueret, eò redactus eſt, vt ipſe pati nuſquam  
 nunquam poſſet: conſeſſus ſacerdoti Societatis &  
 fidem profeſſus, tranquillitatem obtinuit. Quidam  
 Catholicus apud ſuos aliqua ex cauſa perturbatus;  
 & à Catholicis digreſſus; in hæretici ſermonem &  
 conſuetudinem deuolutus eſt: qui vbi hominiſ  
 vulnus perſenſit, ſumpto ex ipſa occaſione argu-  
 mento Arauſiam pertraxit, Miniſtris tradidit, per-  
 ſuaſit denique hæreſim palam amplecteretur. Ante-  
 cedentem ſceleſtum pœna ſecuta eſt conſcientiæ  
 obiurgantis. apparuit hæſitare, & Miniſtris viſum  
 ablegare aliò nutantem in propoſito miſerum. Ne-  
 mauſum deducitur, de abiuratione litteras perfert.  
 ſed nimirum paruit animo prementi, & cautè di-  
 greſſus à viè ſocio cui creditus fuerat, Arauſione ad  
 noſtrum diuertit: apud quem poſt multas lachry-  
 mas dato ſpatio ſe colligendi exoneravit ſe, atque  
 ad Episcopum ſuum amandatus euolauit à laqueis  
 vexantium calamitoſos. Clarus inter ſuos & nobili  
 loco Iureconſultus cui parètes erant hæretici, cum  
 ex graui vulnere & phthiſi iam annum decubiſſet,  
 non ſine Deo, de futura vitæ hereditate per Calui-  
 niſmum obtinenda diffidens, orauit domesticos &  
 affines ſuos, Societatis ſacerdotem accerſerent, il-  
 lum ſibi inſtar omnium Miniſtrorum futurum: ex  
 illo velle ſe capere ſpem ſalutis. factum eſt vt vole-  
 bat, collocutus eſt cum Patre. ea viſ ſpiritus fuit in

animo ad Deum conuerso, vt superstitem vitam ad  
 hæreticorum fraudes ignorantiamque patefacien-  
 dam quâ sermonibus quâ scriptis totam contule-  
 rit. victoria multiplex de illis relata fidem confir-  
 mauit. Eam ob rem laribus exturbatus, desertus à  
 suis, inops ab omnibus, fortunis suis spoliatus, ipso  
 in templo Calvinistarum contumelijs appetitus,  
 cum institutum teneret constantissimè, toto clero  
 circumstante morientem, ex ipso lectulo, quia nec  
 antè nec alibi potuit, hæresim execratus, percepta-  
 que communione Sacramenti, exoratis Catholi-  
 cis qui aderant obdormienti, ne alio quàm pio ipso-  
 rum more conderetur, animum efflauit. Illustris  
 alterius fuit fortitudo. Totos vndecim annos in  
 hæresi vixerat, & Ludimagistri & Diaconi inter  
 suos munere perfunctus, charus proinde notusque  
 omnibus; is partim concionibus, partim priuatis  
 sacerdotum Societatis disputationibus permotus,  
 fidemque Romanam Auenione professus, Nemaus-  
 sum reuertebatur. Portas Ministri, quasi ex edicto  
 Regis, occludi iubent, ad alios putà conterrendos,  
 ne quisquam exemplum imitaretur illius. durum id  
 videri Catholicis: Ministri falsos testes aduersus  
 hominem producere, qui contra Regem locutum  
 esse, atque in vrbe exitium coniurasse dicerent.  
 Potens accusatio fuit, in carcerem præcipitatus est,  
 ibi menses duos infontissimus exegit, squalore ob-  
 situs atque opprobrijs; donec malè metuentes qui  
 rem confinxerant, ne malè consuta fabula dissuere-  
 tur, & ad Tolosanos vir innocens prouocaret, in-  
 strumentum litis intercidiisse commenti sunt, da-  
 taque Catholico emergendi è tenebris, abeundi-  
 que licentia est. Nobilis apud Calvinistas quidam  
 Philosophus haud satis sanè de Deo sentiens, mul-  
 tis cæteroqui litteris politus, & totius antiquita-  
 tis, Criticorumque humanitate, atque illo nomine  
inui-



inuidiosus apud Ministros ; postquam & venen-  
clàm petitus, & à sicarijs quinque in publico aufe-  
ri de medio minùs potuit ; neque tamen apud tri-  
bunalia tuendi sese contra vim latronum, quorum  
nomina nefas est in iudicium deferre, locus vllus  
fuit, causam in consistorio hæreticorum ipse pro  
se dixit. Ibi accusatur quòd cum Iesuitis familiarius  
ageret, crebroque ipsos ad philosophicas concerta-  
tiones inuitet, summo totius Academiæ scandalo.  
Respondet se Catholicum haud quidem esse, plus  
tamen apud se ponderis habere Iesuitæ cuiuslibet  
etiam vulgarem doctrinam, quam omnium Mini-  
stellorum pronunciata, qui ad proposita contrice-  
ferent, & nulla de re peritè philosopharentur.  
Addidit etiam ad æmuli sui retundendas cerui-  
ces vidisse se Romam, & summi Pontificis pe-  
des exosculatum fuisse, quem nominatim Au-  
tichristum thesibus propositis vnus è turba Mi-  
nister appellasset : nihil tamen sibi visum vn-  
quam esse insolentius superbo illo iactantium se-  
se Ministrorum supercilio, è quibus aliquis, quem  
præsentem nominabat, gloriaretur indignos esse  
auditores suos à quibus sineret exosculari se, aut  
vlla in parte corporis attingi. Mouit omnibus indi-  
gnationem vox hominis, qui Catholicus cum non  
esset, pro Catholicis contra Ministros tã honorificè  
disputaret. & discessit ille quidem Nemauso, cum  
res suas concionatori lepidissimè denarrasset, & de  
Deo concepit aliquid paulò illustrius. Ministri ve-  
rò contempui sunt suis hominibus ob loquendi  
scribendi que licentiam, & effrenatam ad quiduis  
audendum intemperiem animorum. Non erat in  
vicis & plateis vllum insigne Catholicæ religionis,  
nec potuerat affigi, quin subitò conuelleretur. Ex  
Capituli igitur mādato in pinnaculo huius templi,  
quod nuper fuerat Catholicis restitutum, crux col-

locata est forma & magnitudine aspectabilis quacumque in urbem veniretur: editissimus enim locus erat, & Nemausum conuenientibus crucis trophæum quàm longissimè ostentabatur. Ob eam rem illi duos trësue menses tumultuati sunt. imponi capitibus suis tyrannidem vociferabantur, & victoriæ vexillum à Catholicis obtendi: non visas à se ante quadraginta annos tam sublimi loco cruces quæ ceruicibus suis imminerent. Cantilenas ideo & scurrilia carmina de summo Pontifice, aduersus Regem, contra Iesuitas euulgauere: quæ ipsi pueri & puellæ, & cuiusuis modi operæ tota vrbe ex officinis ad vias vicosque insultabundi concinerent. Atque vt maximè id constaret esse illos principes administratosque negotij, vix tamen edicto curiæ Tolosanae primique Præsidis, qui hac iter fortè faciebat, auctoritate contineri potuere, explosis sæpe in nostros sclopis, sæpe illorum fores appetiuere, sæpe bubulo sanguine illitas cruces illorum postibus impressere. ad seditionem fecere omnia præter seditionem. Ad patientiam armant se Patres, quoties pedem exportant domo; conuicia passim ipsis ingeruntur, lutum & saxa in caput conuolant è manibus puerorum, ridentur ab artificibus ipsis ex tabernis prætereuntes: bonum condimentum modestia. Illo ex genere quidam efferatus satelles Caluini, ætate iuuenili, forma in cæteris & nobilitate spectandus, sociorum manum plerumque ad lapidationem commouerat aduersus concionatorem. Deo instigante ad Patres accessit: tandem post orationes pro iuvene demittendo ad Deum ardentè ab illis fusas, veniam suæ petulantia deprecatus, impetrauit hoc etiam, vt ad eos nonnumquam de studiis humanioribus collocuturus ventitaret, venitque cum aliis qui ad eiusdem in studiis societatem aggrega-



gantur. Commodè huic loco inferi potest viri cuiusdam præcipui dicta in concilio hæreticorum nuper de Iesuitis auditaque sententia. Educandæ instituendæque iuuentuti consilium quærebarur, & de magistris Academiæ suæ præficiendis Consules hæretici referebant. Hæreticus fuit, qui liberè sentiret Collegium Nemausense tamdiu desertum fore, Consulesque pro ipso frustra laboraturos, donec Societati IESV cõmitteretur: videri sibi quosdam ex illo genere hominum ad literariam rem pertractandam euocandos, quibus regenda iuuentus & erudienda demandaretur. Nulli visum alienum à Republica consilium, nisi religio sua per Iesuitas esset periclitatura: quippe qui certò essent breuissimo tempore ad Catholicam Ecclesiam reuocaturi iuuentutem, si quam semel viam sibi munissent ad suas scholas. Narrabo quod eò pertinet aliquid non infacetum, in quo tamè inuidiæ virus Calvinistæ exhalauerunt. Iactant illi esse florentissimum omnium quæ in Gallia aperiantur ab hæreticis Collegiorum hoc Nemausense, in quo tamen vastitas summa & solitudo est. concionatorum Iesuitam Philosophi sæpè ad gymnasia sua inuisenda, celebrandosque actus Academicos inuitarant. ex quo ille tantam apud magistros discipulosque famam adeptus est, vt illi quidem se inferiores non diffiterentur, hi verò plus se cum disputantem Iesuitam audirent, quàm cum ex pulpito philosophantes magistros, emolumèti capere vulgò iactarent. Graue hoc ministris fuit aduersus se crescere alterius existimationem. abstinebant illi Collegij frequentia, nec vestigium faciebant in scholas, nisi abesse Patrem intelligerent. Cautè: seu enim erant illo teste præ inciticia tacituri, seu facturi verbum præ temeritate, iuxta prodidissent sese auditoribus ridendos. Ergo magistris aucto-

res sunt vt ne concionatorem amplius sinant secum versari, aut inter suos edere specimen doctrinæ suæ: neque enim ferendum videri, & è republica, vt Iesuita, vt peregrinus, vt hospes, vt fidei fratrumque hostis tanta libertate in Academia dissertaret, & pronis auribus audiretur, cum ipsi hiscere ad aspectum eius reformidarent. Accidit aliquando (quod ex compositò factum à Phylisco, etsi suspicio illorum est, ipse tamen pernegat) vt è discipulis quidam philosophicum problema declamatorio stylo explanaturi de superiore loco essent: pridie illius diei quo instituenda lectio erat, & disputatio illa solennior, præceptor Patrem scripto appellauit humanissimè, ne dedignaretur suorum discipulorum disceptantium labores audiendo celebrare. Non fuit Pater ad recusandū pertinacior, & quòd Ministros eò conuocari odoratus est, attulit se lubens. ad celebritatem recitatum poemata primo loco est ab vno: tum alius ad propositæ questionis explicationem aggressus, illam D. Thomæ auctoritate corroborauit, addiditque Sancti commendationem. Mirari Pater, nec deterius interpretari: Ministri autem alij ad alios sese conuertere, subridere ceteri proceres hæreticorū, vt cum aruspices aruspicem vident, & quòd fraudem anticiparant, insusurrare inuicem, garrere, conferre capita. Causa hæc ridendi fuit. Assurgit tertius, qui quod alter in Sancto laudasset, totum euertat. Contra Sancti nomen, institutum, lauream adducat in iocos, in contemptum, risus, Sanctos omnes ineptè, impiè, impunè dilaceret. Ad rem sibi nec opinatam Pater aliquantum hæsit. Si coarguis, clamores, rixæ, seditio; si te contines diutiùs, calix hic tibi exhauriendus quem miscuerint; infamia. Alter interea nugari. tandem cœpto consilio Pater ad Magistratum hæreticorum principem, cui assidebat:



debat: Quod cū bona venia sit vestraque, viri, remigrabo domum. expectabam disputationes, maledicta audio ad maledicta non veneram: vobis non inuitis abibo; vestris enim auribus ista sunt digna, non meis. Abentem secuti Catholici quotquot interuenerant, & eorum pudor qui constabant nefas. Postridie Philosophus apud Patrem multis questus, primū quod ludibrio habitus à Patre in flagrante negotio suo fuisset. tum purgauit factum, & minime malo animo rem contextā ad scholasticam, vt sit, exercitationem. postremò ignosci sibi vehementer obtestatus est. ita se miseri suos in laqueos solent induere, & suis artibus implicari. Extra Collegium Ministri spuriam suam Theologiam publicè docent: propositæ ab vno non tam Theses, quàm blasphemia: in sanctam Sedem, adiecta de nobis mendacia in appendicem, quæ taceri possunt, dici honestè non possunt. Hæc Minister excusa typis, renitentibus Magistratibus, semel atque iterum propugnauit. Opinio fuit eorum qui hominem norant, id agi scilicet per has Theses, vt concionator si palàm confutaret, lanarij, sutores, & cæterum vulgus euaginati gladiis prorumperet, & ille præco esset sanguinis, qui diuini verbi buccinatorem esse se iactat. Eam ob rem consultum nostris vt pedem domo ne efferrent ad impietatem conuellendam in concione. hoc tantum de impurissimo hominis inuento dictum: optionem illi dari a nostro qui se minimum Societatis esse sentiret, vt extra pomerium, vbi remotus à turbis & tumultibus locus esset, horam eligeret ad respondendum. Certò id sibi promittere, occlusum iri homini os, & suamet confessione confossum non habiturum quod dicat, nisi nihil esse tam sceleratum & improbum quod maleficiis cooperti homines non comminiscantur. Respuit pseudo-

apostolus honestissimam conditionem, nec obsecutus est amicis significantibus turpiter reijci Iesuitæ, timerique congressum. Delatæ interim ad Regem atque ad senatum Tolosanum Theses, indicati qui edidissent. Senatus indixit cremandos in foro carnificis manu famosos libellos, & in carceris tenebras Ministrū propugnatoremque compelli. prouocatur ab aduersarijs ad concilium edictorum. Rex inquiri à iudicibus reos mandauit, & in eosdem acerrimè animaduerti. Magnæ Regis ex responso turbæ, ad synagogas hæreticorum omnes quæ in Gallia nunc sunt, vltro citroque commeantes epistolæ summa cursorum celeritate peruolant: agi scilicet summam rei, minore causa bellum initum aliàs, pro aris suis articulisque pugnari vsque ad internecionem oportere. obuiam eundem præsentī pesti quæ religionem popularetur. Adhæc territamenta, iactationes, nuncij, rumores, minæ. vno gladio suum Ferrerium, is erat Minister, & Iesuitas iugulandos, ex illius valetudine suspensam istorum vitam & salutem esse; aut victurum illum incolumem, aut hos eidem arę deuouendos. spissus negotij exitus est productus, tempestatiq̃ seruitur. Per hæc ipsa tempora cum fœda scabies, pustulæque pueros extinguerent, recens ad fidem conuersus homo dignitate inter Catholicos præcipuus, pro filio, cuius salus deplorata erat, Missæ sacrificium celebrare Patres Societatis impensè orauit. primum hoc se munus postquam ad Deum redijisset, à Deo per Patres expetere atque expectare. Annuit Dominus; factum pro puero, conualuit, parentis fides est constabilita. potentissimum teli genus exemplum vitę. Inuisunt Patres mendicos perinde ac potentes viros cum decumbunt, carceres & xenodochia frequentant. rara res: & quam Ministros suos abominari præ arrogantia & stupore  
mentis,



mētīs intelligunt Calvinistę. contrā illis placet sacerdotēs Societatis pauperū etiam funeribus interesse, cū sui pastores tantū locupletioribus parērent. Denique nisi rerum mutatio & inclinationes magnę negotiorum quā plurimos in summo metu detinerent, bene multi Catholici cateruatim fierent. Iam enim pauci aut erroris sui ignoratione laborant, aut Ministrorum malitiam fraudesque non explorarunt. Duo in primis cauēt Ministri, primum, ne quis veterum Patrum lectione coneratur: deinde verò ne vsum habeant cum Iesuitis, aut sermones vllos. Castigati nuper ab illis in concilio qui pignoribus contendissent de quodam Scripturę verbo, & ex Iesuitarum sententia litem suam composuissent. hoc tamen fecerunt, vt inualuerit paululū apud Ministros opinio de pedobaptismo, cū necessitas est, non differendo; deque deferendo ad moribundos viatico. Atque ad hanc rem instaurata Sodalitas Augustissimi Sacramenti, cuius in dies incrementa magna sunt. præclaro enim ordine, atque magifico comitatu per medias turbas hæreticorum Christi corpus Sodales sub vmbella circumferunt, stupentibus licet atque obmurmurantibus Ministris. Quidam etiam adolescens spectris horribilibus perturbatus, tres quatuorue dies continuo ieiunio sese confecerat sine cibo & potu. paulatim de mente deijciebatur, agitabatur ad suspendium, nec audire bene monentes vllos volebat: sacerdotis nostri consilijs obtemperauit, & à præsentis vitæ periculo, ad quod præcep̄s mittebatur, ereptus est. Alium amores desperationi addixerant: illis restinctis hæc coërcita. Miscabant familias hæreticorum cum Catholicis nuptiæ: allatum aliquod impedimentum. Hæc Nemausi ferè.

### *Missio Arausicana.*

I Nstitutum annis superioribus cursum tenuit  
 missio Arausicana, & summo rei Christianę emo-  
 lumento annus penè totus à Societatis conciona-  
 tore in illo agro, quem hæretica pestis infestum ha-  
 bet, exactus, satis declarauit superandam esse con-  
 stantia boni opëris & operæ diurnitate obstina-  
 tionem hæreticã, & negotij Christiani inter igna-  
 ros difficultates. Penè viceni alij alijs vijs & modis  
 de cubili Caluinianæ impuritatis in quo inuetera-  
 uerant educti, & multâ operâ reuocati, Catholicam  
 veritatem aliquando tandem hauserunt. Qui nu-  
 merus in tantis impedimentis est sanè magnus, ob  
 inolitam istorum hominum contumaciam, & in-  
 credibilem dæmonis improbitatem, quam ad con-  
 silia nostra perdenda, & eludendam diligentiam il-  
 lis in locis exercet. Facta inanu Ministri complures  
 in deliberantem de mutando animo nobilem Na-  
 uarrinum tempestatem commouerant, quam ille  
 fregit fortitudine, & quod illi eumque sinistram in-  
 tentarët in se, illorum in caput perniciemque con-  
 uertit. Pago in vicino ad iustum numerum Catho-  
 licorum qui Sacro inibi instaurando positus fuerat  
 ex lege, vnus omnino desiderabatur. Euicit vnus  
 animum Dei sapientia, & gregi suo cumulum de-  
 dit cuiusdam, qui quasi adauctus ad piũ populum  
 censerì potest. is erat rusticus inscientissimus om-  
 nium homo; qui ad vocem illam, *Erit in signum cui  
 contradicetur*, miro quodam modo attonitus cœ-  
 pit cupere illis aggregari qui sub signo erant, vt lo-  
 quebatur, tantarum contradictionum: ita vnus ac-  
 cessione perfectum est vt Sacri dicundi atque au-  
 diendi copia fieret, vbi post senum memoriam ve-  
 stigium eius non fuerat. Pulchrum fuit spectacu-  
 lum



lūm cuiusdam septuagenarij, qui cūm duos supra quadraginta in insana mente annos contriuisset, dedit se denique senem constringendum in obsequium fidei Christianæ. Pulchrū & matronæ, in quam hostis pessimus aliarum mulierum linguas, inuidorum dentes, cognatorum minas, fratrum odia, familiæ totius iras armarat: per quas illa omnes imperterrita voluntate, ad Christi crucem & legem cucurrit, quam erat antè palàm cum alijs detestata. Pulchrū & adolescentis (ne quo ex sexu aut ætate desint) qui teste tota ciuitate nihil erubuit fidem fateri, quam repudiarat. Insignis mors fuit & magno plerisque ad fidem incitamento peruicacissimæ olim mulieris, quæ ipso in puncto quo iam iamque animam erat efflatura, superioris vitæ tenacitatisque pertaxa malum animum curauit, & postremam horam sibi à Christo, vt piè creditur, ultra spem omnem propagatam, peccatis piandis, laudandoque Deo consumpsit, atque vltimum vitæ halitum fudit Christiana. Itabat alius ad Ministros lubens, de illis multa percontabatur, erat inter miserimos cupidissimus sciendi saperet ne satis qui ex tantulorum interpretum commētationibus suspensam salutem suam esse vellet. audiit illos multum diuque verba facientes ad populum, cum illis exercuit familiaritates, eorum omnium iniit consuetudinem qui famæ plurimum aut litterarum haberēt. fuit laqueus insanorum illis in scandalum, & in veneno reperit æger animi medicinam: nam hoc scilicet totum didicit illis loquentibus & garrigentibus multa, illos esse mendaciorū architectos, qui quæ dicerent ipsi non caperent, quorum doctrina nullo modo cohæreret, quos qui consular summam referre perturbationem & inscientiam possit, puram & integram à fallacia propositionem vnā, vt illis operam nauet multos annos, agrè ta-

men possit. tantum illa cogitatio virium habuit ad hominem commouendum, vt suomet ipse consilio, nullo inuitante, antequam nostros aut nostra tractasset, veritatis propositum arripuerit, ad sacerdotem Societatis adierit, re cum illo communicata, vitam antea actam eluerit, & apertis demum oculis animi ad intentissimam Christi lucem contemplandam post ingentes tenebras respirarit. Plenum exempli fuit quod sequitur: quidam qui semper fidem eatenus intactam seruauit, ab hæreticis blandè illectus, dæmonum furijs mentem haud malam irritantibus, per festum diem audit Ministrum pro concione contra Papistarum idololatriam furiosè debacchantem: patuit sagittæ infelix, & cum animo cecidisset, Ministro spondit palàm in ipso hæreticorum concilio se hoc ipso die sub vesperam auitam fidem abiuraturum, vt Calviniana initiaretur. Certior factus de perfidia hominis, Societatis cõcionator ad illum adit, arguit, obsecrat, increpat in omni patientia & doctrina, ab illo lachrymas extorquet, deinde etiam pœnitentiam peccati, postremò confessionem: super ea re moentur proceres hæreticorum, oppidò accurrunt, vnà conclamant, eadem spirantes & sanguinem, nostro homini conuicium faciunt, & quod locus erat forte editior, præcipitium ostentant, nisi prædam statim abijciat, illorumque crudelitati permittat ouem auersam & perditam. Ad se nimirum Profelytum pertinere, ab idololatriis descivisse, receptum in potestatem sui senatus fuisse. Pater ibi contra excusare hominis imbecillitatem, qui scilicet humano lapsu & inconstantia ruisset, sed pœnitentia duceretur, & à se delictum non diffiteretur. Ultra horas duas pro re pugnatum astante circum magna hominum multitudine; dum ascitus tandem ad spectaculum magistratus fecit misero potestatem vt



de se ipse palàm testaretur & confessione sua litem componeret. Veritus rabiem insultantium, qui haud paulò plures eò conuenerant hæreticorum, Inducias, ait: nondum satis mihi consultū est, quid oporteat malle me: res noctem postulat. Itaque dirempta in illum diem controuersia, postridie declarauit plus sibi placere auitos mores, & antiquam suis maioribus religionem, quam frementibus licet & perstreptibus aduersarijs publico ipse testimonio confirmauit, pia etiam exomologesi & acerrima quam indixit sibi castigatione recuperauit. Alter simillimè post vagos animi & longos errores, ad se redijt nostrorum manu. non absoluerat Parochus de grauiori scelere confitentē, læsus cogitat à fide fugam, & verò perficit. Ministri complecti dedentem se: demens teneri flagitio & conscientia tormentis. tandem apud vnum aliquem è Societatis Patribus qui vicinum oppidum excolebat, miseria pondus deponit, confitetur, absoluitur. illum Arausicam amādat cum litteris. Pater qui tum erat Arausicæ instructum sua commendatione Auenionem legat, vt ab Illustrissimo Prolegato illius salus in integrum reuocaretur. Euntem mala mens abstulit iterum ad Ministros. illi euoluunt litteras homini datas, palàm iurare in sua verba compellunt: & ne non satis lateret, Nemausum iubent curriculo proficisci, fratribus commendant vehementer. Vicit denique Deus repugnantem. inter eundem iterum lachrymæ, dolores, mutatio; diuertit ad Societatis Patrem qui Nemausi erat, ad pedes eius prouoluitur, ostendit vulnera, curatur. Fuit qui animo tam obfirmato se illi pesti deuouisset, vt ad omnem de Iesuitæ Patris aduentu mentionem cohorresceret, & se videretur de solario proturbaturus, si ad eum quisquam bona monita perferre tentaret. diu vestigatos ad illum aditus,

quos

quos vis atque dementia intercluserant, amor, comitas, benevolentia perreperunt. ita consilij tandem commutatis, demitigataque ferocia, cœpit mansuescere, & Patris disciplina condoceratus exiit cum errore mentis nequitiam intractabilis voluntatis. Matrem hæreticam docuit Deus quantum inter sit liberos suos parentibus curæ ad salutem esse. filium ab Ecclesia reuocabat insana, quantoque plus ei erat in oculis & delicijs adolescens, tanto crudelius eius probitatem auersabatur. Non fuit Deus ream filij parentem esse impunè. corripitur epilepsi, extinctoque iacet simillimus subito lapsu collisus ad solum. intellexit mulier Patre commonente haudquaquam bellandum esse cum Superis. Hactenus qui palam moniti à Deo, qui que sani facti: cæterorum qui aut pendent dubij aut metu se tenent, vix constat numerus. Certum est positas Societatis sacerdoti per noctem insidias fuisse, & aliquot percussorum manu facta ducem Ministrorum rei gerendæ occasionem quæsisse. Tantum furoris ex rectè factis ille conceperat. Sæpe cum multis de capitibus fidei controuersis disputatum, nunquam sine infamia & pudore aduersariorum. Quidam audaciæ atque ignorantia præfractioris cum in summa sua hæsitantia diu exultasset, ipsis etiam qui frequentes aderant erubescens, amicis eius & affectis; eò deductus est sensum, vt affirmaret ex penultimo Symboli nostri articulo rectè concludi, Petrum à Paulo in faciem non iniuria reprehensum. Itomachum suis & cachinnū mouit, quod & causæ inopia & patrocini laboratet. Penè par fuit audaculi alterius Ministri ex silentio rubor, turpe silentium ex ignorantia. Vir primarius in conuiuio nostros habuit: honorificus confessus erat. consultò adductus Minister cum quo congressus super cœnam de fide fieret.



ne longum faciam, sudavit, expalluit, tacuit, implicuit sese, & impediuit, partim indignantibus obturpitudinem hominis, partim illius conditionem deplorantibus non Patribus modò, sed iis etiam qui se ab illo ante hunc diem delusos atque contemptos fuisse tum primùm confessi lucem aspexerunt. Valdè perturbauit hæreticorum consilia insigne factum, quod hic subiungam rei totius exordio paulò altius repetito. Aliqua ex familia Religiosus per summum scelus manus attulerat Superiori, & ea vulnerum vis fuerat quam mors illius est tandem consecuta. Cùm & parricidam furiam vexarent, consciùmque pectus flagitij, & presentis supplicij certus metus, Arausicam ille commigrat, vbi per fugium à patibulo transfugæ esset. cumulat ibidem nouo scelere contractum scelus, & vnâ operâ fidei ac religioni nuncium remittit. Aded ibat in præceps rabidus animus, & per nefas salutem corporis quærebat, cùm animi perdidisset. Grauis ex eo apud Catholicos perturbatio, & optima occasio hominum hosti diabolo ad disturbandas eorum qui resipiscere cœpissent, cogitationes. Vertit se omnem in partem vt tantæ plagæ medicamentū obiciat, noster sacerdos: visum illi post multa ad perduellē adire, quem Ministrorū principis domus tum habebat. Illud enim domicilium est nutricula përditorum. Comite igitur senatore viro præstabili eò penetrat, pedem cum apostata confert, de eo quærit qui homo sit, quoque ex genere, qua spe, qua re viuat: scelerum causas ordinemque cognoscit, inferos, vindicem Deum, inevitabiles plagas, mala omnia demum ostentat. atque quod erat tanto furori sedando perappositum, hominem docet, & incidi laqueum posse quem nexisset, si se audiat benè monentem; & nisi audiat, extrahi posse aliquantisper debitam mortem

& imminentem, eludi penitus declinarique neque huius vitæ infamem exitum posse, neque sempiternæ pœnas multò grauiores. Debilitabatur insaniam, & apparebat vinciri miserum efficacia sermonis; cum importunus negotij interpellator qui ex proximo auscultabat, Minister impetu factò superuenit, frangit dicentis orationem, iurgium miscet de Sacramento. Pater ibi Domino singulariùs opitulante, & hunc obruit pondere argumentorum, & ad illius animum viam sibi facit. Orare is qui curabatur instantem vrgentemque Ministrum, sibi vt fineret dari à Patre verba bona, & solatium afferri, sentire se in colloquio eius non minimum leuamen, abstinere interrumpere beneficij iter & amoris. Contrà prædo impatiens alieni boni, cum vniuerso muliercularum quæ circumstipabant adlatrantes comitatu, maledicta iactat & minas in Patrem: qui discisso negotio & semilacero, vbi zizania vidit ab inimico superfundì, & minùs profici posse tantò in tumultu, exsilit domo, extorta de manibus præda, & pendente alterius ancipitiq; deliberatione. Nec fuit irritum medicamentum: etsi ille hæreticorũ mancipium deliciumque constitutus ad Geneuenses dimissus est, vt Institutis Caluini erudiretur; etsi multos menses euagatus est, & post consilia improborum transuersus abiit, cœpitque ab illis trophæum exhiberi, & monumēta victorię: aliquādo tamen Deo non ferente contumelias in suos vnus hominis causa fieri tantas, tam atroces, currentem in deuia & oblitum conditoris, teterrimo morbo corripuit. ex quo nata illi lux est, & ingens caligo, quæ insanientem obnubilarat, depulsa. Ergo in mentem ei venire à Patre dicta extremo sermone, obiici minæ, occurrere proba consilia, & mens denique ingenerari frugis melioris. Valuit recordatio, & tantum in eo potuit,



tuit, vt, cum maximè putaretur vxorem quærere, & nuptias apparare, tum verò ardentè id animo moliretur quemadmodum scelus purgaret, & Ecclesiæ matri, suisque item superioribus repræsenteretur. Quo igitur die ducenda erat vxor Apostatæ, eodem ille simulata causa Auenionem se contulit, & suis dimissis qui erant illum eò vsque consecuti, ad Illustrissimi Prolegati pedes accidit supplex. Quo moderatore, spectante tota ciuitate & gratulabunda, conceptam antè iureiurando perfidiam eiurauit, & ex loco superiore solemnè pompa in pristinæ pietatis sensum & veritatis amorem est redintegratus, disrumpentibus sese Ministris ex prædæ iactura, & alterius incolumitate insanientibus. Viuit ille iam pacatus inter suos, & quieto animo est ac religioso. Edidit etiam Deus exemplum iustissimæ seueritatis in discipulum Caluini. Is Minister erat, & in honestam aliquam matronam, quæ haud ita pridem recuperata Ecclesiæ fuerat, fulmen inane contorserat vanissimæ excõmunicationis, ad iratum animum aliqua vindictæ specie exsaturandum. vix sententiam pronunciarat, cum ecce illum manus diuina comprehendit: & ille vt sensit aduri sibi doloribus intestina, per mediam turbam domum conuolauit, decubuit, fremuit. cumque horribiles cruciatus ad ignium æternitatem prægustandam impatientissimè tulisset, cubiculum complens moribundo vlulatu, expuit animam truculentam, quam sibi dæmones antè desponsam atque destinatam in societatem facinorum flammarumque rapuerunt. hic finis fuit Caluinistæ. Haud absimilis alium Ministrum manet seditionum artificem. Ille stipatus hæreticorum cohorte totis plateis obambulabat, & ira mentem sollicitante, ore impudico aduersum Catholicos abutebatur. Forte incidit cum illis Circumcel-

lionibus in Religiosum, qui tum illac iter nescio quò dirigebat. subitò maledictū, risus, opprobria. contempsit vir pius barbaros homines, & silentio præteritos ne verbo quidem dignatus est. coërcuit prætereuntem Minister, & cum illo aliqua quæ ad nostrum vellet referri commurmuratus, minas adiecit, & inanissimas ostentationes. vna voce compressus est suavi illa quidem & temperata, sed quæ tamen quasi vnguis fuit in vlcere. Adeò enim magnus aculeus ad furorem fuit eius pectoribus imis inflictus, vt excors passim discurreret, & vicos ac fora demens perreptaret, superos inferosque contestans, dum à suis reuocatus ad se, postquam remittit de tanta cerebri iactatione, vrbis magistratu qui pro se culpam deprecaretur, est vsus ad sacerdotem Societatis demulcendum. tantum in patientiâ roboris est aduersus furorem. Mouit etiam aliquos sana mors vnus ad Christi fidem completendam. agebat annum penè centesimum quidam Canonicus. Patrem conuenerat super argumentis hæreticorum ac responsis suis pauca consulturus. nec opinatò destituitur oculis, sensus languescunt, vires subæruantur, & postquam perpaulum ex infirmitate titubauit, ad solum senex resupinatur. opportunè: eadem enim hora medicus, eadem chirurgus alius alia ex causa conuenerant. In promptu fuit à quibus seni animam agenti succurreretur. dum ille nutibus significauit esse se ad mortem apprimè paratum, & Dei esse consilium vti alienis in ædibus inter Catholicos, non apud lupos emoreretur. Et quia de lupis mentio incidit, bellè illud habet quòd non alibi magis hæretici alij aliis quasi sunt lupi: ipsi enim etiam Ministri, vt annis superioribus illatam à magistratibus contumeliam vlciscerentur, Missæ sacrificium A-rausione procurant; vt intelligatur suis ipsorum



machinamentis & malleis sectam collapsuram, vt aliorum manibus non labefacteretur. quamquam ipsi Catholici hoc sagaciter laborant, vt compilatos hæreticorum & consarcinatos libros incendio cremant, ne aut illis arma aut venenum suis inde ministretur. Nihil attexo de confessionum aut numero, aut emolumentis. ex concionibus quæ quantaque per annum demessa sit seges, taceo. Hoc lepidum fuit. Noster aliquando cum id doceret cœnam quam appellant, Sathanæ esse, non Christi, inuictum illius vsus Arausicam demonstra- uit per insignem veteratorem, qui Iacobus Satan nuncuparetur. Interest etiam sciri quod contigit vni Catholico, vt eius exemplo discant plerique pericula reformidare. inter illum, & causidicum la- be illa infectum conuenerat, vt & Catholicus Mi- nistrum quendam insigniter eloquentem, & causi- dicus Missam audiret. adfuit Sacro hic: ille vt fidem præstaret, aures dedit garrulo & vaniloquo Sophi- stæ. perturbatus Catholicus plagam ostendit, con- sanuit: sed hoc scilicet est assecutus, vt illius peri- culo quisque discat non esse vnquam adimouendas humanæ fragilitati illecebras peccatorum, incan- tantiumque lenocinia. Cæterum cupidè plerique Principis aduentum operiuntur, quo tecti tutique contra nequitiam hæreticorum, à quibus nunc gu- bernantur, palàm declarent, esse verò se Catholicos, & pessimo metu cohibitos à religione Catholica multò antè. prout animus illis fuisset, complecten- da. Alit illum animũ inter cætera socordia docto- rum suorum, in quibus fuit qui. facto suo testare- tur tantum scire Ministros omnes, quantum ex li- bris arriperent, ad emendicanda responsa de rebus iis quas nunquam vsu aut scientia percepissent. Sancitum est inter illos per omnia conciliabula, vt ne Iesuitis extra scriptum respondeatur, esse se

scilicet impares verbis & contentione. Actum cum  
 vno ex commentariis. hærebat miser. quid credas  
 fecisse: totum ex libro hæretico pridem excuso fo-  
 lium corrogauit. quod cum illi postea ad dedecus  
 & pudorem nouo rescripto obiiceretur, furti con-  
 scientia confutatus, tantum non extabuit. Con-  
 cludam vbi ex multis quæ ad mores corrigendos,  
 inferendæque virtutes, assiduo cultu perfecta sunt:  
 vnũ excerpto, quod quia plurimũ habuit difficul-  
 tatis, & insigne videtur ad imitandum, non debuit  
 prætermitti. Sorores duas mutua lites exercuerant  
 annos iam duos: & cum altè insedisset in vnus  
 animo furor in germanam, iam biennium sine syn-  
 axi consumpserat: quod nocendi voluntatẽ nol-  
 let antè deponere, quam nocuisset. Erant aures  
 vtriusque ad amicos, ad rationes, ad bona monita  
 interseptæ. tandem hæc inita ratio cum altera quæ  
 improbior putabatur, intentata illi maledictio, at-  
 que oblata pax; optio facta, eligeret. Tergiuersata  
 est primũ, deinde commota, & diris execrata pa-  
 cem maluit, atque ad sororem prouoluta veniam  
 exorauit. ad multorum pacem pertinere visa res,  
 & exemplo esse Denique excursum foras, consul-  
 tum agris, obuiam itum diabolo multa molienti.  
 Consenserant sacerdotes cum iuuenum manu in  
 Bacchavalia, vt turpe quiddam & indignum ede-  
 rent, ex quo secuta strages fuisset integritatis &  
 fama: concionatoris auctoritate susus fugatusque  
 dæmon, qui rem architectabatur. Ægra mulier in  
 aspectu Ieluitæ tantum spei posuerat, vt se diceret  
 statim valituram, si cum illo colloqueretur. collo-  
 cuta est, valuit. Non addam aliud ad hoc extre-  
 mum. Pueros bimos trimosque, atque illius æta-  
 tis impuberem iuuentutem scabies pessima & tu-  
 mores, qui cuti afferrent inflationem, populaban-  
 tur. multarum familiarum exitum hic morbus  
 specta-



ſpectabat. Concionator qui æſtiua ibi collocarat, Sanctiſſimæ matri Mariæ publicas indixit litanias, ad quas ſub veſperum afflictus populus confluebat. mira res: Catholicorum filij filiarque ad vnum omnes intra biduum periculo erepti; Miniſtrorum hæreticorumque proles omnibus propè familijs ſubito occupata, extinctique innumerabiles.

*Miſſio Sebennarum in diœceſi Ne-  
mauſenſi.*

**I**N ea plaga Occitanix quæ ad Mediterraneum mare præſenditur, Sebennarum regio eſt, quæ longitudinis habet milliaria ſexaginta octo, latitudinis quadraginta quinque. vallis eſt patens quaquaverſum latiffimè, quæque in altitudinem ſummam decliuſ, montium ſeptis editiſſimorum, præruptarumque rupium muro ita obuallatur, vt inaccessis vndique itineribus inſuperabilis per occultiſſimos tantum arduoſque calles adæatur, nec veſtigia equorum ſint aut viæ, niſi quantum malleus extuderit ſaxorum ipsis in rupibus, quantumque vis fabri elaborarit. hæc eo dicenda fuere, vt appareret quæ in loca ſe dæmon abderet, & quæ munitis parietibus ſcelera tuta ſactaque ſeruaret. Populus enim Sebennenſis aduerſus vim omnem potentiſſimoſque Reges ſoli natura ſe defendat ſatis, niſi fame confici & miſeria poſſent: quæ eadem illis magno præſidio ſemper fuere, ne quiſquam illis inuideret, aut ex tanta mendicitate prædari cuperet. non agros ſerunt, quòd inacri ſunt; non arant, quòd ſeminibus carent; non arbores plantant, quòd ibi nullæ naſcuntur; non ſeras alunt, quòd pecori alimentum deeſt. vinum illic & vites nullæ, vaſtitas denique ſumma omnium rerum eſt, & ab homi-

num frequentia solitudo. In ostijs aditibusque vrbes visuntur. ab vrbibus fides iam olim exulat: passim in vallibus hæreticorum grex, paruusque numerus eorum qui se Catholicos dicant, permixti victitant, & hi aliorum potestati ac voluntatibus obsecundant. Eas sedes deploratè calamitosas cum Episcopo primùm Nemausensi (Episcopum enim ante annos octoginta vllum non viderant, nec vllius Præsulis amplius erat memoria apud desertos homines.) deinde verò soli Patres nostri secundò perlustrarunt. Vix vllus sacerdos, vix Sacri mentio vsquam erat, hominum verò religiosorum inauditum nomen. nam qui illic vagantur Religiosi, ferè desertores, & militum schemate sagati. hoc asylum est. apostatarum, qui ex reliquis Gallix partibus profugi eò euoluuntur ad perpetrandos impunè impurissimos incestus cum ijs virginibus, quas vi doloùe captas in hæc lustra è claustris suis deportarunt. Illo genere hominum redundant Sebennæ. nec capitalior pestis est ad arcendos concionatores si quo loco & lustro Sacrum fit, pastorale cornu miseris est campanarum instar. Patres Societatis nec visos illic, nec auditos, nec delatos antè fuisse constat. neque suadebant amici Patribus, vt cum tantis vitæ, tamque irritis discriminibus gentem efferam, perditam, indomitam curatum irent: nihil illos scilicet nisi aut mortem, aut vulnera relatueros. Ex summo labore latronum, prædonum, hostium plena omnia illic esse, nec spem ostendi bonæ fugis vllam; ostendi verò cumulū malorum ijs qui quidquam aggredi conarentur. Fundum tamen vocante Domino, & penetrādum etiam ad nolentes fuit, vt inuitis illis & repugnantibus subueniretur. & respondit etiam labori fructus. Nam etsi præter mortem & plagas tolerata omnia sunt quæ portendebantur; magnum tamen hoc visum est, non ferri modò



modo Patres & videri à plerisque libenter, sed & ab ijs qui reclamarēt vim non fieri apertam ad eos exturbandos. Postquam enim ita se dederunt initia felicius faciliusque quàm sperabatur, haud magno periculo idem lapis poterit per Patres reuolui, & Christiana res apud hunc populum amplificari, eo ordine quem res ipsæ dabunt, præcipua quæque complectar, prout his mēsis perfectæ aut inchoata sunt. Datum igitur passim sexagenarijs Confirmationis Sacramentum, omnibus vicis pagisque habita concio ter quaterue quotidie, haud ratò crebrius. Nobilium qui ex Beneficijs patrimonia sua constituerāt, patefactum scelus; perruptum eorum qui clam vsurpabant Ecclesiæ fundos locupletes, silentium summum. Innocentium sanguine domus campi que horruerant; adeò vsus erat cædere palam, ferire clam, insidiari cuilibet, quemuis percutere, strages denique hominum, vt cuique virium & ferociæ plus erat; ita edere plures crudeliores, nō testes illic, non iura, non magistratus timebantur: & in Gallicos animos extrema barbaries transmigrarat. compressus furor est, & testium vsus, ac legum potestas haud parum corroborata; nec tantum sanguinis deinceps erit contrucidantium sese, atque miserrimè iugulantium hominum dicam, auferarum? Edocti mores meliores, & horror iniectus dirarum quæ tantam immanitatem sequeretur. Sæpe sacerdotes ad lenticeta proiecti, quorum sanguine commacularant sacrilegas manus; id perfectum, vt in honore habendos ducerent, & atrectare viderentur quos Deus vnxisset. Nulli vehementius aduersabantur negotio Christiano quàm aliquot nobiles apostatæ, penes quos erat malè quæsitæ opum administratio. consultum est illis, vt si se ipsi perditum irēt, at ne suis sceleribus ciues suos vellēt inuolui.

narum tractu qui scitè possent signum crucis fronti adfigere, ipse qui penè vnus erat sacerdos, aut nunquam scisse videbatur, aut dèdiderat. Sedulo curatum est vt ab omnibus hoc signum sæpè scireque efformaretur. Pagum aliquem introeunti Episcopo, ac nostris qui cum illo Sebennas lustrabant, obuiam iuit quàm longissimè poterat vir grauis, quem senectus præpedierat oculisque orbarat, & pro alijs vndecim ciuibus suis qui ex maioribus acceptam fidem in summa ignorantia sine sacrificio Missæ tenuerant, vt ad pastorem ouiculæ aggregabantur. Legatione perfunctus flens ipse ac gemens lachrymas mouit, egestatis suæ ac malorum miserabili commemoratione. Plerumque ab hæreticis parentibus puëtorum cateruæ ad Patres deductæ, vt illorum præceptis imbuerentur, & ipsi parentes cum à magistratibus verarentur ad Societatis sacerdotes adire, sub noctem, & cum latendi locus erat, non præteribant ex illis quærere multa de fide, atque animum paratum ad eam ostendere. Apud S. Ægidij Sodalitas perantiqua, cui est vernacula voce Confallonis nomen, supplicationem profecuta est à Patribus institutam, in qua pro spectaculo visi viri ac matrone, qui nudis pedibus, saccis cooperti, vias circumirent, & ad pudorem frementium hæreticorum cantu & orationibus cælum pulsarent. Lexacum pagum tenebat hæreticus: indicta rusticis mulcta qui ad nostros prodirent. nihil morati quod irrogabatur pœnæ, effuse toto ex pago concursus factus omnis ætatis hominum, qui mandata Patrum caperent, & eorum monitis obsequerentur. Inuenti profugi homines, & vagi quinque, quos mortishorror per auia circumferebat, & quòd fidem Christi profitentibus mortis minæ obijciebantur, exilijque necessitas imponebatur, solamen aliquod fugæ allatum, animique adferen-



ferendum confirmati. Is sensus fuit quorundam Calvinistarum, vt audito semel concionatore per familiare colloquium, vix ab eius digressu diuelli vnquam voluerint, & nisi festinationem temporis breuitas mouisset, deserturi sanè Ministrum erant: qui cum primum suspicatus est tantum à Patribus viè factum apud suos esse, cum alijs quatuor de perdendis illis iugulandisque cõlensit. Affecit Episcopum summa voluptate quod subdo. Opulentus Catholicus hæretici fratris filios, nepotes suos octo educat domi sumptibus suis, vt hæreticam pestem cum lacte non sugant, & veræ fidei documentis erudiantur. ignorat pater fratris consilium, & Catholicos sibi liberos educari nescit. laudatus qui faceret rem bonæ frugis. Alius alio in pago què hæretica lues totum infecerat, annis quadraginta solus Catholicus in proposito permansit, maximo rerum suarum & famæ perpetuoque dispendio. Deplorabo hic statum apostatæ calamitosum. Vegani Iudex est quidam hæreticus, qui confessus est Patribus quod erat, fuisse se Religiosum, suaque culpa exterminatum è grege Religiosorum; nihilo tamen minus amare illos, & instituti eorum ratione probare. Iam is ipse quòd in iudicijs fraudem fecisse conuincitur, cum laquei reus ad suspendium expe-ratur, lictorem fugitat, & in latebris tenebrisque squallet. Lauengæ nullus antè Catholicus erat, suam vehementer populo ad Sacrum vt accurrerent. fecere: audito Sacro Christi fidem professi homines bis mille, desiderati tantum hæretici quatuor, qui à cæterorum exemplo mentem auerterunt. Porro vt appareat quemadmodum duce Deo eant qui istis in locis exercentur; subtexam quod maturantibus aliquo ex loco profectiõnem Patribus cõrigit. Nubibus cælum complebatur, & incubabat capitibus certa tempestas, eundi tamen cætrum consilium fuit.

fuit . nec frustra : nam tonante atque fulminante Ioue, & miscentibus sese aduersus iter initum elementis, familię duę, in quibus de vita periclitabantur aliquę matronę, distinctis in pagis, ad Deum à quo abierant reuocatę. Ita operam sacerdotum tempestas iuuit. Cętera complectar paucis, ne fastidium sit in similitudine. Partim in itinere, partim in diuersorijs , partim in colloquijs victi plerique Caluino nuncium remiserunt. Illorum numerus & quòd longè magnus, & quòd constare non potuit, mihi fuit prætereundus. Instaurata & à fundamentis excitata templa plerisque in locis contra vim voluntatemque multorum , quos vt satellites dæmon ad rem disturbandam submittebat. xenodochia diruta iam olim, iam iterum exædificata sumptibus Catholicorum. hereticorum in hospitijs nostri liberaliter habiti, auditi que auidè à quibussibet. Et ferè hic sensus fuit omnium qui modestiæ verborumque testes adessent, magnum aduersus Ministros arietem cõcionatorum vitam esse. Haud semel obtentum, vt se ad mortem deuouerent pro auita fide defendenda. Mirum erat quomodo fama de aduentu Patris oppida ex oppidis tanta celeritate peruolaret , vt ferè cõcionis locū è remotis locis aduenę præoccuparent. Cùm ex publico inter hæreticos disputaretur, dicētis animum suspiciebant, qui gladios circumstantium aduersariorum non timeret, furiosorum iras nō vereretur. Quamquam haud potentior fuit Pater in periculis contemendis, quàm in respuendis blanditijs atque muneribus. quę res illi maximo fuit adiumento ad animos Christo lucrandos. Error ille turpissimus qui iam obsedit multorum ingenia, posse in qualibet religione saluti locum & virtuti esse, tanto cum fructu tamque crebrò confutatus , vt ex hæreticis nemo negarit insanum esse iudicium ita sentientis vulgi,

insa-



insanam linguam ista peruulgatum Ministrorum.  
 Nobiles matronæ præscriptas sibi per simoniam  
 fortunas Ecclesiæ deposuerunt in Episcopi potesta-  
 te. Aliquot ex locis sublata funditus iurandi peie-  
 randique consuetudo. vrbes integras vna concio  
 sæpe aut vacillantes firmavit, aut perditas ad Deum  
 traduxit. Excitarant passim crucium loco patibula  
 in contumeliã Catholicorum Ministri: repositæ  
 cruces. Concludo exemplis duobus exercitæ in  
 Catholicos per Patres charitatis sopitarumque dis-  
 cordiarum. Exarserant inter principes viros duos  
 atroces inimicitie: ob quas ex vicinis circa prouin-  
 cijs omnibus præcipuè nobiles quique concurre-  
 rant, vt extremo duello ducenti equites confige-  
 rent ad propugnandum honorem eorum, qui fa-  
 ctionis capita & duces erant. Ibat in apertum iu-  
 teritum, & deletura putabatur internecina conten-  
 tio florem Catholicæ nobilitatis: quo ex vno præ-  
 lio ad consequentes ætates & posteritatem cruor  
 ille parentum, & ex cruore crudeliras sine dubio re-  
 dundasset. Spectantibus ergo cædem cunctis, inten-  
 tisque ad prælium, cõdictis etiam loco ac die, cum  
 horror alios cladis supremæ, furor alios & ira vexa-  
 rent; Episcopi auctoritate, Patris operâ & artibus  
 ijs, quæ tantum malum expugnare poterant, sum-  
 mo denique Dei optimi beneficio, placati animi  
 Principum, euulsæ fibræ inimicitarum, extinctum  
 incendium stragis ciuilis; ad sua quisque amici pa-  
 catique remigrarunt, qui ad mortem volentes per-  
 niciemque descenderant. Alterum illud est, quod  
 postremum illo in genere erit. Ex Sebennis mon-  
 tibus alia in loca concionator excurrerat. intestina  
 lite, quæ Decanos & Canonicos totum decennium  
 exercuerat, flagrabat Ecclesia vrbis haud ignobilis.  
 linguis pugnisque bellatum summo scandalo  
 Christianorum fuerat inter sacerdotes. Apud Epi-  
 scopum

scopum Patris operâ compositi animi, sedatæ rixæ, constituta pax primùm sacramento, deinde amplexibus in quos ruere cuncti. Volo colophonem Missioni Sebennësi addere, salsam de Ministro egregiè capto narratiunculam. Concionator Societatis quòd à Ministro illorum locorum nobilissimo, & quem pro oraculo plebecula suspiciebat, plurimùm nocuenti, & ex falsa hominis fama plagam haud minimam capiebat; in montis Viretis pagum, in quo erat Minister, aliquando diuertit, ibi se illiteratum quemdam Parochum esse simulat, qui Episcopum Mimatensem litteras petiturus adiret. Stipant eum subito vitiosi hæretici, & qui homo sit, vnde, quòd eat, interrogant. ne multa, ille gaudere se ait, natam sibi optimam occasionem deponendi apud doctissimum Ministrum suum difficultates insignes duas, quas in fidei rebus pateretur. Illi statim prædam putare, Ministrum orare vt homini iam altero pede claudicanti crus alterum infringeret. Post multa cum Minister negaret congruum sibi esse sacerdotem conuenire, sacerdos ad Ministrum adit. Vbi sacerdos principio ignorantiam simulauit, & malè cautum dementemque hominem implicuit in sua ipsius verba; tandem apparuit, indoctum, vt putabatur, sacerdotem posse Ministrorum principes elingues facere: magno rubore inter suos affectus est, atque in conspectu ciuitatis homo ridiculus.

### *Missio ad fossas Marianas.*

S Vperiore anno initam missionem ad fossas hic secundus annus excepit. rerum capita perstringenda sunt. Triginta circiter à concionatore nostro in Ecclesiæ gremium nostra auctoritate accepti fidem suam publico testimonio omnes promulgarunt.



runt. Quæ ad conciones, catecheses, vsus synaxeos, pacificationes, cæteraq; omnia charitatis exercitia pertinent, etiamsi vulgaria videri nõ debent, cum inter homines profligatos difficillimisq; temporibus fiunt, consultò duxi tacenda. quæ plus nouitatis habent, ea percurro. Fusus fugatusq; sepenumerò Minister Calvinianus cum obtumescere cogeretur, & crebras concionatoris petitiones in circulis, in foro, inter proceres, apud plebeios minus honestè declinarer. tantaq; decessio facta de honore ac nomine illius est, vt iam vulgò despiciatui habeatur, teste ipso vrbis Gubernatore, testibus Tolosanæ senatoribus, optimatibusq; ciuitatis, quibus aut pudori est miser aut indignationi. Cum, sibi iure experiendum aduersus sacerdotem Societatis esse ratus & conflandam litem, hereticorum Principes obtestatus esset, sibi vt adessent in forum vocanti concionatorem; quòd in Caluinum intemperantior, eius dicta sentiaq; ex suggestu profcinderet, & iniuriosus in defunctum esset. Pernegarunt illi opem se laturos, quòd nimirum intelligerent eadem lite oppressum iri concionatorem & Caluini libros; quòd ex ijs depromeret argumèta refutationum, & illius, librorumq; quos citaret causa vna, vna lis esset. nullo telo vehementius hæretici vulnerantur, quàm ex eius Ministri quem suspexerant exitiali ignorantia. Quamquam & hæc quæ subiungo prodigia multos perturbarunt. Cum hæreticorum furori & furijs impunè quiduis apud hos ciues liceret, in ipso Fratrum Franciscanorum cœnobio exercentibus illis plenum portenti prodigium fertur contigisse. Visus aliquando ignem toto pectore bos euomere. cum illum lanus in sacro loco sacrilegus euisceraret; vi & furore incendij quod animalis intestina populabatur, homo conterritus ad solum subito allidi, piaculi spectatores, qui

qui circūstabant, expauescere, & se primū alijs alios ad horrorem contueri, tum subitò de vestigio quisque resilire: pòst sedato perpaulū metu, redire ad semet singuli, ludere inuicem, & dicta iacere in meticulosos, aut fortuitum esse quod vidissent putare, aut etiā affirmare visos se tantū videre cū viderent nihil. Tandem ex iocis & dicacitate ad audaciam confirmati, pedem iterum conferre ad locum, oculis iterum ipsi, iterum manu artifex tētare ilia bouis quem exenterabat. fœda res, rursus flammæ, rursus ignes prorumpere densius, latius, altius, & quaquauersum diffundi. denique obfirmatam insanorum hominum in proposito peruicacitatem iterato ostento flamma docuit. & cum illorum importunissima temeritate tamdiu contendit incendium, dum illi flammæ ardentius conflagrantis incremento victi, & sudore omnes atque horrore colliquescentes præsentis periculo paruere, cessere loco, dedere se cuncti in fugam, abstinere visceratione: alium postremò locum turpissimæ arti quæsiuere, hic cessante flamma sceleris teste & vindice. In suas ædes aliquando ad ignem sacrificij accendendum in templo Domini Franciscani postliminiò reuerterunt. fuit hoc igitur ad loci quem profanarunt expiationem. Aliud quiddam non absimillimum ad dierum sanctitatem declarandam addo. Per Quadragesimam aliquis alius illo ex opificio magister, cū alieno ventri studeret, & in officina sua nudaret pelle veruecem; ecce tibi subitò ex cuticula interiore visum excurrere scarabæorum examen, tanto miserorum qui spectabant terrore ac metu, vt cū nemo non cohorresceret, nulli tamen posset tanti prodigij causa in mentem venire. Eodem Dei consilio approbata sanctitas ieiuniorum. Salsum iuxta & graue dedit argumentum alterius Caluinistę gula;

ipso



ipso enim die Cœnæ Domini sub vesperam illo  
 ex grege hominum vnus, ventrem arietis per no-  
 ctem coquendum & apparandum in delicias ma-  
 tutinas olla concluserat, & admouerat foco, vt ex-  
 quisitè scilicet elixa intestina mollescerent, fie-  
 rentque ad esum suauiora. confecto ventris nego-  
 tio somnum cepit. De nocte altissima illum ipsa in  
 coquina arctè consopitum feles & felium catuli  
 facto agmine, vagitu, eiulatu, vlulatus complen-  
 tes domum, iubent euigilare. Vt audit morsus la-  
 niantium sese & obstrepentium bestiarum, è lecto  
 prosilit, enssem quem fors dedit comprehensum  
 hac illac stringit in belluas, ne somnum amplius &  
 quietem interpellent: bella horrida. hic seminudus  
 alterna iactare brachia, illæ animantes & lemures  
 ferociùs excadescere, & clamosiùs tota culina bac-  
 chari, & viro aduersos plagarum crepitus & spe-  
 ctra ingeminare, errare aures & tempora circum  
 crebræ manus & vox. huius crepitare formidine  
 malæ. Quid faciat? abdit se tandem in cubilis late-  
 bras victus atque fatigatus, & belluarum ad ipsius  
 diluculi articulum toto cubiculo insultantium, ca-  
 piti que hominis circumuolantium furias fert. in  
 horas singulas mortem expectat imminentem;  
 cur eum venter suus mactarat. Cùm primùm ocu-  
 lis lucem accepit, & in oculos tabescentis rimæ  
 fenestrarum auroræ radios transmiserunt, exiliit  
 cubili stupens & attenuatus, suis rem ordine o-  
 mnem exponit, viciniam risu & miseria complet,  
 rem docet ciues & cum iuramento. Hæc inter vxor  
 viri mandato propius ollam contemplatur tectam;  
 & intactam videt, pro carnibus catuli felis quasi  
 nunc partu effusi, & sese in his cacabi cunabulis a-  
 lij alios lambentes & commurmurantes erant. Ac-  
 clamare & vociferari, maritus accurrere, conuo-  
 cari ex vico viri, feminæ. erat iam spectaculū faci-

noris tota vrbe promulgatum, cùm feuerè inter-  
 minatus est Minister ne verbum amplius de illa  
 facerent. dignum patella operculum esse silentium,  
 ne re scilicet euulgata Papisſe fierent in arripiendo  
 ieiunio prædicandoque tenaciores, atque hoc te-  
 stimonio ad sua dogmata abuterentur. serò vetuit.  
 Esto & hoc in cerei agni commendationem, quod  
 sequitur. Deprehensum ex iudiciis & flagranti fa-  
 cinore comprehensum præstigiatores magnum,  
 Iudex rogabat quid cuique nocuisset, quauè arte  
 vel lusus fuisset ipse, vel alios dementasset. E mul-  
 tis quæ desperato veritas extorserat responsis, hoc  
 insigne vnum publicis chartis exceptum. Cona-  
 tum se haud semel viri principis qui superstes ad-  
 huc & Catholicus esset, filium clam enecare, & per-  
 fecturum fuisse, ni saluum illum atque incolumem  
 ex suis manibus cerea quædam agni effigies quam  
 circumferebat vindicasset, cuiusque operam præpe-  
 didisset & machinamenta. Docuit alteram eadem ex  
 colluue feminam dementem pœna præsens, quan-  
 ti interesset Deo colludere, & illudere diuinæ rei.  
 puellis sibi demandatis ad discenda litterarum ele-  
 menta abiurata fidei rea mulier, quas vsu à se tra-  
 ctatas & oculis ceremonias apud nos olim ani-  
 maduerterat, partim verbo ad conuicium, partim  
 ad risum argutiis digitorum, & mimica imitatio-  
 ne identidem effingebat. aliquando sacerdotem  
 diuina facientem conata est in circulo cachinnan-  
 tium actitare. post alia quæ malus animus & fraus  
 impura suggerebant imitamenta; panis frustum  
 cœpit primum supra caput attollere, puellis, ex  
 imperio, togæ simbriam, vt sit, efferentibus, tum de-  
 ponentibus iisdem ipsa deponere, deinde verò clam  
 ridiculo oris & gutturis motu in ventrem demisit.  
 Secura pœna est. nam vt absorbet illa & glutit pa-  
 nem, tanta faucibus angina tumorque tatus incu-  
 buit,



buit vt propè allisa spiritu præfocatoque meatu  
 vocis, scelesto cum morsu animam turpem expue-  
 rit. Et verò mali vis ea & robur fuit, vt polluti oris  
 aditum multas hebdomadas vuulæ coangusta-  
 rint, & insanabilis morbus sit visus; cuius causam  
 omnes qui accurrerant ignorarent. Per omnia e-  
 nim iura & terrimenta indixerat, vt rem totam ce-  
 latam vellent: quam tamen paulò pòst loquaces  
 puellæ contempto eius interdicto eliminarunt.  
 Nunquam satis domita hæreticorum gula plus  
 plusque excitat sese ad satietatē atque ingluuiem,  
 vnde plura nobis nascuntur in dies æternæ virgulae  
 in illos edita monumenta. Idibus Decembris vl-  
 timis venatum ierant vno agmine Catholici atque  
 hæretici complures extra vrbis pomerium, quā  
 pinguior est venatio. Peremptam anatem, & do-  
 mum deportatam ad epuli societatem, cū dies  
 sequens Veneris esset, aliis repugnātibus omnibus  
 helluo vnus de illo grege Calvinista torreri voluit.  
 Assam & opiparè conditam auem ipsa feria sexta  
 testibus aliis & vetito cibo temperantibus idem  
 sibi iubet in edulium admoueri. frustra; tam teter  
 enim ex aue odor omnium nares compleuit, tan-  
 tumque illo ex ferculo fœtoris erupit, vt & ipse  
 carniuorus gustu & accubitu, cæteri que mensa  
 pulsi recesserint; nec tantum quisquam potuerit a-  
 nimam tenere cū eius naribus lues afflaretur.  
 Ipsi adeò canes & catuli heredes prædæ domesti-  
 cæ ab obsonio illo spurcissimo nares, os, vngues  
 remouerunt.

### *Missiones alie.*

**A** Ducatus Domini, ieiunijque maioris tempori-  
 bus in nobiles vrbes Massiliam, Arelatum, alias-  
 que complures distributi ex Collegio conciona-  
 tores,

tores, Massiliæ certatum in aduentu nostrorum, in cuius domum diuerterent, quòd honori ac solatio sibi id esse prædicarent optimates, hinc partim ad Episcopium, partim in priuatas ædes, vt & Domino Episcopo & Consulibus fieret satis, migrandum fuit. Opinio hominum est auditores nec plures nec tot vnquam concionibus adfuisse post homines natos, Massiliæ. Certè complebantur matutinis & pomeridianis horis ecclesię festis diebus, profestis autem eo numero qui facilè superaret maximam multitudinem, quæ in præcipuis vrribus & festis diebus cùm maximus fit concursus. Postquam commonitus de confessione populus est, tanto studio id exceptum fuit, vt quadraginta sacerdotes aduentantium turbis minùs responderent. Significatum est Domino Episcopo communicantium qui sacram synaxim natalibus percepissent, numerum accessisse ad triginta hominum millia. Itum ad triremes in hebdomada ter minimum. Ibidem præter morem auditæ confessiones octingentorum penè capite minorum. Procuratum vt Extrema vnctio moribundis illis imperiretur, quod nefas putabant: perfectumque vt communio miserabilibus viris ne denegetur, maximè in periculo mortis; quæ tamen vel in vsu non est, vel per summam iniuriam illis interdicitur. Domus sanctæ Ursulæ suppellectile, fundo, cæterisque rebus necessarijs instructa ad puellarum otio torpentium educationem. Lustrati carceres, nosocomia, orphanotrophia, fructu non minimo. Popularis morbi occasione interciderat visendi ægrotos in nosocomijs quotidie sana sanctaque consuetudo. instauratum Dei beneficio tam pium matronarum institutum vnica concione quæ in pauperum æde habita est, atque innouatus ordo inseruientium, & ad pristinæ charitatis munia reditum est. Com-



mendatum opus quod misericordiæ nuncupatur: longè plures solito eleëmofynæ repertæ. Vnus aliquis post concionem quinquaginta aureos nummos ad illius eleëmofynæ moderatores transfudit, Confessionum penè millesimæ parti vix satisfieri potuit. Lacrymabundi discedebant quibus locus deerat tempusque. Cum hæretico nobili disceptatum in præcipuis ædibus ciuitatis, euentu omnino felici. Pomeridianis rerum in fide controuersarum explanationibus datum diebus festis principium eo fructu, eaque populi voluptate quæ sperari poterat. Hæretici sex ad fidem rediere. Mulier annosa post hæreseos abiurationem tota disfluebat in lacrymas ipsa in concione; illa cruentam hostiam, & Christi Domini speciem vidit. Vir nobilis ad Christi fidem hoc modo conuersus. Puer à pedibus mirari se dicebat sæpe, nulla extare vestigia templorum Caluini, aut veterum in illis rudera, cum passim Catholicorum peruetusta viserentur. Plerique omnes vtriusque sexus ac maxime nobilissimi quique generali confessione expiauerunt conscientiam. Caupones, stabularij, foliorum lusoriorum venditores passim de nostro concionatore querebantur, quòd ex opificibus suis quæstus nullus esset. Sex millia aureorum oblata sunt vltro ijs ad quos pertinere videbatur concionatorem nostrum in vrbe retineri, eo tantum pacto vt per annum ibi demoraretur. Duo sunt propter Massiliam oppida ex aduerso posita: in vno florens integraque religio Christiana; alterum hæresis populatur. mira res. Hæreticorum territorium quòd passuum quingentorum interuallo ab agris Catholicorum distinguebatur, vermibus hæctenus scatuit, bubonibus, crucis, locustis: ibi lues animalium frequens, morbi insueti, lites, iurgia. Remedium tantis malis fuit, hæresim abiurare, Episcopum arcessere, confiteri. In

quamcumque urbem pagumue nostri diuerterent, flagitare Consules concionem, portæ urbis ad multam diem obserari, præco intempestæ noctis silentio populum concire. Hoc denique studium verbi Dei esse, ut nostris vix cibo capiendo locus & quieti esset. Arelatis simillima pleraque; eo minus ea iterum inculco. Distribuendorum verò pueris ac puellis qui memoriæ felicitate exercitationeque vincerent in catechesibus perdiscendis, præmiorum apparatus, lætabunda applaudenteque ciuitate spectatus, vix ut pueris, quorum intererat maximè, aditus in templum esset. Et tredecim Parochorum aliorumque sacerdotum institutio bis in hebdomada conscientiæ Casibus tradita vtilitati ciuibus fuit. Septem ibidem ab hæretica mente absterriti, in Ecclesiæ Christi sinum rediere. In his matrona nobilis & grandæua (annum enim agebat septuagesimū) cū morbo langueret, prauas de fidei rebus opiniones quas toto animo complectebatur, obliterauit, & de tota vita confessæ Eucharistiæ cibo refici cœpit cū vitam finiret. Histriones ab vrbe pulsi, alia penè paria. Paternis illa quam propè iam decē annis obsedit cacodæmon energumena mulier illo nomine notissima, in qua res admodum stupendas immundus spiritus operatur, Beati Patris Nostri Ignatij sanctitatem mirificis modis manifestam fecit; ex eius collo sacram thecam suspendit noster sacerdos, qua capitis B. Patris pili obuoluebantur. ardere illa, vri, disrumpi. Rogata causam, Veh, ait, illius comæ! pilos qui obrecti intus erant, non viderat. Quid ais, Illius? subijcit noster. nomina, Parentis tui: nomina ergo, Ignatij. Itane loqueris? Beati volo cognomen Loiolæ, ait fremens & horrens. Vicarius qui aderat, Nosti aliquem ex familia hominis? acucullati sunt. Inter hæc toruū intuebatur sacerdotem nostrum. sed quemadmodum illos



los appellas ex nomine? Theatinos, ait. vide quid dicas, & ne mētiare. Tum illa ad Patrem conuersa, voce vultuque, Quin tu es, inquit, Iesuita, tu ex illius Societate? illius, dixit, quòd Iesum nuncupare nec vellet, nec posset. Mirum vt ad omnem de B. Ignatio mentionem inflammata destituitur sensibus, & quòd nunquā visa facere, subitò procumbit in genua, atque imperium contra quam solet præuertit. Causa est ea, vt fatetur rogata, ne ingrauescat tormentū de Ignatij contemptu: illum enim sibi esse supra omnes formidabilē. Facit aliud quod ex multis vnum commemorabo, ad Augustissimi Sacramenti commendationem. Erat ijsdem in ædibus cubiculoque Vicarius, sacerdos noster, vir primarius, hæreticus aduena, alijque animus erat nostro concionatori, hæretici mentem debellare: accersita misera mulier ad spectaculum aliquod edēdum teste hæretico. dæmon, vt est ad odorandum sagax, restitare, torquere, moras facere, Deo tamen paruit, venit: post contumelias insanientis, vt solet, clam illi ad dorsum applicatę à Domino Vicario reliquię Sanctorum; sensit, cohorrui, cū excutere non auderet. Ad nostrum sacerdotem detulit reddendas. Iterum noster imperare ediceret clarè, quē tandem ex omnibus qui circumstarent vera fide cassum opinaretur; illum designaret, illi appropinquaret. negat illa priuim quemquam esse, cū deinde vrgeretur, ad hæreticum reptare, fimbriam pallij extremis digitis tenere, indicare hominem, ai, cuias ille tandem, mendacissime quem hæreticum fateris? dissimulauit aliquamdiu, tandē Arausiensis, ait, atque ita erat. Ad suum responsum infrenduit, & debacchata est, si vnquam, & quod noctis crepusculum erat, in sequentē lucem amandata. Postridie vt rogatu viri primarij, hæretico turbanti maius adminiculum admoueretur ex dæmo-

nij confessione, re diuina facta Paternensium summo consensu, teste illo Calvinista, hostiæ duæ dæmonio truculêto obiectæ. primùm autem ea quam sacerdos non consecrarat. mandatum illi adoraret, genua flecteret; risit, contempsit, non fecit. Christi deinde corpus oblatum: tergiuersata est satis diu; pòst modesto vultu adorabunda procubuit, & Dominum suum illum esse, quem ibi contemplaretur confessa est iterum altera illa hostia ostentata, potestas tangendi, lacerandi que facta furiosæ; subito concersit: iterum illi Christi corpus exhibitum, violaret, oscularetur, attingeret; abstinuit vehementer, & oscula terræ infixit tria ex sacerdotis mandato. Insolens hoc visum & admirabile Calvinistæ, qui eam ob rem Auenionem migravit, vt de fide sua paulò pluribus consultaret. Porrò dæmonium multa commouit aduersus nostrum sacerdotem, à quo lacessi se euerberari que identidem intelligeret. Concionâti sacra hebdomada raucedinem permolestam, vrbi factionem iniecit. hæc soluta est in pacem, illa non nocuit. Quodcumque veratur torquere mulierem B.P. Ignatij nomine, in ventrem deuoluitur, tacet. Hoc paschate Murtinum excursus est, quod oppidum in Prouincia Calvinistæ tenent: hi adèò mores pauculorum Catholicorum labefactauerant, vt perparum inter vtrosque discriminis, aut nihil esset. totis viginti annis moribundi sine viatico, festi dies sine honore fuerant. subuentum. Annis continuis tribus die Assumptioni Deiparæ sacro operas aliquas fulmine ictas extinctasque, cum operi suo intenderent & in primis hominem vnum, cuius in corpore vestigiũ fulminis nullum apparuisset; in pistrino verò cum moleretur plures eodem anniuersario die eadem vi tempestatis enectos, mutilatos, cerebro emotos memorant. Ex eo tempore is dies iuxtà cum Do-



minicis apud illos sacer. Peruefissimus vſus ex  
 conditionatis indocti preſbyteri interrogatiuncu-  
 lis conſitendi ſublatus. Sanctioris hebdomadę die-  
 bus Sanctiſſimum Sacramentum de Eccleſiæ more  
 in abditiore anguſtioreque ſepulchro conditum,  
 & inuſitatis Catholicorum hæreticorumque vi-  
 giliis celebratum; quod ante annos viginti factum  
 non fuiſſe incolæ affirmant. Vir Catholicus cæte-  
 roqui pius ab aliquot annis in acerrimis ſcrupulis  
 importuniſſima dæmonis fraude exagitabatur, vt  
 vulgò & ſe ipſe & alij eum à dæmonio obſideri ſu-  
 ſpicarētur, innumeris territationibus conſcientiæ  
 dies nocteſque pulſabatur, perpetuis ferè lachry-  
 mis ſuſpiriiſque conſiciebatur, & adedò horrendæ  
 illi imagines obueraſabantur, vt de Euchariſtia vix  
 vnquam ſine ſpurciſſimo aliquo horrendoque  
 phantaſmate cogitaret. Ille conſeſſione generali  
 magno animi ſenſu peracta, ita ſe illa agitatione  
 leuatum ſenſit, vt ſe nouo ſole, nouaque quadam  
 vita frui diceret, ac pace omni tranquilliffima do-  
 naretur. Viſanij mulier quædam totos nouem in  
 cœno turpitudinis extremæ annos volutata nullo  
 pacto poterat tenere ſe, coniugijque finibus inhi-  
 beri, donec aliquando ei B. Virgo in mentem ſeriò  
 venit: eius afflatu pulſata in ſacellum ipſi dicatum  
 pedem ponit, Virginem orat, Virgini deſſet ſe. hoc  
 demum obtinet, vt cum caſtiſſimis de pudicitia  
 contendat, nec ex illo die ſenſit aculeum. Mulier  
 quæ ex deſperatione turbata, & de ſtatu mentis  
 deiecta videbatur aſſeclam habere cacodæmonem,  
 ſibi Deoque reſtituta. Perturbationis hæc cauſa  
 fuerat. Totis decem & octo annis vixerat cum im-  
 proba marito ſine liberis, & quod ferè ſequitur  
 ſine domeſtica pace: tandem iteratis precibus, vt  
 proba erat & pia, filium à Deo obtinuerat. Sed,  
 iudicia Dei! die feſto deuota mulier ad templum

adit, ex templo reuerſa puerum offendit collifis faucibus ſtrangulatum. pluribus poſt inde menſibus, vi doloris perturbata, variis dæmonum incurſionibus appetita, in noſtro ſacerdote ſolatum, & quietem animi reperit, atque adeò ſocrui pepercit, cuius incuria calamitas illa afflictiffimæ familiæ contigiſſe putabatur. Luber alia cuncta complecti, quæ aliis in oppidis per annum, cùm varias ob cauſas excurreretur, Deo bene iuuante perfectæ ſunt, & attingere lucri ſummam generati. Aliquot ſupra centum ad Eccleſiam collecti, innumerabiles in fide confirmati. Inſignia in hoc genere duo triuæ. Mollem ad irritamenta, ſequacem ad nutus vxorem maritus annos triginta in hæreſi continuerat. illa vt audiit concionantem ſemel vnum è noſtris, mundi ac mariti metu depoſito, palàm teſtata eſt eſſe ſe, victuramque ſemper in Eccleſia Romana. Alia quædam poſt omnem vitam in Catholica religione tranſactam morti proxima hæretici coniugis monitu hæreticam mentem induerat, noſtri hominis quâ blandis precibus, quâ cõminationibus ſeueris ex inferni faucibus erepta priſtinum animum recuperauit, & perfidiæ culpam execrata cùm lachrymarum vim ingentem moribunda profudiſſet, omnibus Eccleſiæ Sacramentis communita in feliciorẽ vitam demigrauit: certamen morientis, & cum ſeiſa ferociffimè conſiſgentis, ſpectabile ciuibus fuit; exitus perditõ marito grauis. Bellicoſus homo, & ſuæ vr̄bis Magiſtratibus mala omnia oſtentantibus, licet hæreticis, & ni deponeret ſanctum propoſitum, cõminantibus fore vt honore ſuo magiſtratuque abdicaretur; ſacerdotis noſtri conſiliis ſpectante vr̄be conciliatus eſt Chriſto. Puer octo tantum annos natus patris crudelitatem patientia domat, & cùm à ſacro arceatur, cùm detrudatur in carcerem,

cùm



cùm inedia conficiatur & fame, inconcussum pectus & immotum gerit, nec hæretica lue corrumpi se patitur, aut per amicorum oblectamenta, aut terroribus parentum. Aspectum nostrorum ad eò Ministri omnes exhorrescunt, vt præter cætera insignis ad notam hominis fuerit fuga illius fœdissima, qui Manoscuentem Synagogam multos annos administravit. is penè annum extra urbem egit, & vitato Patris nostri vultu ac sermone suos homines docuit, quàm tutus esset tectusque aduersus veritatem. In xenodochia, templorumque instaurationem vis pecuniæ ingēs variis locis collata, Sacramenti B. Virginis, pauperum, atque aliæ aliis nominibus Sodalitates excitatæ. Is puerilibus annis ardor iniectus ad rudimenta fidei memoriæ commendanda, vt integri sæpè vici de victoria diuersorumque oppidorum pueri inter se illo nomine vsque ad pugnos verasque pugnas accerrimè dimicarent. Oppidum quoddam hæretici omnes incolebant; sola loci Domina Christianam legem obseruabat. Noster cùm eò appulisset, matronæ mandato præcipui quique ex populo ad audiendum conuocati, nemo negauit innatam sibi ex concione de Caluini secta deserenda cogitationem. Appingam aliquid vltimo loco, quod vbi fama disseminatum est, inter hæreticos non parum mouit admirationis. Hæreticus miles, atque, vt illud hominum genus est audax & temerarium, vir ad omnia imperterritus, de nocte iter instituit villam aliquam suam versus negotij causa. Ecce tibi eunti per tenebras obstitit hominis portentum, imagine truculenta: lacessit ad pugnam; congregiuntur. vbi luctati sunt aliquantisper, tum ad militem homo: Age, ait, insiste, & te aliæ manus manent haud longè. pergit experiri viam sollicitus, minimo tamen cum metu. Per paulum pro-

celle.

cesserat, cùm lacertosi sex, & primo illi non dissimiles, nec opinantem ex viâ in diuerticulum abripiunt: pedibus manibûque verbera illidunt: agitatam atrociter, quàm altissimè tollunt in aëra. Tum primùm ille intelligere, haud hominũ istas esse manus, sed dæmonum, & quòd illum conscientia scelerum obstringebat, perterreret. Venit in mentem attonito, & deorsum contèmplanti, Christianis vsui esse signo crucis depellere genus hoc umbrarum. Imprimis, quod nunquam fecerat, signum (vt à nostris faciendum esse audierat) & subito in terram, destituentibus illum furiis, exclamat maximo cum vlulatu, ad exclamantem demones hoc tantùm: Malam crucem tibi, scelus, cui crux nobis aduersaria profuit.

### *Collegium Turnonense.*

**Q**uod proximo anno curatum, ne ex præscripto annalium mitterentur communia, & hoc curabo, & huiusce anni capita faciam duo: quæ domi primùm, deinde quæ foris, à nostris gesta narrabo, & in ijs distinctè reponam quæ Albenaci edita. Collegium Turnonium licet amplissimum & omnium quæ in Gallia sunt iudicio omnium pulcherrimum, oportuno ad rem penuariam carebat ædificio. Auctoritate igitur & benevolentia Illustrissimi Comitum Turnonij, & ciuium liberalitate effectum, adnitente Superiore, qui vtrosque multis & prudentiæ & humanitatis sibi deuinxit officijs, vt proximæ Collegio nostro ædes coëmerentur quæ Orientem spectat, & periculo incendij Collegium nostrum eximeretur, & omnibus quod ad domestica illa pertinet negotia, partibus absolueretur. Scholæ nostræ cursum tenent suum. Sed Scholastici Parthenij & litteris & pietate præcellunt. Ad monaste-



nasteria dimissi quinque, Sanè plurimi ea meditan-  
 tur, & eo illi numero, nobis vt his temporibus me-  
 tuendum sit, ne id ægerrimè ferant parentes, qui &  
 ea causa liberis Parthenium dissuadent, & Religio-  
 num seminarium vulgò dictitant. Obiere ex illis  
 septem eo pietatis sensu, vt piam mortem pijssimi  
 homines mirarentur. Accensi omnium etiam ad  
 studia animi, Archiepiscopi Viennensis & præsentia  
 & liberalitate in eos tam propensa, vt tertiam in se-  
 quentem annum præmiorum distributionem se-  
 procuraturum sponderit. Ex eis vni cum ad mul-  
 tam noctem vigilaret, obiecta species mulieris ad  
 flagitium inuitantis: quod signo crucis facile effu-  
 git, & vt dicebat, vigilandum non esse contra man-  
 data didicit. Septem etiam, quia ita tempora ferunt  
 vt in nostras admitrantur scholas, hæretici in foro  
 conscientia ab hæresi absoluti. Absolutus & Chi-  
 rurgus, quem vincula verberaque à patre inflicta  
 diu probauerant: sed euicit omnia, & hæresim abiu-  
 rauit, & bonis paternis libenter caruit, vt potiretur  
 æternis. Liberatus etiam à dæmonis insidijs & spe-  
 ctris facta confessione rusticus, qui à triginta quin-  
 que annorum spatio semel tantum & sacrilegè con-  
 fessus grauissima quædam siluerat. Eluxit in mona-  
 cho & sacerdote septuagenario diuina pietas, mi-  
 serumque luxuria perditum benignè respexit. Ergo  
 sacrilega & domestica agnouit abiecitque flagitia,  
 & Sacramentis omnibus munitus abiit è vita. Hæc  
 domi. Foris ista, siue excurrant nostri, siue concio-  
 num gratia Aduetus & Quadragesimæ ferijs demo-  
 rentur Valentia, Romoni, Montlimardi, Cretæ,  
 Annonæ, ad Sanctum Andeolum & Marcelli-  
 num. Inita felici euentu cum Ministris disputa-  
 tiones plurimæ. In illis accidere nonnulla risu sanè  
 miserationeq; dignissima. Leguleius enim vir alias  
 non indoctus, cum ad disputationem nostrum sa-  
 cer-

cerdotem impulisset, & vulgò apud suos hæreticos iactaret sacram Scripturam esse perfacilem, quæsitum ab eo est vt illum è Genesi locum explanaret, *Masculum & feminam creauit eos.* egregius doctor pro sua illa facilitate aperte *Adamum* androgynum (de Eua meliora non dixit) fuisse professus est. Irrisus obmutuit, & disputationi finem fecit. At Minister alia disputatione, cum theses eidem sacerdoti de lingua sacra in eadem lingua proposuisset, parum abfuit quin à suis in Isaram fluuium conijceretur; quòd vidissent nostrum non modò & benè Hebræa, in quibus omnino versatissimus erat, legere, sed alium præterea ignorantia conuincere, quòd & in scribendo sæpè aberrasset, &, quod turpius, in legendo. Alius verò de nostris absentibus triumphabat in hospitio. Adueniente casu è nostris sacerdote obmutuit, & cum hospite pactus est, ne aut se Ministrum diceret, aut de nostris locutum esse renunciaret. Oblatam verò à Ministro alio disputationem cum noster ad Præfectum vrbs obediãta regia reiecisset, & modestia à Præfecto commendata, & Ministri damnata imprudentia, & sacerdoti in exitu sponndit Magistratus, effecturum se vt modestia nostrorum Regi innotesceret. Obtulerant alij duo disputandi materiam. venere cum nostro Primarij ciues honoris gratia, & indicto tempore & loco affuere, sed gloriosi illi thrasones abfuere, & turpi fuga animos suis abstulere, nostris addidere. Atheismum deposuere duo, hæresim vndetriginta. in his priuatim reponam aliquos, quorum conuersio digna memoratu. In eorum ergo numero monachus concubina & spurijis relictis ad Catholicam religionem redijt. Redijt & alius, qui à Catholica religione defecerat, quòd ob leue crimen (sic ille iudicabat) à sacerdote non esset absolutus. Rediere & alij duo qui vxorum hæreticarum



cupiditate apud vxorios Ministros Missam eiura-  
 uerant. Redijt & aurifex, qui cum in via multa in  
 Ecclesiam, multa in summum Pontificem vt anti-  
 christum certissimum esset debacchatus, in mor-  
 bum incidit, quod ubi sensit vindictam esse læsæ  
 maiestatis Põnificiæ, ad nostrum sacerdotem ac-  
 currit, omnia exponit: & cum inter exponendum  
 multo sudore manaret, quod dæmonem videre se  
 affirmaret, occasionem ad pœnitentiam nactus sa-  
 cerdos oportunam, de facienda peccatorum con-  
 fessione admonuit, hominemque saluti corporis  
 animique restituit: felici omnino exitu. nam lenta  
 febre post duas à confessione hebdomadas corre-  
 ptus, magna significatione pietatis interiit. Ponenda  
 & in eodem numero mulier octogenaria, quæ  
 abiurata hæresi in conspectu B. Virginis, vt dicebat  
 astâtibus, obdormiuit. Quatuor etiam aliæ cõuer-  
 sionem fecere mirabilem, quod octogenariæ in hæ-  
 resi permansissent. Nec silendum quod puella nobi-  
 lis Ecclesiæ restituta affirmavit, se nunquam cœ-  
 nam hæreticam percepisse quin totis artibus con-  
 tremisceret. Memorabile quod sequitur. Mulier  
 quædam utroque parente hæretico nata & triennis  
 Geneuam deportata, hæretico nupta viro ad suos  
 reuerterat, ubi triennem iam puellam cum habe-  
 ret, ita luxatis omnibus membris debilem, vt nec  
 pedibus niti, nec manibus posset, admonita est à  
 vicina bona & pia femina, vt B. Virginem Dei Ma-  
 trem imploraret pro filia: cumque inuocandam  
 negaret: Ergo, inquit illa, vni trinoque Deo suppli-  
 ca Patri, Filio, & Spiritui sancto, vt in filia signum  
 ostendat, quo tibi manifestum fiat, num sit Dei  
 Mater oranda. fecit hæretica simpliciter, quod eam  
 facere Catholica simpliciter monuerat. Vespere  
 priusquam in lecto filiam deponat, eam supplex  
 offert Sanctissimæ Trinitati, & si quidem sperari  
 peti-

peti que à Maria Virgine auxilium potest, dari sibi signum in debili filia obsecrat; componit in cubili filiam. Et ecce tibi cum manè illam de more nititur attollere, strato surgit vltro puella, stat que in pedes, gressus que figit firmiter, ac deinceps nullius adminiculo sola graditur. Miraculum mirata mater vicinæ recipit Catholicam se futuram: sed mariti metu moram faciens filiam post aliquod tempus morte amittit, & nihilominus conuersionem differens, viro etiam viduatur: cum vrgente vicina tandem cõcionatorem Societatis adiit, apud quem hæresi deposita Ecclesiæ est reconciliata. Confirmati in fide sanè quàm plurimi; Parochus maximè cum subdita muliere, quos libido Geneuam miserat. Sed opportunè sacerdotis nostri colloquium à funesto itinere reuocauit, & vtrumque in officio continuit suo. Pluribus locis hæreticis fructu maximo habitus catechismus, nec edicta hæreticorum viros mulieres que, nec verbera pueros auertere potuerunt, & palàm Ministri grauiorem sibi concionibus esse catechismum iactauerunt. In confessionibus adhibita diligentia, cui par fructus respondit. In oppido vno Catholicis hæreticis que iuxta mixto die natalis Domini supra octingentos sacro Christi pabulo resecti. Pluribus verò locis audita de tota vita confessiones, tam multæ, vt à nostris sacerdotibus iniri numerus non potuerit. Sanè generalis confessio & pudicitiam & famam reddidit monialibus duabus, quæ castitatis deuotæ Deo terminos erant egressæ; hinc reddita pax quinque nobilibus viris, quorum discordiæ & forensia iura sustulerant, & consanguineos toto quinquennio inmutua vulnera sæpius armauerant; hinc inter duas familias potentissimas lites enatæ demortuæ; hinc adulteræ persuasa pudicitia, quam decennio coniugi non seruauerat suo; hinc à cæde & sacrilegio



fando quatuor auocati. Concionum verò fructus singularis vel inde colligi potest, quòd vno in loco compositæ Canonicorum lites, & meliore loco fama que mores positi: alio verò aliquot sacerdotes è cæno prægrandium flagitiorum eruti, pluresque impedimentis canonicis quibus astringebantur absoluti. Concionibus etiam tribuendum quòd Sacramentum Confirmationis, variis in locis aut ignotum aut neglectum ab omni ætate magno pietatis sensu passim susceptum; effectumque vt muris cingeretur cœmeteriũ. Hæc pietatis officia ita animos hominum nostris conciliarunt, vt aduentantibus vel principes viri obuiam irent, vel, vt cum sacerdote nostro loquar, oppida sese effunderent; histriones verò vrbe cederent, quòd Iesuitæ, in quiebant, histrionicam vrbe, in quam semel ponunt pedem, exulare cogant. Ponam hic seorsim aliqua quæ miraculo non carent. Puella nobilis & hæretica præstigiis quibusdam fascinata languebat miserabiliter. eam hæretici precibus suis leuare conati nihil profecere; pluribus concionibus effecit concionator noster, vt Catholici pro eius salute deprecarentur: quod vbi sæpius fecere, salutem obtinere puellæ. Grandiusculo puero dæmon in specie gallinæ albæ illudebat, & contumelias in parentes suggerebat atrocissimas, præterea præcipitium suadebat. Adolescentem duos annos vexauit illusio. precatio & diuini agni sacra effigies præsens illi remedium fuit. Vallis quædam, quam vulgus Gallorum Græciam vocat, extremo adiacet Delphinatu. illa quidem, quod mirere, tota Catholica licet, Episcopum à centum supra viginti annos viderat nullum Venit eò sacerdos, quem excepere Græciani crebra genuum flexione, crebrisque lacrymis: auditus instar angeli è calo lapsi. indicta tandem supplicatio, ad quam nouem oppida con-

uenere. Quis hîc non obstupescat? è cælo ruit plurimus imber, perfundit omnes, soli Græciani reliquis permixti mansere siccissimi. Quo diuinitus dato portento, ita illi in fide confirmati, nihil vt illis vera religione carius esse possit. Reliqua est Albenacensis Residencia. Redditi Ecclesię quatuordecim: in his inueteratus Calvinianus, & qui sexennio fuerat de consistorio. in his & mulier nobilis, quę patientia constantiaque in ferendis coniugis sui iniuriis & verberibus, tantum apud Deum potuit, vt illum etiam Ecclesię reconciliarit. Neque silenda est ancilla, quam cum paupertas ad querendum maritum Calvinianum adegisset, facti pœnitens egit cum marito de religione: quam ille cum non admitteret, contra malè pugnis multaret, non tamen antè illa destitit, quam maritum expugnarit, ei que paulò post fratrem suum adiecerit. Senem sacerdotem vita deprauata fecerat Calvinianum: errorem centenarius deposuit, & in pago mulier quę sola in bono Catholicorum numero erat hæretica. Memorabile quod sequitur. quidam eiurata hæresi à nostris, agnum Dei impetrauerat. illum cum nobili Calvinistę ostenderet: Videamus quæso, inquit ille, quid hoc serico lateat inuolutum. scalpellum ergo arripit, sed illo in tres partes disrupto magiam exclamat, vbi virtutem diuinam agnoscere par erat. Sacellum quod nostri extruxerant, & Spiritui sancto sacrauerant, à feriis Paschalibus ad Pentecostem ita frequentarunt multi, vt aliquando viginti quinque, aliquando triginta millia hominum sint censa. Hinc hæretici calumnię occasionem cepere, vt nostrum & Marchionis ipsius nomen ad regia tribunalia deferre parati, quòd nos seditionem excitaremus, quòd ille pecuniis verberibusque suos contra edicta regia ad fidem Catholicam amplectendam impelleret. Sed

tota



tota res diuinæ prouidentię argumentis certissimis non caruit. Cùm enim ciuium Albenacensium nomine querimonię conscriptę essent; ciues plerique omnes constantissimè id negarunt, & rogatus à Catholico Minister, quid de nostris sentiret, in nostrorum puritatem se & totum consistorium, cùm opus esset, subscripturum affirmavit. Hoc præcipuum, quòd cùm militis testimonio tota res niteretur, abiecto Calvinismo veram religionem amplexus est. Siluere ergo in præsentia. Recruduit res tota ipso SS. Eucharistię die, in eius honorem instituto Sodalitio, cui illo ipso die nomen ad quinquaginta dedere. Bini illi freudentibus hæreticis, collucentibus facibus, vel ad ægros cùm opus est, vel pietatis & honoris ergò singulis diebus Dominicis sacra fercula comitantur. Accensa ergo hæc Catholicorum pietate, hæreticorum in nos odia, eoq̃ue prorupere, vt nomen nostrum & Marchionis ad Regis tribunal detulerint. cõquesti hæretici quòd regia edicta infringeremus, quòd in eorum domum inuasissemus, quòd antè valuas erucem ingentem erexissemus, & campana sacra eorum ministerio obstreperemus, &, quod grauius erat, de cubiculo nostro per fenestram in eorum templum despicientem concionibus insidiaremur, & proinde nos esse, qui tota Viuariensi provincia eijceremur dignissimos. In eam rem Parisios ad Regem Marchio profectus est, à quo perhumanè exceptus, & de nostris rogatus quid agerent, qui essent, nihil respondit quod nos offenderet. Comprobauit euentus: à regio enim & priuato ( sic vocant ) concilio res ita composita, vt Albenaci nobis esse, Societatisq̃ue nostrę munerebus fungi liceret, campana & crux loco mouerentur, & per Iudices Albenacenses controuersia de domo tolleretur. Præstira omnia nullo nostro in-

commodo, nullo hæreticorum commodo. & præterea à comitiis quæ Albenaci conuenerant rerum publicarum causa, datæ hæreticis pecuniæ vt sibi templum coëmerent, & ne in posterum loco publico cum nostris concionarentur in terdictum, silentiumque de nostris impositum. Quibus ab eisdem potestas facta, vt in foro publico ad conciones ob rectū oportuno, donec templū ab hæreticis pridem dirutū restauretur, cōcionari liceret. Conciliati plurimi: in his nobiles duo, qui totos viginti annos in opimæ hereditatis litigio consumpserant. Inter nobilem generum, socerum socrumque ob quædam fucati honoris capita exorta tanta dissidia, vt diuortium coniugibus cædemque pluribus essent allatura: magno tandem labore illa omnia in honorem Dei commutata. Choreis iuuenes duo aderāt. rixati illi, vt ferè fit illo loco, & nudatis gladiis alter alterum confodit. Perempti frater dum parat homicidæ necem, incidit in nobilem homicidæ fautorem, à quo pessimè exceptus; facti tamen pœnitens nobilis, adiit confessarium, consiliumque exposcit. noster postridie tentaturus an aliqua spes pacis affulgeat, verberatum adit, obtinuitque vt nobili verbera, necem homicidæ fratris condonaret. Nobiles duo iniquam Beneficiorum vsurpationem deposuere. Domus à nocturnis laruarum ludibriis sacrosancto Missæ sacrificio peractō liberata. Sacrilegum silentium è confessionibus sublatum. In eo genere hoc nobile. mulieri ægrotanti Christus Dominus adfuit, eamque ad integram confessionem inuitauit. paruit Deo, & tranquillo postea animo fuit.



*Collegium Camberienſe.*

IN Collegio Camberienſi quanquam antea vige-  
 bat diſciplina Religioſa; plurimum tamen con-  
 tulerunt ad eam perficiendam litterę R.P.N. de flu-  
 ctibus ac procellis, quibus Societas iactatur, & de  
 piis eas ſedandi rationibus, ad nos miſſæ, & publi-  
 cè lectæ: his enim omnes ad volūtarias pœnas ſuſ-  
 cipiendas, ad conſcientiam circa propoſita capita  
 ſeriò examinandam, defectuſque emendandos, &  
 denique ad perfectæ & abſolutæ virtutis ſtudium  
 vehementer permoſti ſunt. Ex ſolitis noſtræ profes-  
 ſionis muniis præter uſitatos fructus, hos etiam  
 percepimus. Quinque hæretici Geneva egreſſi pu-  
 blicis noſtrorum concionibus excitati, priuatifque;  
 colloquiis edocti, Caluinianam hæreſim execran-  
 tes fidem Catholicam ſunt profeſſi, ſeque Sacra-  
 mentis neceſſariis debito ritu muniuerunt. Sed ad-  
 mirabilem & diuinam eleëmofynæ vim declarat  
 id exemplum quod ſubiiciam. Concionator no-  
 ſter hortatus erat populum ad liberalitatem, cum  
 in omnes egentes, tum præcipuè in vinctos exer-  
 cendam. eius oratione commotus ciuis quidam  
 locuples poſtridie mittit eleëmofynam præfecto  
 carceri, quæ cunctis æquabiliter diſtribuat. ad-  
 uocantur itaque ſinguli, quotquot erant in cuſto-  
 dia, cõueniunt omnes præter calamitoſum vnum,  
 qui iam decreto Senatus damnatus erat ad trire-  
 mes: quæritur ille, atque in ſuo ergaſtulo de trabe  
 ſuſpenſus inuenitur adhuc ſpirans: ſed repente  
 præciſa reſte ſemiuiuus eſt conſeruatus; & tandem  
 cum vix ad ſe rediſſet, ſuumque ſcelus conſeſſio-  
 ne expiaſſet, iubileum, quod tunc indictum illis  
 erat, conſecutus eſt, pœnamque anteactis crimi-  
 bus decretam lubens ſubiit, quam morte grauio-

rem existimauerat. Aliùs non ita multò pòst simili desperatione impulsus, cùm suspendium similiter cogitaret, à nostro sacerdote inuisitur: quem cùm piis ac salutaribus monitis ad spem excitasset, tum ille paulùm recreatus, Credo equidem, inquit, Pater mi, te diuini Numinis instinctu huc hodie accessisse, vt à scelere iam meditato me prohiberes: nam si cras venisses, me viuum certè non reperisses. Occasione Iubilei Tononensibus concessi innumeræ auditæ totius vitæ confessiones eorum qui nunquam, aut vix vnquam ritè peccata expiauerant; idque non modò ciuium Camberiensium ad Iubileum se comparantium, sed quàm plurimorum etiam qui ex proximis oppidis ac pagis Camberium ad nostros sacerdotes eadem ex causa cõfluebant. Itaque dici non potest quot rei alienæ restitutiones factæ, quot odia inueterata, & similitates extinctæ, quot à concubinato, nefarioque pellicatu abducti, denique quot alia flagitia sublata sint aut repressa. Duo magicarum artium probandarum causa cùm in nemus quoddam procul ab vrbe secessissent, atque ex his alter qui se alteri ducem ac magistrum præstabat, certis quibusdam characteribus conceptisque verbis dæmonem excire adorsus esset, repentè ex socij curiosè omnia contemplantis conspectu est abreptus. ille tam horrendo spectaculo exterritus Camberium accurrit, & rem ad sacerdotem nostrum continud detulit, à quo etiam statim confessione expiatus est, & absolutus. Quanta sit diuina in suos benignitas, cuiusdam amici nostri felicissimus obitus demonstrauit. Is ergo paucis antè diebus, quàm ex hac vita migravit, cùm mortem appropinquantem præsentiret, quendam è nostris Patribus conuenit, rogat vt se de vniuersis superioris vitæ peccatis confitentem audiat, si modò per occupatio-



nes liceat. Atqui, inquit. Pater, hodie non licet; (erat is dies cœnæ Domini) cras sub meridiem licebit. Postridie vir bonus Patri se sistit ad horam præstitutam; & generalem conscientiæ rationem magna cum animi submissione exponit, duos proximè consecutos dies piè ac religiosè traducit, templa & ædes sacras obit ex solemnî Christianorum ritu, precibusque vacat præter solitum: tandem ipso die qui Christo rediuiuo est sacer, ad Sacrosanctum epulum ritè comparatus accedit. digressus è templo domum cum quodam amico redit, fit sermo inter eos de rebus cœlestibus. tum ille, Quàm expetendū, ait, quamque optabile foret amice mi, post confessionis communionisque Sacramentū debito ritu susceptum ex hac ærumnosa corporis custodia educi! Optabat scilicet dissolui, & esse cum Christo. Quid multa? pergit ad solemnè sacrum, pomeridianam sumpto deinde cibo concionem audit. & demum cùm ad vesperinas preces progreditur in suburbanum quoddam templum; ecce tibi medio in itinere viribus deficitur sensim, reducitur de via domum, accersuntur medici, quiescere iubent. paret ille, atque in Domino placidissimè conquiescit. Ex quo nouæ classes ædificari cœptæ sunt, superiores nostri Gymnasij scholæ, quæ hæctenus orbæ ab auditoribus fuerant, discipulis abundare cœperunt. Vt perpetuari posset solemnî præmiorum distributio, hæc ratio inita est. Cœpit anno superiori Illustrissimus Dominus Gubernator Sabaudia, sumptus facere: successit hoc anno Senatus, sequentur anno proximè consequenti Præfecti ærario, tum vrbis Consules: post hos rursus Gubernator incipiet, ac subinde alij perpetua cum vicissitudine. Idem Illustrissimus Gubernator præterquam quòd vt pecunia à Serenissimo Duce nobis pro templi scholarumque

rumque exædificatione assignata numeretur, sedulo curat, ducentos de suo peculio nummos aureos adiuuandam templi fabricam liberaliter contulit. Domus nostris ædibus vicina & contigua, cum iam dudum ad laxandas Collegij angustias fuisset expetita, tandem decreto Senatus nobis adiudicata est, & addicta septingentis ferme nummis aureis, quos partim numeratos, partim in bonis nominibus collocatos habemus ex piorum ciuium munificentia. Præter alia non exigui pretij, datum est etiam eleëmofynæ nomine tantum argenti, quantum ad calicem, & sacram pyxidem conficiendam sit satis. Ostendit Senatus quanto studio Societatis nomen factum tectum vellet, cum nobili cuidam qui nos contumelijs ac probris affecerat, non solum multam pecuniariam imposuit, sed palinodiam etiam canere, & ea quæ contumeliosè effutiuisset, vt publicè reuocaret, suo decreto edixit.

### *Missio Tononensis.*

**A**Vditus est piæ memoriæ Reuerendissimus Gebennensis Episcopus Claudius Granetius, cum sub Iubilei finem diceret, in Chablasi Ducatu, locisque Gebennæ finitimis quindecim hominum millia ab hæresi ad fidem Catholicam nostrorum ope esse conuersa. Ab eo tempore auctus est hic numerus nouo non exigua aliorum, qui hæresim abiurarunt, multitudinis incremento. Nam vt de ijs taceatur qui in pagis ad Ecclesiam redierunt, vnus ex nostris, qui Tononi per Quadragesimam concionabatur, tres supra nonaginta ab hæresi absoluit. In his est mulieris cuiusdam ad memoriam insignis conuersio. Hæc enim quanquam maritum benè de orthodoxa fide sentientem haberet, tamen ex quo Tononenses religionem Catholicam receperunt,



ceperunt, inde vsque ſemper in Calviniano errore obfirmata manſit, vt neque minis, neque cohortationibus, neque habitis Iubilei tempore concionibus, neque argumentis, neque mariti precibus, neque vi morbi tam periculofis, vt ipſam extincturus videretur, conuerti potuerit. hoc demum Quadrageſimæ tempore cum à concionatore noſtro inuiſeretur, & quo tandem die ad ipſum veritatis agnoſcendæ cauſa veniret, interrogaretur; reſpondit, ſe quotidianis concionibus intereſſe, & concionantis ſuggeſto aſſidere, nihilque opus eſſe vt ad illum ventitaret. Decimo poſt die ad concionatorem ſponte, nulloque niſi Dei ſpiritu impellente, ſupplex acceſſit, vt ipſam, atque aliam quam ſecum adducebat, æquè ac illam in errore pertinacem, ad ſalutaria confeſſionis & communionis Sacramenta reciperet. Idem etiam tertiæ cuidam coniugatæ hebdomada ſancta euenit. Illud autem hiſce tribus permagno ad conuerſionem adiumento fuit, quòd ipſis intuentibus, Tononenſes ſingulis Quadrageſimæ diebus Dominicis, ad Dei iram placandam, hoſtiumque impetus retundendos, magna modeſtiæ, pari que pietatis ſignificatione, ſupplicarent, quòd Auguſtiſſimum Chriſti corporis Sacramentum per integram hebdomadam, publicæ populi qui eò certatim conueniebat, venerationi non ſine apparatu exponeretur; quòd Catholici frequenter conſcientias conſitendo expiarent, vt poſtea ſe pane cæleſti contra omnes omnium inimicorum conatus communiarent. Qua quidem in re illud admiratione non caret, quòd in medio bellorum incendio cum Gebennenſes Catholicis ſibi vicinis ferum flammamque minitarentur, cum Tononenſes noctu vrbe excedere, omnem inde ſupelleſtilem exportare hoſtium metu cogerentur, cum altarium euerſio, templorum direptio, ſacerdotū occiſio ex-

pectaretur, eo ipso tempore, tot vtriusque sexus ad Catholicorum numerum aggregati sunt. Neque verò in agris nostrorum cessauit industria, sed cū Parochi fugam arripuissent, nostri in parœcijs vi-ces Pastorum gesserunt, & permultos quorum certus numerus iniri non potest, ab errore ad veritatē traduxerunt, & tam ij qui Tononi quàm qui alibi morabantur, ne aliquid detrimenti religio Catholica pateretur, capitis discrimen adire maluerunt. eos sæpenumerò in periculis constitutos, & hominum opinione iamiam morituros diuina bonitas in hunc vsque diem per summum miraculum sartos tectosque conseruauit. Mitto nonnullos ex locis Bernensium ditioni subditis, relicto natali solo ad meliorem mentem redijisse. Mitto quàm plurimos in fide nutantes, nostrorum labore confirmatos, ita vt iam de nostra religione quàm optimè sentiant. Mitto fructum vberimum, quem nostri ex doctrina Christiana puerili ætati rudioribusque explicata sunt consecuti. In horum numero inuentus est quidam ita pietati deditus, vt eo morbo pestilenti, qui longè lateque finito Iubileo grassabatur, correptus, parentibus paulò antè quàm spiritum emitteret, gemitibus suspirijsque vocem comitantibus diceret, optare se vehementer vt ad an-reactæ vitæ peccata eluenda sibi humi mortem obire concederetur, idque à parentibus summa precum contentione deposcebat. Mitto tot libros Calviniana peste infectos, qui per nos flammis traditi incendio conflagrarunt. Illud non prætereundum, ex ijs qui non longè Geneva distant ducentos supra mille non ita dudum ad fidem conuersos, Tononum ad Iubilei effectum consequendum petijisse, eo dispositos ordine vt omnibus admirationi essent: singuli enim cereum elegantissima IESV nominis imagine insignitum manibus ferebant; quæ



res omnibus intuentibus argumento fuit, ipsos à Societatis Iesu Religiosis ad eius, cuius insignia gestabant, verum cultum fuisse institutos. Confessiones à nostris Tononi forisq̄ exceptæ, certo numero comprehendi non possunt. Vnus è nostris per id tempus quod inter festum omnium Sanctorum, & Natales Christi ferias intercedit, trecentas audiuit, quarum multæ generales erant ab incunte ætate repetitæ. Quidam recuperatam ex grauissimo morbo sanitatem acceptæ criminum absolutioni Sacramentali attribuit. Alius expiata cōscientia, receptoq̄ Eucharistiæ Sacramento, à spectris nocturnis affligi desijt. Inducti quatuor ad concubinas eijciendas. Persuasum nonnullis de nouo matrimonium contrahere, obtenta dispensatione, quòd antea cum impedimento dirimente contraxissent. Restitutiones plurimæ factæ; vna quidem 1300. florenorum, alia verò 60. alia item 20. alia 33. aureorum nummorum, alia calicis & patenæ, alia aliarum rerum incertarum. Certis locis sublatus mos se vino ingurgitandi. Exculti multi pagi copiosissimum tempore, quo pestilens quædam lues omnia ferè loca Tonono adiacentia inuaserat. Audita morientium confessiones; mandati sepulturæ mortui, magna populi ædificatione; Sacramenta collata, quòd in nonnullis pagis aut Parochi deessent, aut morbo detinerentur. Excultus exercitijs spiritualibus Reuerendissimus Gebennensis Episcopus, antequam initiaretur. Plurima quidem ille beneuoli animi signa dedit, quibus faxit Deus vt pares esse possimus. Multi viri graues eius exemplo permoti sunt, vt idem meditarentur, vnde non minimum animarum lucrum speramus. Tantum vnus auctoritate præstantis pietas, ad aliorum animos acuendos, virtutisq̄ ardore inflammandos, valet. Reconciliati permulti dissidentes, inter  
quos

quos mater, & filius, & alij qui ob cædem factam ad necem quærebantur à parentibus cæsorum, aut ab ijs ipsis qui vulnerati fuerant. Effectum denique vt extincta penitus odia quæ ardebant, partim mutui amplexus, partim confessio, communiõque testarentur.

### *Collegium Aniciense.*

**H**Æc operarum in agro Aniciensi seges. Templum atque exomologetica subsellia nihilo minus quàm antehac celebrata. Scholæ solito frequentiores; data Tragœdia mense Septembri, facta quæ solemnis præmiorum distributio. Et cum hæc, maiore ex parte, tum alia quæ mense Maio, à regijs Magistratibus veteri instituto tribuuntur, Parthenicis Sodalibus cessere Dedit Deus, vt nostrorum hortamentis impulsî nonnulli hæresin deposuerint, inque ijs vnus qui eam etiam armis defenderat; odia verò quàm plurimi. Oppidum erat ijs ita infestum, vt paucæ inibi familiæ essent, quæ eo vacarent malo. non antè inde pedem extulit Pater qui concionaturus aduenerat, quàm in familias singulas pacem atque concordiam intulit. Alibi quàm nobilium, quàm coniugum impeditæ cædes. Nauata ea varijs in locis in diuinum cultum opera, vt inde erga Augustissimum Sacramentum, erga Sanctorum reliquias, in templorum ornatu, in supplicationum vsu, religio maior extiterit. Vel vno in loco effectum, vt templi parietes incrustarentur, vt coram Sanctissimo Sacramento perpetuò lychnuchus arderet, vt cum sacra altaris sacerdotumque vestimenta, tum theca Eucharistica ex argento, ac tabernaculum curarentur; cumque in eos sumptus loco non opulento pecuniæ mendicato quærentur; tanta fuit omnium in largiendo alacritas, vt vel viduâ, quæ & ipsa



ipsa mendicatio pane victitabat, cum nihil aliud haberet, nuptiales annulos peculij ingētis instar hactenus asseruatos, dederit non rogata. Euangelico geminum exemplum. Dæmonum præstigijs variè ac varijs occursum locis. Vir erat grauibus sceleribus dæmoni mancipatus, atque ipsa, quod amplius est, ex ijs emergendi spe, potestateque propemodum destitutus. pœnitentiæ Sacramentum multos iam annos aut non vsurparat, aut vsurparat fictè. quotiescumque subibat animum vel leuis cogitatio pœnitentiæ vitæque melioris, ijs à malo dæmone ludebatur imaginibus, spectrisque terrebatur, vt vel inuito esset ea cogitatione desistendum: sed affuit demum Dei irascentis simul & miserantis manus, quæ nolentem sanatura, graui primùm corpus eius ac periculoso morbo percellit. is necessariam mortis cogitationem asserens, persuasit sacerdotem è nostris admittere: ab eo post multa æger eò perducitur, vt fraudes aperiat dæmonis, tum præteritæ vitæ peccata retexat. id ille facit spectris illo ipso tempore nequicquam occurstantibus, hominemque de sana mente deducere nitentibus. Fugatis per confessionem peccati tenebris, abeunt terriculamenta: ac paucis interiectis horis surgit æger è lectulo sanitati præter spem ac velut miraculo restitutus. Plura non desunt, sed ea vel quotidiana sunt, vel inferioris notæ miracula.

### *Collegium Biterrense.*

**I**N Collegio Biterrensi, eo maior in dies fit tum ciuium tum exterorū amor in nostros, quo grauius hæreticorum in eosdem odium. Nemo ferè est aduentantium in hanc urbem qui domum nostram non inuisat, & Biterrensibus gratuletur, de constructa tam feliciter Academia, non ad erudiendam

diendam modò iuuentutem, sed ad confirmandos in auita fide Catholicos, & hæreticos ab errore reuocandos. Clarissimus atque nobilissimus vir Dominus de Verdun creatus à Rege Protopræses in senatu Tolosano, dum Parisijs in prouinciam illam suam proficiscitur, Biterras diuertit, vbi honorificè exceptus cognouisse se dixit in ipsis ciuitatis portis, Collegium Iesuitarum, ita loquebatur, intra urbem esse. Id scilicet conijciebat ex carmine quod illi ad portas ex theatro publico recitatum fuerat, à duobus honestissimis iuuenibus scholasticis nostris, nomine Consulum, quod à nostris scriptum facilè intelligebatur. nec ea solùm præbuit beneuolentiæ in nostros suæ testimonia, postulauit ipso Pentecostes die, ad se venire vnum è Patribus nostris, ad supremum vrbis templum, à quo ibidem coram omnibus, peccatis ritè expiatis, Augustissimo Christi Domini corpore reffectus est: salutari vtique exemplo his in locis, Sacramenti huius hostibus plusquam expediret refertissimis. A meridie Collegium inuisit, numquam passus per urbem à latere suo P. Rectorem abscedere. Spectaculum scilicet tam ingratum hæreticis quàm Catholicis iucundum. Et ad viros nobiles cæterosque vrbis Magistratus qui eum adsectabatur conuersus, Isti, inquit, sunt Patres Societatis, à quibus mores & literas hausisse me fateor, quorum industria ac labore ciuitates Gallix nostræ viris pijs muniuntur ac doctis. & multa eiusmodi, quæ sine rubore, neque tunc à nostris audiebantur, neque nunc à nobis referri possunt. Exceptus in Collegio à scholasticis nostris omni genere versuum, dramate insuper pastoritio, quo Francus pastor ablatum sibi à Rege Verdunum querebatur; Aquitanus Deo, Regi, ac patriæ suæ rutorem conseruatoremque gratulabatur; tam vtique suauis vt lachrymas audientibus eliceret, illis ex  
suauis



suavi patriæ relictæ memoria, istis ex boni accepti iucundissimo gaudio. Auditis insequenti die quâ Catholicorum de hæreticis, quâ istorum de illis priuatis quibusdam querimonijs; non prius abijt quàm vocato ad se P. Rectori, & amantissimè in conclaue secretum intromisso liberalissimè atque humanissimè omnia pollicitus est de illa suprema curia, in qua fore se vtique eum qui expectabatur, nostrorum defensorem. Adiungerem huic complurium illustrium virorum tum Episcoporum, tum nobilium in urbem hanc profectioes: quorum alij nonnullo etiam suo incommodo solemnè orationi quæ in studiorum instauratione habetur, libentissimè interfuerunt. Omnes domum nostram atque adedò scholas ipsas ingressi magno non iuuentuti modò, sed Biterrensibus fuerunt incitamento. Itaque hoc anno ciuitas adiunxit pomerio nostro domunculam, & hortulū pretij ad 200. aureos nummos; viculum item publicum nobis commodum, qua parte sacellum nostrum est, claudi permisit, obnitente frustra de Magistratu, quodam hæretico, cui ex eo obstruendum erat posticum horti. Dedit etiam ducentas libras ad propylæum ædiculæ nostræ erigendum, pro loco satis magnificum & splendidum. Cœpimus quoque Collegij septa occludere alto muro, qua parte vicus est inter nos, & agrū hæreticis humanis datum. cumque ad pietatem domus nostræ visum esset grandem ex ferro crucem super angulo muri erigere, ecce excandescentes crucis inimici spargunt in vulgus, vt inuidiam in nos conflent, fodi à nostris cloacam subterraneam, qua subeuntes per Collegium ciuitatis mœnibus proximum hostes, in urbem intromittantur. & fabulæ quidem fundamentum fuit cella, quæ domi eo tempore fodiebatur egesta terra: nimirum ægrè ferunt reduci in viam veramque fidem quàm pluri-

plurimos, & nullum non mouent lapidem, quò famam Societatis oppugnent. Patent, vt anno superiore scripsimus, scholæ nostræ etiam hæreticorum liberis. id Minister hæreseos, & scilicet eiusdem farinae æmuli, molestè ferre, publicè ac priuatim expostulare. causa in promptu est, quòd pueri vnà cum litteris Christianam pietatem edocentur. ergo illi, cum hoc anno vnus ex illis qui Logicã apud nos audiunt, hæreticis parentibus natus, eorum metu, & ob tragœdias, quæ in huiusmodi rebus excitari solent, ad abiurandam hæresim Auenionem contendisset, indeque litteras dedisset ad Patrem, malle se patris & patriæ quàm animæ iacturam pati; rogare inquam illi, & impendit in ipsa curia Præsidem, & Magistratus obsecrare, vt ludum suis aperire liceat, seduci à nostris iuuentutem & erroribus imbui: sed vanis eorum postulatis opposuit sese vir de nostris optimè meritus Iacobus de Iesé, patronus Regius, & qua plurimum pollet eloquentiæ vi, nostrum nomē tutatus est. Fremant ergo illi quantum volent, non pauci tamen hoc anno ad Ecclesię portū ex illo naufragio sese receperunt. Vnius insignior conuersio. Ministello concionanti excidit aliquando vt diceret primis illis Christianorum sæculis exhibitum fuisse cruci Christi honorem. quod excipiens nobilis quidam iuuenis, Cur ergo & non à nobis etiamnum hodie? & is inde dubitare cœpit de fide sua; at coram suis illis de inconstantia acerrimè reprehenditur, absens litteris vexatur: tandem à nostris apprimè in Catholica fide informatus, abiurat hæresim, obgannientibus nequidquam parentibus hæreticis. Prosequuntur nostri diebus Dominicis erudite Catholicos in pago Begeanensi, vbi hæreticis concessum est suas habere synagogas. Catechesim item in vrbe, magna cum frequentia & fructu, vt & reliqua pietatis  
Chri-



Christianæ à nobis obiri solita. Nam & xenodochio ita prouisum est à nostris, singulis vt hebdomadis quatuor honestæ matronæ pauperum necessitatibus subueniant. Et reducti in gratiam dissidentium animi. Duo primæ nobilitatis viri iam ad duellum die dicta, cõcitata magna parte nobilium totius prouinciæ in procinctu erant ad cõgredendum; cum ecce Patris vnus ex nostris eò missi suauis oratione, placantur iræ, gladij è manibus cadūt. Aliquot item alij qui duos annos odij intestini causa à Sacramentis abstinebant, nec nisi alterius cæde cõponi res posse videbatur; ita cõciliati, vt generali etiam totius vitæ exomologesi animos omni labe expiarent. sic vxores cum maritis, & matres cum liberis nostrorum hortamento in gratiam rediere. Insigne illud viduæ cuiusdam, cui cum duo superessent familiæ nutantis columina, liberi iam adulti; ecce tibi mors domi vnum abripit, alterum Mars foris. illa quasi lymphata debacchari in eos quos auctores fuisse filio bellicæ profectiois existimabat; at monitis nostrorum ita demum ad sanam mentem reuocata est, vtrò vt ad illos sibi suspectos adiret, supplicabunda veniam postularet, illi verò pro sua parte omnia ipsi liberalissimè pollicerentur. Puella quædam desperabundæ similis, in puteum sese conijcere statuerat, & iam ferè è crepidine retracta, ad nos adducta salutaribus monitis iuxtà atque interminationibus ita mutata est, vt depositam illam sui curam resumeret, & culpam desperationis spe veniæ, inò venia per confessionem accepta elueret. Et ad hæc quidem consilia referre possim fructus eos quos Domino collegimus siue per conciones ab vno è nostris in principe templo habitas, siue per pias cohortationes, aut exercitia spiritualia B.P.N. Ignatij; quibus ita sentiente Reuerendo P. Prouinciali excultæ sunt mulier vi-

dua, cum nepte, & duabus alijs virginibus, quæ in  
ijs tanta iecerunt pietatis ac religionis fundamen-  
ta, vt reiectis iam sæculi blandimentis Sacramenta  
singulis Dominicis frequentent: nec aliud quàm  
Deum spirent, cui religiosè seruire queant, quod  
iam facere incipiunt amore mutuo, familiarique  
conuictu. Per expiationis etiam Sacramentũ multi  
fructus in proximum à nostris deriuati sunt. Extra  
solemnes & statas confessiones vnus è nostris cen-  
tum circiter generales audiuit, quæ superiorum  
omnium malè obitarum damna resarciuerũt. Fue-  
re item non pauci, qui nostrorum operã vt cum re-  
formidarent, partim quòd rationem sui expurgan-  
di nescirent, partim quòd peccandi licentiam sibi  
olim subtractum iri arbitrarentur; vbi semel sua-  
uem nostrorum ac pium zelum eo in munere ex-  
perti sunt, non se ipsos modò, sed alios bene multos  
ad eadem pietatis officia mirabiliter excitarunt.  
Itaque reperta vis hominum satis ingens, qui con-  
ferta sacerdotum externorum suppeditante copia,  
vt vni è nostris animi sui arcana panderent, decem  
quindecimue dies confiteri sustinuerint. sic nostris  
facile & intrepidè sese committunt. Vocati etiam  
sæpè ad moribũdos nostri. Accidit bis, vt paulò tar-  
diùs, & tantum non amisso sermonis vsu, acciti vt-  
cumque auditos absoluerent, cum promissò si con-  
ualescerent totius vitæ rationes retexendi, & ægri  
valetudinem recuperauerint, & non immemores  
beneficij promissa compleuerint. commendant se  
item enixissimè nostrorũ precibus, in quibus ma-  
gnam spem collocatam habent. Honestissimæ ma-  
tronæ, quæ cum familia sua nostrum sacellum fre-  
quentat, cum esset filia vterum gestans tam enor-  
mi mole, vt magno cum vitæ periculo vix aut ne  
vix quidem emissurã foetum videretur; vtraque ad  
sacerdotem nostrum venit, Sacramentis ambẽ mu-  
niuntur,



niuntur, Patris nostri precibus ac sacrificijs sese commendant. non multis pòst diebus eo ipso tempore quo sacerdos ille rem diuinam pro ipsis facit, enixa est mater tam felici ac facili partu geminos, tanto omnium stupore ac gaudio, vt extemplò gratias nobis agerent, nec obscurè appareret precum fructus diuinumque beneficium. sed nimirum id iussæ sunt ad Eucharistiæ effectus referre non nostros, quemadmodum & quod cerei virtute agni contigit. Domus vicina Collegio ardebat igne grafsante per cumulos paleæ aggestos, onerandis minimum decem aut duodecim curribus. notum ibi fuit accurrentibus ex tota ciuitate, vim illius sacratæ ceræ pugnare in ignem, ac flammam extinguere. ibi enim cum quatuor aut quinque diuersa in loca nostri eam proiecissent, ex ea se repentè parte ignis proripiens in aliam ferebatur: donec eius beneficio omne sopitum incendium est, vix tertia parte straminis exhausta. Mitto libellos tam impios quàm impuros concrematos, quorum loco suffecti pij ac puri. eos item qui vel beneficijs non coherentibus, vel vsuris non leui etiam cum rerum priuatarum dispendio se liberarunt. Extra vrbis mœnia etiam nostrorum excurrit labor. Sacerdos noster cum socio missus Cessenonem (locus est tres ab vrbe leucas distitus) ieiunij verni tempore, quâ cõcionibus; quâ salutaribus monitis rem diuinam ita restitauit ibi senescentem, vt qui antea vix dimidio Missæ sacrificio atque adedò ægrè interesse consueuerant, tam frequẽtes in eo atque assidui fierent, vt nõ nisi duobus aut tribus peractis sacris domum se recipere. Confessiones totius vitæ auditæ ibidem quamplurimæ, eo pœnitentium sensu, vt palàm dicere non erubescerent eum esse primum diem quo se peccata eluisse sentirent. tam vberè consolationis rore perfundebantur. Fuit ibi senex annorũ

70. qui morbo correptus cùm sacerdotem nostrum ad se vocasset, ei se tam præclare affectum ostendit, vt ad indusium vsque paratus esset exspoliare sese, quò omni fœnore atque vsuris ad vltimum quadrantem iuxta Patris præcepta emergeret. quod ita præstitit vt ducto peccatorũ ab initio ætatis numero penitus expiatus, omnibus fuerit admirationi. Ibidem aliquot impiam hereticorum sectam exolũ, in vnus Christi & Orthodoxorũ verba iurarunt. Magna denique non in vulgo tantũ, sed & ipsis factorũ Antilitibus, facta vitæ in melius mutatio. Et quoniam agricolis adesse concioni quæ manẽ fiebat per rustica eorum negotia non licebat, ad vesperam communi consensu dilata est: quo tempore rure reuersi ita conferti ac spissi sese conferebant in templum, vt in paruo loco quadringenti penè singulis diebus verbum diuinum audirent, eo mentis ardore, vt cùm oppidanorum aliquis horam illam ferotinam concionibus habendis dictam improbareret, aliosque ad defectionem sollicitaret; re accepta monitus ita sui erroris pertæsus sit, vt se ipse summa aliqua pecuniaria in templi restaurationem impendenda mulctarit, cæterosque deinde ad concionem vocandos suscepit, certante cum eo de hoc pietatis officio, octogenario quodam sene pio ac viuido.

### *Domus Probationis Auenionensis.*

**I**N Domo Probationis numerus est vno fratre Coadiutore imminutus. is triginta & amplius annos in Societate ita vixerat, vt otiosus (quod in illo peculiare admodum fuit) sit visus nunquam. Tandem acerrima dysenteria captus, qua per duos circiter menses est agitatus, cùm perpetuis stomachi viscerumque doloribus torqueretur, tam ex-

qui-



quisita fortissimi corporis patientissimiq̄ue animi dedit exempla, vt qui illum viferent omnes, singularem hominis virtutem inīrati, nouum quendam ad pietatem ardorem haurirent. vix vnquam ingemuit ad mortis vel cogitationem, vel denunciationem nunquam extimuit. quin imò cū vis morbi in longum traheret, inuisus aliquando à P. Prouinciali, Iube mi Pater, me, inquit, mori, vt & hoc molestissimo corporis pondere exoluar breui, & hoc meo postremo studio, Deo meo, & obedientiæ testatum relinquam obsequium; & qui nihil mihi hæctenus conscius sum tot annis boni egisse, saltem isto exitu ex obedientia concepto, parte aliqua vitæ superioris errata corrigam. Respondet P. Prouincialis, nec posse se, nec velle mortem imperare; si tamen Deus constituerit, tum iubere se, vt illius æquissimis iussis obtemperet, eumq̄ue ex obedientiæ nutu atque præscripto reducat in cælum. Summum ac penè vnicum in toto morbo, præsertim iam in exitum inclinante solatium extitit, aut aliquid ex Christi cruciatibus audire legentem loquentē me, aut Crucifixi imaginem præ manibus tenere, aut etiam Christi crucem baiulantis effigiem ex aduerso pariete pendentem aspicere: ex quo spectaculo inuisitatae cuiusdam voluptatis fructum capiebat. ad eò vt dimidia etiam hora ante obitum (quod & aliàs sæpe faciebat) Christi eiusdem è cruce pendentis imaginem auidè complexus, iam capiti, iam lateri, iam pedibus, iã spinis manibusq̄; defigeret dulcissima oscula, hærens paulisper ad singula quasi ad secundum meditandi modum attentè defixus. atque etiam vix horæ quadrante ante extremum halitum, quasi in aduersum dæmonem, hanc ipsam quam rarò dimittebat è manibus crucis effigiem, cum singulari quadam attentione conuertit, statimq̄ue

inter illa vltima extremæ commendationis verba, & vinculis carnis exutus, & pacatissimè, vix vt agonis species aut morientis vlla appareret, Deo animam reddidit. adèd & mentis sensusque constantiam, & pietatis instituti que religionè vsque ad extremum spiritum tenuit. Visus etiam est mortem præsentiscere; prium enim vt se morbo correptum sensit, dum è suo ad infirmorum cubiculum ducitur, vt ventum est ad sacelli fores, Sinite, inquit, me Christum in sacello salutare; extremum enim iam salutabo. Præterea toto morbi decursu cum sæpe medicus cæteri que sperarent, ille constanter assererat hunc sibi postremum morbum fore, semper que adèd se paulatim ad certam mortem comparabat. denique triduo antequam moreretur, nuntiatur à Patre, qui illi strenuè semper adstitit, post quadriduum instare peruigilium Conceptionis Deiparæ. ille commutata voce, Imò, inquit, ad crastinum. tum Pater, Ego aio peruigilium Cõceptionis. Et ego, inquit ille, meæ cõsummationis; itaque accidit. post triduum enim decessit è vita. Par fuit pietas alterius tironis non vulgaribus naturæ gratiæ que donis instructi, sed dispar multò exitus. Is duodeuiginti annos natus adolescens, febre pertinacissima grauissima que enteria totis binis mensibus extenuatus eò redactus erat, vix vt iam cutis ossibus hæreret; iam que conclamatus à medicis, & extrema omnia expertus pro mortuo relinqueretur. ex insperato votis Societatis ex deuotione conceptis, statim ad sensum meliusculè habere cœpit; sic vt & medici mirarentur summo opere, & nostri non iam pro sanato, sed pro excitato à morte gestirent. In diuturna illa ægritudine, duo admodum illustria nostris exterisque exemplo fuerunt. Primò cum medicus id morbi genus diceret certò capitale, ita ille dolo-



res tulit, vt non modò nunquam aut quereretur, aut ingemisceret, sed hilari semper atque ad risum composito vultu, etiam cum vix vita vlla suppeteret, omnes in maximam admirationem adduceret. tanta deinde animi tranquillitate atque constantia fruebatur, vt colloquētes de cælo ac de morte tanta cum voluptate audiret, quasi mors ad illum, aut ista tota vita, aut humanæ res omnes nihil omnino pertinerent. Itaque fratrum nostrorum illi vel communicaturo, vel Extremã vnctionē accepturo adfistentium aspectu recreabatur, vt quot Fratres, tot se angelos videre sibi videri diceret; affirmaretque verbis vllis explicari nullo modo posse, quam solida voluptas, quàm secura ac tranquilla quies, quàm effusum, etiamque ad sensum pertingens gaudium sit animo iam iam ex hoc corpore euolaturo, hominis se in Societate IESV mori recogitantis. qua vna ille cogitatione, & dolores omnes suaues ducebat, & mortem penitus contemnebat. Communis eius insperatam valetudinem congratulatio omnium nostrorum excepit, quòd tantæ virtutis exemplum esset à destinatissimo interitu ereptum. Aliorum tum qui recens à sæculo in Societatem fuerunt adscripti, tum qui ex institutionum præscripto se in schola affectus tertio anno probationis exercent, haud paulò spectatior enituit industria, tum in omnibus Societatis probationibus obeundis, tum in prauis animi morbis & cupiditatibus frangendis, perfectaque quam B. P. Noster exposcit, sui abnegatione omni studio procuranda. Vnus iam magnis honoribus functus in sæculo, eques Lugdunensis Ecclesiæ Abbatiam illustrem pro Christo abiecit, deincepsque seriæ solidæque vocationis exempla perillustria exhibere non destitit. Subodorati ij quorum id negotij erat, ex rumore illius in Societatem ingressus illius

Abbatiam cæteraq; opima beneficia ambiri ab hominibus quibus ea cedere è re Catholica non esset; iubent, affinium rogatu imprimis qui huic malo etiam occursum cupiebant, è tirocinio, repetito Abbatis habitu exire in patriam, vt quod in rem Catholicam esset, commodo loco inuidendam Abbatiam collocaret. Ille iam comparatus ad omnia ex obedientiæ voce suscipienda, rem sibi ipsa, vt dicebat, morte grauiorem aggreditur. ex paupere Nouitio subito in honoratum Abbatem conformatus ad tempus, vanitatis antiquæ quasi personam accipit, vestem sericam reliquumque apparatus admittit, ipsas veteres sæcularis vanitatis ineptias quas ferè dèdidicerat renouare cogitur. in summa, etiam eò appulsus comperit Beneficium à Rege præsentatoribus adiudicatum. ipse Abbatiali pompa rem diuinam peragere, res familiares componere, pristinos mores aliquanto tenere compellitur. Eius conspectu diffluunt omnes & euanescent. re ad extremum, vt iussum erat, ad vnguem summis etiam perruptis difficultatibus, composita; sæpe à suis frustra vt maneret allectus, dies ac momenta, quo se illo veterum nugarum grauissimo onere leuatum videat, numerat: post vnus atq; alterius mensis longissimas moras, deposita sæculari illa larua quasi de nouo mundo relicto, incredibili cum lætitiæ sensu, ad suum tirocinium solidarumque virtutum, quem iam seriò ceperat cursum reuocandum explendumque reuertitur. Alius adolescens egregiis ingenij ornamentis iam clarus, eoque viduæ matri cui vnicus erat, ad summum carus; ita cum matre amore, sollicitudine, precibus, lacrymis, eiulatibus querelisque certauit, vt demum mater haud vulgari Christianæ virtutis exemplo, summo dolore quem inde capiebat superato, orbitateq; posthabita, Deo



Virginiq̄ue Deipare, ad diem Purificationi sacrum, in nostro templo ritè sumpto Augustissimę Eucharistię cęlesti pabulo, eum ipsa inter lacrymas gemitusq̄ue deuouerit; seuerè testata, si alium Ordinem quàm nostrę Societatis complexus fuisset suus ille vnicus, futurum fuisse, vt ea sibi iusta certaq̄ue mortis causa existeret: summum tamen amorem, summamq̄ue quam de illo iure conceperat expectationem amore Dei, & studio quo Societatem prosequeretur, aliquanto leniri. Alia matrona nobilis & honorata, & illa quidem vidua ac Nemaufensis, ex media hæreticorum colluione suum alium filium non vnicum quidem, sed haud multò minùs carum, exquisitaq̄ue morum suauitate sibi suisq̄ue amabilem, pro egregia qua est in Deum & Societatem voluntate, ipsa Auenionem ad P. Prouincialem adduxit. Pater in sacello Domus Probationis rem sacram fecit, matri natoq̄ue sacram communionem dedit. illa eum Deo constantissimè Patriq̄ue obtulit: poscenti filio atque in genua procumbenti ipsa erecto vultu animoq̄ue, siccis oculis, tanto cum sensu pietatis maternam benedictionem impertiit, tam solidè ad constantiam ac perseuerantiam est adhortata, vt ipsi P. Prouinciali lacrymas ipsa nihil prorsus tum commota excusserit. Ex iis qui in tertio Probationis anno exercentur, Natalitiis feriis aliquot ad vicina oppida missi, haud pœnitendos suę industrię manipulos reportarunt. Vno in loco, post vnicam ad festum D. Stephani habitam de condonandis iniuriis concionem, plusquam viginti paria quę vel diuturnas gerebant inimicitias, vel se à vicinorum colloquio & societate distraxerant, in gratiam redierunt. Ibidem circiter triginta, qui sacrilego dæmonis suasu per multos annos grauissima scelera occultarant, redintegrata totius malę

actæ vitæ recognitione ad sanio rem mentem sunt vitamque traducti. Duo præterea inueterata adulteria, scelere copulata dirempta fuere. Adolefcens dolo circumuentam virginem grauidam reliquerat, atque ne eam in matrimonium accipere cogere tur, suafu patris aufugerat. Pater adolefcantis qui cum patre puellæ ex eo cafu valdè afflicto, etiam haud occultis inimicitiiis diffebat, primò ad omnia impenetrabilis, tandem fuafus eft vt & puellam filio datam vellet, & eo folido vinculo amicitiam redintegraret. Vni miferò homini ad diem diuis Innocentibus facrum fua domus in eodem oppido fubito correpta incendio, adeoque cum domo res tota conflagrauerat. Pater pro concione hominis miferiam commendauit. nec fruftra: extemplò enim mifer, qui ex eo cafu penè in infaniam verfuf totum oppidum desperabundus miferandis clamoribus commouebat, accepit eleëmofynas vnde domum familiamque collapsam cum lucro etiam reftitueret: cùm in eam rem primarij ciues adacti oblatas ad fores templi eleëmofynas magno pietatis exemplo colligerent.



## PROVINCIA FRANCIÆ.

*Collegium Mussipontanum.*

**M**USSIPONTI è nostris quinque supra octoginta vniuersè numerati. sex & sexaginta versantur in Collegio, vnde viginti in conuictorum contubernio. sacerdotes ex eo toto numero duodequadraginta: ex his septē publici professores, quibus alij quatuor accedunt nondū sacerdotes: auditores quā Theologiæ, quā Philosophiæ septeni deni: rei familiaris Adiutores viceni quini. in Societatem cooptatus vnus. tres emenso Theologiæ vniuersæ curriculo ad tertium Probationis annum transiere; ad meliorem autē vitam, vt confidimus, totidē: in his minister Collegij. Alter P. Martinus Nicodesius rerum spiritualium inter nostros Præfectus; vir multus in studio veræ consummatæque virtutis, qua nostrorum animos non magis in amorem, quàm in venerationem sui cōuerterat. nec ex alia re manifestiùs id perspectum, quàm ex tristissimo desiderio quod moriens reliquit vniuersis, quibus viuens ad omne pietatis officium religionemque facem prætulera. Tertius obiit R. P. Magio Visitatori Galliarum comes additus Coadiutor laicus, obedientiæ laude insignis. Porro tanti Patris aduentus, & semestris penè commemoratio quantū huic Collegio, Academiaeque, atque ad eò Prouinciæ vniuersæ contulerit, verbis persequi difficile est. Addidit huic Prouinciæ Collegia duo, Dolanum & Vesontionēse, quæ prius in Lugdunensi censebantur: mox etiam arctius vltro citoque commeantium nostrorum commemoratione coniuncta. atque vt breue faciam, magnum calcar.

calcar ad perfectionem instituti nostri persequendam singulis addidit, multa ad interiorem disciplinam spectantia sapienter instituit, ad exteriorum studiorum rationem multa: quibus perfectum est ut Academia iam florenti haud mediocris ad splendorem facta videatur accessio. Id temporis Iubileum Serenissimi Lotharingae Ducis, & Illustrissimi Caroli a Lotharinga Cardinalis & Legati operam in celeberrimo D. Nicolai templo oppidoque apertum est; quod ex hoc Collegio ad tam vberem messem colligendam nostri aliquot amandati. cum verò redundaret affluentium non modò è Lotharingia, sed è vicinis vndique prouincijs hominum multitudo, nec posset a plurimis sacerdotibus fieri satis, certae hominum conditioni & generi permissum, ut in nostro templo Mussipontano Iubilei fructum indulgentiamque susciperent. Et extitit derepentè magna apud nos vitae maculas abstergere cupientium vis atque frequentia. exceptae ab vno totius vitae confessiones plus minus centum; vulgoque tantus pietatis sensus extitit, ut erumpentibus vberim lacrymis eum proderet, quin etiam in Principem suum iam satis incitati ex hoc capite vehementius etiam animarentur, quod eis tantum à Pontifice maximo beneficium impetrasset. Auxit hunc numerum frequentiamque D. Primicerius & Suffraganeus Episcopi Metensis, qui per id tempus bis in aede nostra sacros Ordines, innumeræque omnium ordinum multitudini Confirmationis contulit Sacramentum. Sed & inter honestiores matronas religiosum exarsit studium, piaque contentio ad rem diuinam pro virili amplificandam. Etenim cum intelligerent praeter multitudinem conuenarum ad D. Nicolai minus singulis (vti diximus) ex sententia rem succedere (nam & plerique hoc nomine inde reuersi iteratò apud nos Sacramenta obiere) ipsae

occu-



occupantes hoc pietatis munus, quotquot poterant in vijs occurrentes ad nos adducebant. quoque certius & fructuosius allequerentur quod intendebant, ab eis modum ritè crimina expiandi edocebantur. Nec in tanta opportunitate sua laude caruit auditorum nostrorum pietas, aut in vsurpandis cilicij ardor, in comparandis industria, in dissimulandis prudentia, vt nonnunquam confesarij ipsi prius hisce rebus vsos compererint, quam suspicari possent, aut omnino scirent posse talia reperiri. & fuit qui se voto obstringeret, si ad classem superiorem promoueretur, ad certum numerum ieiuniorū & gestationis cilicij. Auget utique Deus tantam indolem firmata iam stirpe virtutis florentem multiplicis doctrinæ fœtu & ingeniorum vbertate. nusquam maior scholasticorum numerus aut Academiæ celebritas. Sub instaurationem studiorum numerati trecēti quinquaginta supra mille: in his centum è prima nobilitate Lotharingæ, Galliæ, Germaniæ, Religiosi diuersorum Ordinum quam plurimi. nimirum in citerioribus hisce regionibus huius Academiæ magnū nomē, quamuis id incommodo & periculo interdum non vacet. Huc illa pertinent. cum intermissa de more studia repeterentur, datus in theatro S. Alexius patrio sermone in gratiā Serenissimi Principis Frācisçi Vaudemontani Lotharingæ Ducis filij. adfuit ipse Dux cum liberis omnibus & cætera nobilitate: item proximo die tum matutinis horis, cum Doctores in Theologia duo è nostris creati; tum vespertinis, cum palmaria iuuentuti præmia distributa liberalitate & munificentia Illustrissimi Principis Henrici Vaudemontani, Francisçi filij, Caroli Lotharingæ Ducis nepotis. Nusquam iucundiori spectaculo interfuisse visū sunt, vnde & vltro polliciti anno sequēti se rursus affuturos. Cardinalis autem à Lotharin

tharingia ita præmiorum distributio arrisit, vt se munerarium in primum annum sponte obtulerit. Sed præcipua est Partheniorum commendatio virtutis. ex hoc cœtu plerique perfectioris vitæ studio accensi, ad varia Religiosorum instituta sese applicant, non pauci ad Capucinatorum Ordinem. Obijt ex eo numero adolescens insignis ob naturæ dona, insignior ob virtutes animi, quibus id ætatis maturus cælo visus est. Is D. Alexij personam cum latinè daretur (bis enim data est) mira cum audientium probatione sustinuerat, quorum plerisque expressit lachrymas, dum eius fronti, actioni, moribus velut impressam sanctitatem contemplarentur Alexij: sed vt alijs multum contulerit hæc historia, ipsi quidem certè plurimum. hunc enim ad eam mundi despicientiam & ad Societatis ineundæ studium usque ad eò excitauit, vt nusquam patris, patriæ nusquam sine fastidio meminisset, reditū verò ad suos tantopere auersaretur, vt nihil se vehementius horrere haud obscuris indicijs præ se ferret, & clausulam habuit tam generosæ inductioni parem. Cùm vi morbi confectus iaceret, æquissimo se animo mori dixit, siquidem id visum esse Deo. ad postremum ritè perceptis omnibus Ecclesiæ Sacramentis, pijs identidem B Virginem, quam patronam nuper adoptarat, in cuius imagine defixum obtutum tenebat, colloquijs appellabat: mox aqua se lustrali perfundi iussit, Salutationem angelicam iterans. tum, Satis est, inquit; & non nihil submurmurans quid diceret interrogatus; Diabolus est, ait; quo fugato, reliquum vitæ spatium suspenso in Deum, Deiparam, ac B. Franciscum, cuius funiculum gestabat, animo quasi placidissimè consopitus obdormiuit in Domino. Cùm autem efferretur à Sodalibus corpus, eo suprèmi honoris officio & pietate Sodalium ad eò commotus est adolescens, qui in omnem



omnem morum licentiam effusus, patrum auctoritatem, suorum consilia respuebat, ac planè depositus videbatur, vt protinus superiorem vitam detestaretur, & enixis precibus contenderet vt aggregaretur in numerum Sodalium. quæ ingenij repentina cõuersio magna admirabilitate defixit omnes, qui eius mores ad perniciem profligatos norant. Sequentis etiam non modò felix, sed & expetendus finis fuit. Obijt puella septennis ipso assumptæ in cælum Virginis die nata, & ob id Maria dicta, parentum delicia & amor, quam incredibilis morum suauitas, in parentes obseruantia, supra ætatem in ediscenda doctrina Christiana sedulitas conciliabant. Hanc vbi primùm ex morbo decumbere nunciatum, (nam apud consanguineos in vicina ciuitate habitabat) eò cõfestim pater aduolat. mater religiosa vtique femina, cum vt fit de salute filia anxia ad multam noctem cogitaret, sub mediam vigilans testata est exauditas à se clarè distincteque has voces, De filia nihil labores, ego illam apud me esse volo, & ab angelis in sinum meum complexumque asportari curabo. Nec illa ancipiti cogitatione distracta dubitansque quin hæ essent Virginis Mariæ voces, pia mulier in genua medio lecto assurgens, Fiat, inquit, ô Domina, volûtas tua. nec enim ignoras à me dudum diuino obsequio consecratam si superstitem Deus voluisset, & institutum religiosum amplecti; hanc æquo animo in manus tuas addico. easdemque voces indidem à se exceptas æquè distinctè non multò pòst, & testata est, & vt ei credi debeat, vita antea acta, religioque mulieris fidem facit. Alio quodam pago in pari pietate matris alterius prodigium dispar extitit. Mater familias est, quæ vt Sunamitis Heliam, haud secùs nostros hospitio perlibenter accipit: cum verò ad languorem diuturnum quo filius tenebatur depellendum mul-

tentasset, ad extremum damnata medētium ope  
 petijt, atque adedò impetrauit a sacerdote nostro, vt  
 puero benedictionem signo saluari impertiret:  
 quam saluti fuisse (paucis enim diebus puer persana-  
 natus omnino conualuit) familiaribus ipsa postea  
 constanter affirmauit. Pij domi commentationi-  
 bus B.P.N. Ignatij plerique exerceri voluerunt, alij  
 se haud ægrè persuaderi passi Ex his vnus cum gra-  
 uiori quodam scelere implicatus animum induce-  
 re suum non possēt vt id in confessione adaperiret;  
 ipso die quo primū in hæc exercitia incubuit, quod  
 sacrilegè diu scelus in cōfessione obeunda reticue-  
 rat, non modò nudè aperteque, sed & magna do-  
 loris significatione aperuit. Alius quidam obdu-  
 ruerat & firmauerat animum in deliberationē sibi  
 iuxtà perniciosam & suis, quam nullis credebat ex-  
 exercitijs molliendam: vbi verò hæc adhibuit, sensim  
 sine sensu pernicacia cessit, nec modò non repu-  
 gnanter, sed & libenter Deo manus dedit, vnaque  
 sibi suisque saluti fuit. Nec minore cum ciuium  
 suorum vtilitate alter ex eadē prodijt officina. Mos  
 antiquus in templo primario Musipontano manè,  
 meridie, vespereq; ad æris campani signum B. Vir-  
 ginis consalutandę diuturnitate temporis, vt fit, di-  
 lapsus fluxerat; cum eius operâ restitutus annuoq;  
 cēsu firmatus. Ab eodem litteraria nostra supellex  
 haud vulgaris pretij nominisq; libris collocuple-  
 tata. Et quidem illa animorum curatio secundum  
 Deum B.P.N. doctrinæ ascribi potest. sed & cor-  
 poribus salutarem eius opem extitisse sanè ex eo  
 capite colligas, quòd cum ardentissima febre qui-  
 dam è nostris æstualet, ac in dies morbus ingraue-  
 sceret, vt iam perturbato rationis vsu exigua in spe  
 traheret animam; } ab Fratre qui infirmorum cu-  
 ram gerebat, vbi is vidit irritò conatu multa tenta-  
 ri, admota remedia sunt superiora corporis. appli-  
 cuit



cuit iacenti è capillis eiusdem B. Patris, plurimum in eius meritis spei reponens. Mira res, è vestigio sibi redditur, integrisque sensibus integraque valetudine paucis post diebus vti cœpit. Et quidem Parens optimus non semel filiis, filij etiam externis interdum salutare fuere. Quidam è nostris Roma recens secum B. Stanislai in multis reliquias tulerat, cumque longo intervallo consanguineos ex obedientia interuiseret, sororem graui morbo pertinacique ex veneficio implicitam reperit, omni humana ope nequicquam adhibita. noster in Dei cogitationem eius mentem erigens, & inde sibi salutarem opem arcessere iubens, impertit eam Sanctorum reliquiis. Itaque die quadam Dominica cum in templum se ferri iussisset, sub ipsam corporis Dominici eleuationem se incitari sensit interius ad eorum patrocinium implorandum quorum acceperat à fratre reliquias, ac nominatim Stanislai. Hunc itaque inuocat. nec frustra preces fuerunt: exemplò vehementius toto sese corpore commoueri sensit. nec mora, depulso diuinitus morbo & dolore vsum recuperat pedum, quò vis morbi vniuersa subsederat, vt nusquam firmitus aut commodius incessisse se sentiret. Id maximè beneficium B. Stanislao acceptum refert, à quo se vehementius incitatum profitetur ad fundendas preces cum valetudinem pristinam recepit. Nostrorum quoque ad exteros in missionibus manauit labor, & constitit fructus. In vrbe S. Michaëlis ad audiendum Patrem qui conciones Christo nascenti atque resurgenti præuias habebat, tanta frequentia fuit, quantum nunquam ea in vrbe vidisse se plurimi testabantur: & eo notanda magis, quo magis constans atque perpetua. causa erat non procedere in mirabilibus, sed quæ ad vsum quotidianum faciunt clarè familiariterque explicare. Præcipuum attulit

emolumentum pœnitentiæ partes cum peccatorum formis exposuisse, toto Dominici Aduentus tempore, pendere tunc ex ore concionantis auditores: quorum plerique toti in datis & acceptis, in venditionibus & emptionibus, in exercenda re pecuaria & frumentaria. nec inanis labor quem is consecutus est fructus. Plurimi Patris cubiculum celebrare, multa possessores iniquæ fidei de contractibus & restitutionibus minutatim religioseque percontari, ad exonerandam qua se grauari sentiebant conscientiaë sarcinam. Nonnemo alteri forensis instrumenta litis suffuratus (odio credo vel inuidia) apud se retinebat non minore illius damno. abità concione, detestatione sceleris & dolore ardens illa ipsa instrumenta in cellam vinariam eius cui subriperat clàm abiicit; tum per sequestrem offert se ad sarcindum damnum quod emerferat. Sed nihil eo loci insolentius, quàm cum Dominicis diebus ieiunij verni non manè modò, sed & à meridie conciones instituerentur, verùm seruitio ferè, operis, & infimæ plebi, quibus negotiosis diebus interesse non vacabat, videre indidem Senatores frequentes, ipsamque penè curiam vniuersam celebrare concionem, qua nihil non infimæ illi hominum sorti accommodatum esset. Nec minùs vtilis in dissidentium componendis animis, eluxit industria. Vir & vxor ita inter se dissidebant, vt diuortium spectare viderentur: at præter spem plurimòrum operâ nostrorum in mutuã gratiam rediere. Quidã etiam vir primarius cū Parocho recõciliatus, cū quo capitales inimicitias exercebat, veniaq; prærogata apud eũ peccatorum confessionem instituit. Alio loco duas inter familias (quarum capita socer & gener, vterque apud Principes Lotharingiæ graciosus erat) contentio tenax pertinaxque de fundi terminis

orta,



orta, in capitales inimicitias, magna non modò pagorum adiacentium, sed & oppidorum offensione ibat, incrementum capiens ex rixis mulierum, matris scilicet filiaëque: cui malo Abbas quidam magnæ auctoritatis, vt obuiam iret pro communis amicitiaë iure, cum ad pacem dissidentium animos nequicquam sollicitasset; Dominus Deus huius negotij euentum felicem nostrorum labori reseruauit. Itaque sacerdos è nostris occasione captata isthic loci concionem ad feriam Pentecostes habendi, egit primùm cum singulis præter vnum generum tum absentem, persuasitque, vt positis odiis pristinaëm gratiam beneuolentiamque redintegrarent. Quam ad rem perficiendam edocta partes officij filia affuit, ac fluentibus lacrymis ex animo quam poposcit veniam exorauit; eaque filiaë submissione officioque parentes eousque commoti sunt, vt vicissim ipsi pari studio condonari sibi à filia postularët. deinde efficax atque vt postea constitit necessaria opera data est, vt mulieres à negotij quo de his erat tractatione penitus abstinerent, eius cura viris relicta. Superabant adhuc viri inter se conciliandi, quam nobrem proxima die vtrumque domi conueniendũ noster ratus, ita cum singulis priuatim, tum pariter cum vtroque palam egit, vt cõtrouersia exilis ac penè nulla appareret, indigna prorsus ob quam cum plurimorũ offensione tanto affinitatis vinculo copulati dissiderent, iraq; fouerent. & persuasit vt totam controuersiam iudicum aut arbitrorum æquitate disceptandam dirimendamque committerent, ab illis expenderentur rationum in vtramque partem inclinantiũ momenta, ab ipsis interea in pristina consuetudinẽ beneuolentiamq; dextris datis rediretur. haud mora, liquata duritie quò volebat ambos induxit, deposita sunt vtrimque odia, constituta pax, charitas

reuocata: mox in generi domo ad prandium so-  
 cer socrusque excepti. Iidem à sacerdote nostro  
 impensè contenderunt, vt ad primas Corporis Chri-  
 sti ferias sibi ad peccatorum expiationem adesse  
 ne grauaretur. quod obtinuerunt. Missio alio loco  
 eundem cursum tenuit laboris & fructus. Cùm in  
 vitia noster vehementius esset inuectus, à concio-  
 ne statim quidam flens confessionem suam excipi  
 priusquam discederet efflagitauit, conuitij quod ea  
 ipsa die irrogarát conscientia infirmatus. Pater au-  
 tem se filio causam mortis extitisse palàm testatus,  
 quòd eum cacodæmoni in agro versantem addixis-  
 set: paucis enim pòst diebus obiit puer. Cùm aliàs  
 de dignitate castitatis & libidinis deformitate ora-  
 tio esset instituta, virgines quædam perpetuæ ca-  
 stitatis seruadæ propositum susceperunt. Quinetiam  
 data opera, vt Parochus ancillam annosam quidem  
 illam, sinistra tamen apud vulgus existimationis  
 domo eijceret, omniq; reditus spem interclusam  
 sibi esse intelligeret. Alium vicini oppidi Paro-  
 chum opportunè importuneque obsecratur & ar-  
 gueratur noster, vt à perditæ vitæ degendæ licentia  
 cogitationes ad mores consentaneos dignitati  
 suæ traduceret. cùm surdæ hominis aures essent  
 obstrepente nequitia, prædixit fore noster, vt inul-  
 tam nequitiam iustus Deus non diu sineret. nec  
 vana prædictio: grassante siquidem corruptæ viri  
 vitæ infamia scelerumque colluie post diutur-  
 num carcerem sacerdotio spoliatus in exilium mi-  
 ser eiectus est. At felicius alteri cessit sacerdoti: cui  
 vt occasiones omnes sacrilegæ consuetudinis am-  
 putaret, quam magna vicinorum offensione mul-  
 tos annos habuerat cum adultera, ex qua etiam  
 sobolem numerosam susceperat, est feliciter per-  
 suasum; & iam magnam animi vitæq; conuersio-  
 nem, & ipsum exomologesis sacræ causa nostros  
 iden-



identidem interuisentem plerique demirantur, quibus nunc laudandarum actionum exemplo se duces præstat ad bonitatem.

### *Collegium Viridunense.*

**A** Luit hoc anno Collegium Viridunense nouemdecim è Societate, sacerdotes duodecim, quorū quinque docendi in scholis munus obierunt, scholasticos duos, alterum vnus classis magistrum, reliquos Coadiutores. Horum duo iubente P. Visitatore ante publicam votorum emissionem, quod nunquam antea hic factum fuerat, stipem vicatim corrogarunt, cum non exigua ciuitatis commendatione, & bencuolentiæ in nos declaratione. Ex omnibus vnus est desideratus, & ex hac ærumnosa vita ad cælestem, vt piè credimus, euocatus. is fuit P. Claudius Hacqueuillæus Parisiensis, agens tunc circiter septimum & tricesimum suæ ætatis annum, temporis verò in Societate transacti quartum & decimum, qui & ante suum in Societatem ingressum, & in ipsa Societate magnum semper eximie virtutis specimen dedit. Neque id mirum; quippe qui præcipua quadam religione sanctissimam Dei matrem à teneris annis semper coluerit, eam vitæ duces sibi asciuerit, ad sacram eius imaginem adhuc puerulus in Collegio Nauarræo Academię Parisiensis votum castitatis conceperit, ei plures annos litanias Lauretanæ quotidie recitarit, & quidquid boni haberet, id ipsi secundum eius Filium tulerit acceptum, adeoque non nisi cum reuerentia, & suauis amoris sensu de ea loqui solitus. Et sanè in eo omnis religiosa virtus ita enituit, vt primitiarum spiritus seu feruoris nouitiatus non modò in ipso nulla sit visa decessio, sed & cõtrà in dies maior quoad vixit accessio. Fuit enim semper innocentie

simplicitatisque primæ retinentissimus, & singulari in primis humilitate præditus, quæ ex intimo affectu longoque habitu profecta, in omnes vitæ eius partes actionesque fusa, tanquam earum omnium proprium & spontaneum ornamentum cernebatur. Eius funus cum alij Ecclesiastici viri Religiosi que, tum Illustrissimus ipse Princeps, idemque Reuerendissimus huius ciuitatis Antistes, cum duobus ex fratre Comite olim Chalignæo nepotibus sic cohonestauit, vt totius defunctorum Officij recitationi, dum ritu Societatis fieret, interfuerit, & sepulto corpori aqua lustrali benedixerit, ac bene precatus sit. Idem Illustrissimus Reuerendissimusque Præsul nostri amantissimus, tanto gregi suo ad pietatem est inciramento, vt à nulla sacrarum concionum, quæ in nostro templo habentur, vnquam absit, tametsi alteram sæpè proximè antè audiuerit. Mense Augusto antequam sacris Episcopi initiaretur, dies octo spiritalibus exercitijs in nostro Collegio expoliri voluit. Septem alij exercitia eadem spiritalia hinc obierunt, quorum duo religiosum institutum complexi sunt. Vnus Theologus & concionator egregius huc ad nos eorundem gratia exercitiorum aduolauit, & alter è primaria nobilitate pius admodum sacerdos: quorum fructus ad multos pertinebit. Tanta est multitudo eorum qui in templo nostro singulis diebus cum festis, tum Dominicis eluere sacra confessione animæ sordes solent, vt noueni denique sacerdotes vix eam totam audire possint. Sacro corporis Domini pabulo se reficientes singulis ferè Dominicis diebus sunt circiter duceni quinquageni; prima quæque cuiusque mensis Dominica quingeni; solemnioribus festis octingeni nongeniue. Duobus mensibus Martio & Aprili, quibus plenissima Iubilei Indulgentia à summo Pontifice concessa est ad

D.Ni-



D. Nicolai Lotharingi peregrè proficiscentibus tantus ad nos immunium ab illa peregrinatione, vt inopum, infirmorum & similibus, atque aliorum ad eam se accingentiũ factus est confessionis gratiã concursus, vt omnium vicerit expectationem. Nam cum quotidie diebus etiam profestis nouem Patres (quorum quatuor in scholis præterea docebant) aurem manẽ & vesperi illis confitentibus darent, vix tamen mediam aut tertiam illius multitudinis partem poterant expedire. festis verò diebus tantopere numerus ille augescebat, vt circa singulã confessariorum sedilia scamnorum obiectu, instar repagulorum, necesse fuerit vti ad arcẽdos propiũs admouere se volentes, ne confitentes sacerdoti audire possent propiores. quin etiam interdum confessarijs abeundum fuit, vt turba importunior submoueretur, alioqui auditura pœnitentes. Et extitit sanè illius operis fructus: quippe cum tam multi totius antea vitæ peccata fuerint confessi, vt Patrum alij quinquagenas, alij centenas, alij tot vt numerus non potuerit iniri, eiusmodi audierint confessiones. Quibus peractis multi animæ suæ gratulabantur, & Deo gratias agebant, quòd tum primùm conscientiæ tranquillitatem quasi lucem quandam sibi affulgere sentirent, qua antea caruissent. Enimverò cum se dicerent paternæ nostrorũ caritati, prudentiæ ac scientiæ omnino fidere, peccata omnia quæ malo pudore celauerant, facta libertate ingenuitateque patefaciebant. Multæ restitutiones imperatæ, sublata dissidia, multi impudici ad pudicitiam reuocati, rudes fidei eruditi, etiam qui malè de religione Catholica sentire videbantur; & alia id genus complura tum toto anno, tum maximè illo Iubilei bimestri sunt peracta. Quo etiam tempore multi vsque ad vesperam, multamue diem post longioris interdum itineris labores in

templo nostro ieiuni perstabant, vt sacræ confessionis & communionis participes fierent, adedè vt eorum nonnullis peccata confitentibus & viribus defectis aceto vinoque ad recreãdos spiritus reuocandasque vires fuerit opus. Mulier quæ multis antè annis à fide desciuerat, diuque in errorum tenebris iacuerat, ad veritatis lucem est reducta, itaque mores suos ad virtutis amissim exegit, vt mutationem illam dexteræ Excelsi fuisse appareret. Miles hæreticus Dei internis vocibus identidem excitus, ac de fidei suæ veritate diffidens, ex itinere nostrum colloquium expetijt, breuique eruditus hæresim omnem abiurauit, & totius vitæ peccata confessione ritè expiauit. Tres qui Catholicos se videri volebant, hæresim quam diu in animo fouerant, ex animo reliquerunt. Duo germani fratres, quatuor iam annos tam grauitè ab sese inuicem dissidebant, vt plerisque essent offensionis. Cumque multi eos conciliare frustra tentassent, vnus tandem è Patribus nostris præmissa breui fraternæ charitatis commendatione, scandali que vituperatione, sic animos eorum permouit, vt in mutuos ruerent amplexus, maiorque natu, qui minorem culpam sustinebat, natu minori ad pedes accideret, eumque & quosdam ex vicinia inuitatos, ad concordiam magis stabiliendam lauto conuiuio exceperit. Duo itidem alij fratres non apertas quidem secum inuicem, sed rectas gerebant similtates, ita vt mutuo congressu abstinerent. Verùm vbi vnus è Patribus nostris ad veram sinceramque beneuolentiam eos est cohortatus, in gratiam secum inuicem redierunt, diremptaque de re familiari lite, alienationis animorum causa, mutuuum amorem germanumque redintegrarunt. Septem circiter mulierculæ à turpitudine & immundicia, ad honestatem castimoniamque sunt traductæ. Habitæ sunt



sunt subinde exhortationes in varijs vrbis cœnobijs, tum ad sanctimoniales virgines, tum ad religiosos viros, quibus magis magisque ad officium animarentur. Institutum præterea fuit vt bis in mēse Religiosi omnes, qui ad triginta circiter scholas nostras frequentant, in vnum conuenient, & à sacerdote nostro docerentur quænam sint partes Religiosi hominis: qua ex re, vt se dant initia, magnus speratur fructus consecuturus. Scholæ nostræ & numero & nobilitate hoc anno maximè floruerunt. Septingenti enim scholastici numerati, quorum tertiam partem è diuersis & remotissimis Galliaë prouincijs ventitantes, consociunt, eaque ingenuitate, pietate ac modestia præstant, vt nostram disciplinam exteris commendabilem haud parum reddant. Horum vnus cùm annuis vacationibus domum reuertisset, & blanda cognatorum hæreticorū oratione ad nostras scholas etiam proposito honesto coniugio deserendas vehementer sollicitaretur, eorum derisa importunitate, elusisque conatibus, & ad nos rediit, & ingressum in Societatem, vt iam pridem animo conceperat, postulauit. Vndecim præterea ex ipsis Religiones bene reformatas inierunt: nonnulli etiam animum ad Societatem adiecerunt. Postridie S. Lucæ datam Heli sacerdotem Tragœdiam ad studiorum redintegrationem vehementer spectatores approbarunt, atque in primis Illustrissimus ac Reuerendissimus Episcopus, tum etiam vrbis istius pro Rege Gubernator, qui sua præsentia eam & præmiorum distributione cohonestarunt. Primum verò inter scholasticos nostros locum obtinet Principes duo filij Comitis olim Chalignæi, quorum egregia indoles, accedente Illustrissimi eorum patris, ciuitatis huius Episcopi, sollicita educatione optimam apud omnes de illis concitat expectationem. So-

dales B. Virginis partim scholasticos, partim ciuitatis huius incolas non parum ad pietatis studium excitat suo exemplo idem Illustrissimus Antistes, quippe qui interdum eorum cœtibus & exhortationibus quæ ad ipsos habentur, solet cum nepotibus interesse. Magnus fit hominum ad conciones in templo nostro audiendas concursus, magnumque est ægotantium ac moribundorum desiderium, vt à nostris visantur iuuenturque; quibus omnibus pro virili satisfit. In puerulorum etiam per ciuitatem scholis doctrina Christiana assidue traditur. Isque & huiusmodi aliis officiis ciuitatis in nos beneuolentia conseruatur, & magis magisque augetur. Excursum est præterea ad vicina oppida pagosque, vbi & catechismo tradendo, & sacris habendis concionibus, & audiendis confessionibus, tradendisque exercitiis spiritualibus extitit non dubiæ operæ fructus. In vno enim cœnobio, in quo auita Religionis disciplina ser id instauratur, vnus è nostris Patribus duodecim cœnobitas spiritualibus exercitiis perpoliuit, reliquos consilio & adhortationibus ad officij religionem excitauit. Magnam apud homines hic sustinet expectationem Societas. Cum esset cognitum vnum è nostris concionaturum in quodam oppido, die Christo Domino resurgenti sacro; tanta ex vicinis circumquaque pagis conuenit ad eum audiendum multitudo, vt cum eam templum non caperet, necesse fuit in publico fori conclau concionari. Aliis anni temporibus & profestis etiam diebus cum per pagos sacerdos noster excurreret spiritualis messis gratia, percursis & instructis vno die iam aliquot, in vltimo ad multam noctem expectabatur, & auidè à circumfusa multitudine audiebatur. Mulier quædam nobilis cum aliquot vnus è nostris conciones audiisset, in ædes



Parochi vnà cum marito venit, genibusque nixa non prius surgere voluit, quam ei sacerdos noster, cum benedictione bene precatus esset. In alio oppido, vbi sæpe nostri concionantur, tam cupidè ad verbum Dei audiendum, & ad pœnitentiæ Sacramentum conuenitur, vt quocunque anni tempore eò aliquis nostrorum Patrum proficiscitur, vix habeat quieti tempus: adeò numerosa est pœnitentiũ multitudo. Ibi puella quædam viginti annos nata, malo instinctu animam sibi laqueo exprimere conata, à parente suo fortè interueniente interitui eximitur, soluto fune ex quo pendeat propè iam exanimis. Repètino casu exciti eò accurrunt vicini: missu Parochi aduolat etiam illò e nostris Patribus vnus, qui paucis antè horis aduenerat, in festo Purificationis B. Virginis cõcionaturus. Cumque nullum planè cõtritionis signum ederet puella, & energumena similis appareret, tametsi catarrho vexari fingeretur; sacerdos noster omnes ad orationem hortatur, qua tamen nihil intelligentiæ impetrari tunc misellæ potuit. Postridie omnium precibus pro concione enixè commendata, paratam ad sanitatem redire, manusque religionis ergò adstantium hortatu iungere cœpit. Sequenti demum die cum sensu voce reddita, noster ille eam confessione ritè expiauit, & bene sanam magna omnium gratulatione dimisit. Verum exeunte anno ijsdem agitata furiis, aiebat interdum illis se resistere nequaquam posse, malè secum actum iri ni redeat Iesuita. Sed malum! cùm surdis id auribus dictum fuisset, nostrorum nemine ad auxilium (vt optabat) vocato, tandem cultro iugulum suum ipsamet petiit, & miserè periit. Qui dixit, *Quarite primùm regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis*, non deseruit hoc Collegium obæratum & rei domesticæ penuria laborans. Siqui-

dem

dem ad eius inopiam subleuandam pij quidam homines ducentos & triginta circiter aureos nummos liberaliter donauerunt. Illustrissimus autem ciuitatis Præful centenos denos quotannis ad sexennium nobis decreuit. Ad sacram etiam templi supellectilem facta est accessio donariorum, quæ centum circiter & viginti aureis nummis æstimatur. Singularem denique experti sumus Dei prouidentiam & benignitatem extremo hoc anno die Virgini conceptæ sacro. Cùm enim vehementi boreæ flatu summus culinæ nostræ caminus ex lapide quadrato structus decussus esset, parsque saxorum in viam horti per quam quauis hora nostri transire solent, pars in ipsam culinam ad caminum decidisset; nemo tamen nostrum vel leuiter illo casu est perstrictus, quamuis saxum ingens Fratris nostri qui coquum agebat calcaneum attigerit, & caput obtriuisset, si vel tantulum in loco vbi prius erat hæssisset.

### *Collegium Dolanum.*

**D**olanum Collegium, quod extrema ætate e Lugdunensi Prouincia in Franciam immigrauit, toto ferè anno habuit ex nostris quinquaginta, sacerdotes 24. Theologiæ 2. Philosophiæ totidem, humaniorum litterarum 6. professores, Adiutores domesticos 12. reliquos auditores Casuum. Ex hoc numero duo naturæ concessere, 4. horum vicem expleuerunt. Disciplinæ domesticæ hoc accessit ad cætera, quòd magna pars exercitijs spiritualibus exculti, vnde non exigua commoda in proximos deriuata. Idem ab aliquot sacerdotibus laicisque præstitum, non minore suo quàm aliorum bono. Sacramenta in templo nostro obeuntium numerus non parum auctus; incensis ea de re nostrorum ad



populū cohortationibus: qui grauium disceptatores controuersiarum interpositi par etiam coniugum biennium iam distractorum coniunxerunt. Virginibus non modò religiosæ vitæ instituto, verum etiam scortis septem ad bonam frugem receptis tuta habitatione prospectum. Scholæ numerarunt circiter octingentos: ex quibus nobiles quique cum genere tum ingenio in contubernio nostrorum educati, supra centum censi sunt; longè plures futuri parentum id perquam vehementer efflagitantium importunitate, si numerosæ huic conuictorum turbæ non itum esset obuiam. Suam habent illi congregationem, nõ secus ac vrbanī, quorum plerique Societatem expetunt: ac in ijs aliqui ipso B.P.N. Ignatij festo die hanc sibi mentem senserunt iniici. Mirabiliter omnium ad studia incendit animos prouinciæ Gubernatoris munificentia, qui litterario delectatus apparatu præmia se ex eunti anno recepit diligentibus largiturum. Maior Sodalitas, vt constat ex honoratioribus primarijsq; viris, ita primum in virtutum studio sibi locum vendicat. Tres in eam adlecti Senatores non secus quàm minimus quisque Sodalium funguntur munere. Vnum è tribus captum omnibus membris cum gestatoria deferri sella necesse sit, frequentior nemo tamen ventitat. In altero & sollicitæ socio-rum preces, & singularis B. Virginis fauor enituit. Certatim ad moribundū conuenientibus fortè Angelicæ salutationis signum datur; eo & clementissimæ Parentis, & periculi præsentis admoniti, instant ardentius. Mirum dictu, illis surgentibus redit ad se illico, valet, viuit, redditæ sibi fugientis vitæ non immemor. Artificum item congregatio fidem facit, omnia ex æquò moderantem Deum plebeiorum æquè ac potentiorum salutē consulere. Centum propè censentur maximo inter se amoris

ris vinculo copulati, vt ex eo potest conijci, quòd Præfectum peinde ac Prætozem ad dirimendas (si quæ inciderint) controuersias adhibeant. Intenti ipsi pijs operibus alios quoque rudes ignarosque fidei capitum, Dominicis festisq; diebus erudiunt. pauperum etiam in xenodochio diuersantium inopiam pro facultatibus quisque suis subleuât. Hæc vitæ piæ degendæ ratio quantum ad bene moriendum momenti habeat, experti sunt vnus Sodalis decessu, qui crebra B. Virginis ne se periclitantem desereret compellatione æstuans expirauit. Cuiusdam vxor audito thesaurum in imis latere ædibus filium ad veneficam de loco percontatum misit: illa fenestris repente clausis piceo atræ candelæ fumo denigrat orbem, puluereq; superposito apprehendens iuuenis manum, horribile cacodæmonis simulacrum inibi conspiciendum exhibet simul ac petitum locum. Sed frustrata veneficio mulier filium ad nihilo meliorem sortilegum mittit, à quo præter parem euentum horrorem ingentem retulit, sola confessione sacerdoti nostro facta depulsum. Artificis cuiusdam famulus socium nactus hæreticum vix diu renitentem perpulit ad Sacrum audiendum: cuius augustissimo mysterio ne commoueri posset, solitus erat oculos aliò cum adorandum Christi corpus proponeretur auertere. Magno illi ea malignitas stetit. in aquis paulò post, quas æstus leuandi causâ adierat, quamquã vtriusque idem esset periculum, Catholico sospite nunc Sodali, impius natator extinctus est Alius, cum socij femur prægrandi cespite supernè in speluncam in qua vterque versabatur, prolabente effractum esset, incolumitatem acceptam refert Beatissimæ Virgini. Illa Deiparæ Matris, hæc B. P. N. patrocinio perfecta. Matrõna in paucis nobilis cum perfracto crure accepisset olim eodem morbi genere



conflictatum corporis animæque diuinitus salutem recuperasse, eo apud communem Dominum vsa deprecatore, probeque sanata præsentissimam mortalibus eius suffragationem prædicare non desinit. Quod duobus item familiare est ciuibus, propter salutem humanis deploratam remedijs scripti nominis contactu restitutam. His Societatis laboribus par respondit Serenissimorum Principum ciuiumque liberalitas, octingentis aureis nobis absoluendæ turri cum ære campano pondo mille & quingentorum attributis. Nostrorum in extremas Burgundiæ oras excursions non infrugiferæ. multorum illic totius vitæ confessiones occasione Lotharingici Thononensisque Iubilei cæptæ & repetitæ. Parochi vitæ admoniti liberioris arctiorē complexi. Longè verò maximus in duobus oppidis fructus constitit. Vesulij quidem noster quorum inter se dissidentium concordiam nequicquam anno superiore tentauerat, isto perfecit, vt inueterata illa odia recenti etiam consanguinei cæde exulcerata considerent, tanto familiarum gaudio, quanta plebis admiratione: quæ & ipsa mutuis distracta primorum factionibus impotentem vtriusque partis iram in vltimum aliquod nefas erupturam metuebat. Iphis tandem sacratoris hebdomadæ diebus, pace inter eos constituta, submissè gratulatorius hymnus in æde sacra decantatus; mutui verò amoris index testatissimus fuit data sacro Paschæ die reconciliatis omnibus cœna, ad quam vrbis Principes inuitati concordissimè sancitæ coniunctionis spectatores extiterunt. Ex lusu coorta rixa sic ferocem armauit colludentis in sacerdotem dexteram, vt inermem grauiter vulneraret, indeque abriperetur in carcerem: quo solutus cum rursùm alieni cruoris avidus quietum laceraret, eò nostri consilio adductus est, vt veteri

Eccle-

Ecclesie ritum peccati veniam ab inimico plebi sacram synaxim impertiēte, publicamque a circumstantibus offensam supplex exposceret: quam ultro consecutus caelesti ab eo pane refectus est. Cetera Societatis ministeria, adiuti xenodochij, celebratarum concionum, explicati catechismi, restituta suis dominis pecuniae, vxorum suis viris reddituum impigre obita. Confessionum, quod caput est, ineundarum ardor urbanae externaeque multitudinis tantus, ut illi a tot sacerdotibus, in quorum laboris partem nostri venerant, satisfieri minime potuerit. Tertius hic annus agitur, quo Orgiletum oppidum aliud missus vnus est nostris praeter inuectum frequentem Sacramentorum usum, Christianae quoque Catechesis praecipua ut viciam decantarentur effecit. Parochus nostri cum primis studiosus certat cum Ludimagistro de suo quisque grege probe ac pie instituendo. Sanctae crucis Sodalitium nostrorum operam excitatum, confirmatum atque ornatum est. Ad crucem colli vrbi clementer inposito restitutam mirabiles concursus facti, adeoque piorum accensa studia, ut Caluariae in modum (quod ei similitudo nomen indidit) de eo consecrando pluribus ibi sacellis extructis vno iam coepto actum sit. Et quod plus habet in recessu utilitatis quam fronte promittit; curatus cantor qui pueros cantui habiles in Parochorum postmodum defunctorum locum subrogandos musicam doceat. Cum veteribus odijs abiectum paratae caedis consilium. Crumenam qui mulieri concionem audienti bene nummatam absciderat concionatoris eiusdem in latrocinium inuehentis oratione territus, intactam eo ipso die reddidit. Idem cum ad Parochos vnum in locum conuocatos ardentem habuisset de Christiani Pastoris officio cohortationem, tantum cuique sui diligenter muneris obeundi desiderium attulit,



tulit, vt fuerit iterum illis omnibus precibus à Re-  
 & ore contendentibus ad rectè constituendam cu-  
 iusque paræciam dimittendus. Pridie S. Crucis  
 vnus è nostris Arbosium accersitus habitis eius  
 suasu supplicationibus ingenti mæstos oppida-  
 nos affecit gaudio, qui vineta (suas opes) intem-  
 pestiuo frigore inaruisse rati, subinde velut rena-  
 scentibus fibris præter spem repullulantia viderūt.  
 Leodunum Orgileto proximum nostrorum, quos  
 aliqua sibi offensione abalienatos suspicabatur, suis  
 ciuibus à diuturna bellorum tempestate, quæ hanc  
 maximè urbem afflixit, ad pristinam animorum  
 tranquillitatem reuocandis, operam quæ perma-  
 gno concionum confessionumque fructu, quæ in-  
 festarum aliquot iemuribus ædium expiatione  
 sensit esse perutilem.

### *Collegium Vesontionense.*

QVÆ in vrbe primùm, tum quæ foris ad Dei glo-  
 riam perfecta sunt, selectis quæ magis emi-  
 nent persequemur. Nongenti scholas nostras fre-  
 quentant, excreuitque in dies discipulorum nu-  
 merus, tametsi vicino vnus diei itinere Collegio &  
 Vniuersitate Dolana. Plerisque non modò ex Bur-  
 gundia, sed ex Lotharingia, Germania, Gallia con-  
 fluentibus, allectis amplitudine & amœnitate ci-  
 uitatis. Eorum pietas eminet in triplici Congrega-  
 tione Parthenica. Prima sacerdotum est, altera ci-  
 uium, tertia scholasticorum. E quibus nonnulla  
 virtutis exempla ponentur. Anno huius sæculi pri-  
 mo, mense Quintili vinitor quidam Vesontionen-  
 sis, cui Nicolao Bassano nomē, vir bonus, & ex So-  
 dalitate B. Virginis, incidit in morbum, quo ferme  
 decem mensium spatio grauiter est conflictatus.  
 genus morbi quia inusitatum, meritò habuit ad-

mirationem: suspicio fuit maleficæ manus. initio  
 quidem variis corporis partibus multis tuberculis  
 efflorescens cutis plurimam saniem euomuit; ex  
 quo deinde tota vis morbi in sinistrum brachium  
 delapsa in tantum tumorem excreuit, vt res fuerit  
 admirationi & horrore. Cumque ea esset magni-  
 tudo doloris, & nullum medici afferrent leuamen-  
 tum, tertio tandem aut quarto mense de eo ape-  
 riendo constituunt; quod & factum est. sed cum  
 chirurgus lanceola altius pupugisset, tanta subin-  
 de vis puris erupit, vt totam domum odore infece-  
 rit: cum nescio quid vomicæ caput derepentè ob-  
 turauit fluxumque; cohibuit; quod chirurgus specil-  
 lo conatus auertere non potuit, donec propius in-  
 tuitus nescio quid videre visus est subnigri coloris  
 culici non absimile, admotisque forficulis, quem  
 culicem putabat longa spira fuit luridæ materiæ.  
 Quæ res ægotati magnum horrorem incussit. in-  
 tuitusque chirurgum, Appello, Domine mi, fidem  
 tuam; quid facis? neruos mihi auellis. quid fu-  
 turum est mihi impofterum & meo ligoni? Sed bono  
 animo esse iussus, & ne quid dubitaret admonitus  
 non ita putres fieri neruos, conticuit. Interea chi-  
 rurgus rei nouitate attonitus, exploraturus quid  
 esset, impositum mensæ dum explicat, telæ frag-  
 mentum esse comperit, aduerso subtegmine con-  
 cisum, & duos fermè pedes longum, totidemque  
 digitos latum, diuque cõtemplatus in ignem con-  
 iicit. Tum demum perpurgata plaga, peniculoque  
 ac malagmate instructa, ægroti curam eius vxori  
 mandat rediturus postridie. Eum dum æger dilu-  
 culo præstolatur, solutam esse fasciam animaduertit,  
 qua brachium constringebatur, increpansque  
 vxorem quid ita malè composuisset; Enimuerò, in-  
 quit, omnino bene ligaueram. quæsitæque vndique  
 malagmata cum peniculo nusquam inuenta sunt.

attol.



attollensque brachium si fortè apparerent, & detumuisse & persanatum esse sensit. Quare latus exiliit è lecto, aduolat ad medicum, qui tam repentina curatione multum est stupefactus. Sed ecce tibi sequenti die desultorius morbus alterum brachium inuadit pari tumore & dolore, qui & reliquo morbi tempore constans fuit. Ægrotus licet incredibili cruciatu cōuellatur, nullum tamen impatientis animi signum edere, sed consolari omnes & adhortari piis sermonibus, Numini gratias agere, Deiparam inuocare, cuius obsequio præcipuè addictus erat. Quæ res singularis fuit exempli: enim uerò dæmon ut hominem transuersum agat, nouam technam adornat. Ingressi sunt domum eius sub noctem, prima statim face vir cum femina antea, ut ipse dicebat, sibi nunquam visi: qui ad eum accedentes, miserum eius statum deplorabāt. Quàm miserabilis es, inquit, aspectu! Quid mirum, ait ægrotus, cum sextum iam mensem decumbam inter tot cruciatus? simulque percontantibus de morbo cum aperuisset quidquid erat, bene eum sperare iubent, remedium sibi in procliui & expedito esse, subindeque sacrum cereum accendant, aliquotque signis crucis brachio impressis, inuocato Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti nomine, nescio quid ridiculæ precis cum rhythmo murmurarunt. sed & inferunt morbum illum S. Eligij à valle, & S. Sulpitij Balmensis esse, ideoque celebrandas apud eos nouenas duas, si uellet sanitati restitui. Ad id operam promittūt suam, si sibi nummum aureum suppeditet. Vir minime malus dum existimat, sicut postea narrauit vni è nostris, cælestes medicos sibi à Deo missos, facile eis concedit: qui egressi postridie 4. aut 6. die redeunt, habent à S. Eligio oleum, quo nouem continuis diebus sed semel tantum singulis brachium debeat inungere.

& à S. Sulpitio suffitum, quo totidē diebus corpus totum obuolutum pallio fumigare. His dictis abierunt. ægrotus verò dum diligentius pensitat quæ acta erant, tum demum versutiam dæmonis intelligit, qui se voluerit his præstigiis ludificari: & quamuis meminisset ea se corporis parte ab amico contrectatum, nutabat tamen animo, nec poterat assentiri. dumque eiusmodi curis conflictatur remordente conscientia incertus quid agat; ecce ad eum sacerdos è Sodalitio B. Virginis, cui rem totam sigillatim exponit. admonitusque de peccato ab eo quòd coniectoribus & sortilegis adhibuisset fidem, statim accersito sacerdote nostro confessione expiauit, depositaque omni voluntate male impostero de quoquam suspicandi, peccatis suis longè grauiora supplicia deberi professus est. Paucis post diebus vnus è nostris horum non ignarus inuisebat ægrotum: qui cum reueritus ne rem exponeret pudore retinebatur, donec diu secum luctatus, in hæc verba prorupit: Hei mihi mi Pater, enim vero nescis. Quid est? inquit Pater. Oblitus sum Dei mei æger. dumque rem totam lacrymabundus narrat, exclamauit, Hei mihi Deus meus, oblitus sum tui semel: admouensque pectori manum idem repetebat, Oblitus sum tui; sed modò ita es cordi meo infixus, vt amplius nõ sim obliturus, me tibi totum dico consecroque, cæteris nuncium remitto, in te vno omnem spem & subsidium habiturus. Non multò post morbus à dextro brachio in sinistram tibiam iuxta poplitem relabitur; postremò restitit in pedem. Tandem cum sensit se appropinquare extremis, prouidens familiæ suæ, muniuit se Sacramentis cum magna pietate, à patre octogenario item vinitore, antiquæ probitatis viro benedici postulauit. admonuit vxorem paratos sex haberet cereos totidemque funalia, & reliqua



quum libitinæ instrumentum. Interrogabat etiam alios è Sodalibus qui ipsum inuisebant, num dum efferretur habituri essent suas cereas candelas in manibus: memorem se omnium futurum quando esset in contubernium Angelorum receptus. Tandem dum semper in Deum Deiparamque tendit animum, hunc exhalat. Postridie sepultus est prosequentibus funus Sodalibus omnibus Ecclesiasticis & laicis aperto capite, cum cereis & candelis: sed & sex laici deferebant corpus cum magna populi Vesontionensis gratulatione & significatione pietatis. Narravit vnus è nostris qui defunctum familiariter norat, visum esse ab eo Christum Dominum in Eucharistiæ Sacramento, quod ab ipso rescuerat. Paucis post diebus demortui pater, filij permotus exemplo, conuenit Sodalitij Prefectum lacrymabundus, obnixequè orauit vt se in filij locum sufficeret, obiturumque se nõ solum omnia Sodalium munia, sed etiam duplo plura prestiturum. Alius ex eadem Congregatione textor cum ex pio familiarique colloquio cognouisset mulierem quandam non ritè de peccatis esse confessam; amicè monitam modum rectè instituendę confessionis edocuit, hortatusque est vt illius causa ad nostrum templum se conferat. Annuit mulier, sed dum in rem conferre promissa molitur, & viæ se dat, videtur sibi videre districtos gladios ardentescque faces quibus oculorum ei acies præstrangebatur: quibus visis tristis & attonita domum repetit. quod cum sæpius eodem modo contigisset, doctorem illum suum mœsta conuenit, rem totam patefacit, oratque vt sese ad templum quò per se ire non poterat, deducat. factum est, vni è nostris sacerdotibus committit, cui peccata 35. annis commissa nondum confessione expiata detexit, moxque trepidatione in legitimum dolorem

commutata domum plena conglacatione repetiit. Nec hoc quidem caret admiratione quod sequitur. Adolescens scholasticus nandi non ita peritus se in fluuium eo loco demittit vbi aqua in pistrinũ decurrebat. ea correptum hominem breuique impotem redditum sui, frustra que auxilium petentem sub ingentes rotas præcipitat, mediosque per vortices, & albantium vndarum crepitus intactus à rotis (etsi rotam inter & terram vix vnus pedis altitudo reperiatur) in alteram partem euadit incolumis, liberatori Deo gratias agens: quod fuit illi ad ambiendum B. Virginis Sodalitium incitamentum. Alter quo die in Sodalitium B. V. admissus est, Iubileum est consecutus; gratias Deo & patronæ beatæ pro gemino illius diei beneficio reddebat, cum addidit Deus & tertium, vt eodẽ ipso die suauissimè obdormiuerit in Domino, tametsi non ita graui morbo tentari videretur. Vir quidam nobilis, qui Societatem prius aut inuisam aut contemptam, fratris incitatus laude agnoscere velle cœperat, deincepsque familiariter cognitam & ad animi sui curam singulari cum fiducia frequenter adhibitam inusitato amore complexus est; ad eam morum mutationem, & patientiæ in maximis molestissimisque corporis afflictionibus laudem venit, vt omnibus sit admirationi, passimque omnes de tam insperata conuersione Deo Societati que gratias agant; pauperes præsertim in quos beneficentissimus cum sit, eorum precibus exoratus benignissimus Deus ei spiritum veræ contritionis & diuinæ caritatis gustum suauissimum elargitus est; & vt quod prolixè & libenter facit, diutissimè faciat, Deus eum iam sæpius pro mortuo derelictum ad vitam cum ingenti omnium stupore reuocauit, eidemque eam instillauit voluntatem, vt mille libras Collegio testamento legaret. Sed ne singula



ambitiosius narrare velle videamur, dicemus aliquid confertim. Dedit vnus è sacerdotibus nostris in annuas litteras hæc pauca verba: Animi labes quas in omni vita collegerant, nec ritè vnquam absterferant, expiauerunt minimùm ducenti: ab adulterio duodecim, à meretricum consuetudine reuocati viginti: restitutiones æris alieni, & pacificationes magni momenti plurimæ. vna tamen è turba eximi postulat. Dux familia primariæ in ciuitate multos iam annos inimicitias fouebāt tanto sæuiores, quanto fuerant antè beneuolētia coniunctiores. & scriptis & verbis, & crebris ad singulare certamen prouocationibus, & dimicationibus nutriebatur incendiū. iamque plerosq; principes viros, irrito reconciliationis conatu fatigarant: cū placuit diuinę bonitati, eos in Collegium adductos non modò ad colloquium, sed ad complexum etiam & ad beneuolentiæ indicem libationē adducere, exustis coràm famosis libellis, quæ pars vtraque ad amicitia firmitatem addixit incendio. Indè itum est ab vtrisque in vnum cœtum tum primùm coactis ad principem Ecclesiam, ad gratias agendas Deo via totius ciuitatis frequentissima, & maxima omnium lætitia & gratulatione, qui strictos tam sæpe in mutuam perniciem gladios cum gemitu & trepidatione viderant. His ergo fouetur & augetur in dies ciuitatis in nos beneuolentia. nam magistratus ærario licet variis sumptibus exhausto, præter crebras minoris momenti liberalitates, vicinam domum diu desideratam, vtpote maiorem in modum nobis necessariam, vt habitatio nostra à scholarum strepitu secluderetur, duobus francorum millibus nobis coëmit. Priuatorum autem aliquorum tam prolixa est de nobis bene merendi voluntas, vt nonnunquam ipsi obtrudentibus, nobis recusantibus

peramica contentione certetur. Honestam quædam matrona, & valdè religiosa, cum se suaque omnia Deo & Societati destinavit, cum aliàs sæpe nostri facelli supellectilem auxit augetque, tum hoc anno mille francos nocturno diurnoque Ecclesiæ lumini addixit: cumque ei ex lite vinea quædam obrigisset, eius fructus Deo consecratos partim Collegio, partim S. Clare virginibus in eleemosynam dedit. Nec defuere alij qui magnam vini penuriam sua liberalitate sublevarint. Alius vir egregie pius, negotium publicum in Burgundia magna Senatus totiusque populi commendatione gerens, cum ab ineunte Collegio sua omnia eius institutioni amplificationique consecrasset, suamque coniugem in eandem liberalitatem consentientem haberet; ipsam pie hoc anno religioseque nostrorum inter manus defunctam, seipsum quoque post peracta magna cum approbatione exercitia spiritualia Societati obtulit magna cum humilitate, virgetque perstudiosè in dies ut voti compos fiat: interim dum se nonnullo ære alieno expedit, centum amplius aureos nummos ex mundo muliebri nobis dono dedit, quibus, tum calix argenteus eximie artis & ponderis, tum duplex lipsanoteca composita est, fratre quoque eius hoc opus non modica liberalitate promouente. Alia nobilis femina 50. aureos Tostato emendo dedit. aucta etiam bibliotheca per multis libris alijs emptis ne dicam an donatis, quando venditores vix dimidio pretio nobis eos addixerint. Et ne morer singula, hoc vnum sufficiat in hoc genere. Duobus Patribus professionem solemnem emissuris, triduoque eleemosynam de more petentibus ostiatim, eam civium elucebat benevolentia, ut passim vltro occurrerent largituri, & quorum domus prætermittēbantur, pie queruli cum sua eleemosyna prosequerentur.



querentur abeuntes. quam solemnitate sua præsentia in templo ac triclinio cohonestare voluit Reuerendissimus Dominus Lausanensis, cuius liberalitate hoc primum anno præmia sunt scholasticis distributa, addito dramate quo coronidem Rhetor imposuit perelegantibus declamationibus, quibus vniuersa Vesontionensis ciuitatis antiquitas, & gloria indagata explicataque est. Obuentium in templo nostro Sacramenta iniri vix numerus potest. accurrunt è vicinis vrbibus & pagis tum aliàs plurimi, tum eo maximè tempore, quo infinitæ multitudini sacra Christi sudon semel iterumque quotannis visenda exponitur. Ad ægros sæpe vocamur maiorine dicam fiducia an veneratione, cum magno reponant in beneficio & honore si in eorum ædes pedem intulerimus. Quidam sacerdos concubinaris diu contra conscientiam colluctatus, tandem ingenti animi horrore, & membrorum trepidatione correptus, abiecta concubina, & generali confessione à nostris expiatus pacem conscientia & quiete consecutus est. In ijs autem quæ in templo nostro Sacramenta frequentant virgo erat admodum pia: quæ cum amitam haberet cuiusdam sacerdotis concubinam, intensissimas pro ea preces fundebat, & quodam aliquando feruore caritatis incensa Dominum ardentius orare cœpit, vt sese omnibus, si videretur, vitæ huius ac futuræ cruciatibus affligeret, modò amitam à flagitiosa vita abducere dignaretur. non irritæ fuere preces: nam super paupertatem varijs incognitisque morbis decennium afflictata, nunquam Sacramentorum frequentatione intermissa: tandem de in habitante dæmone suspecta reddita est Itaque cum exorcismis à Religiosis quibusdam viris subiecta fuisset, multo tandem labore, multi se dæmones prodidere. Eò aduocati nostri à Reue-

rendissimo Lausanensi, oratiq̄ue vt opem ferrent: cum primùm ingressi sunt cubiculum, in quo ægra placidè iacebat, statim furere & confusis clamoribus exululare cœpit, vt improuidis magnum terrorem incusserit: sed subitò Dei ope collecto animo dæmones precibus omnium astantium fatigari cœpti. Et quia nondum satis constabat nostris verène à dæmone obsideretur, Pater Rector qui tum aderat reliquiarum theca frementis & eiulantis capiti imposta, per IESV Christi sanguinem, & B. Virginis merita vrgerè cœpit, vt enuntiaret quæ reliquiæ in ea theca continerentur. latinè roganti latinè magno tamè cum gemitu & conatu, vt coactum diuinitus agnosceres, de ligno veræ crucis, mox de reliquijs S. Luciae illic haberi falsus est. Sed cum tertio vrgeretur alias prodere, ægrè Beati nomen intulit, tum confusis sonis; Patris vocem edidit: cum nihilo secius vrgeretur, ægerrimè & confusè primùm, quasi bombum exaudiri vellet, non vocabulum, tandem Ignatij nomen distinctè elocutus est. Tum iussus dæmon causam ingressus dicere, eam protulit quam paulò antè diximus, Cumq̄ue nobis non cogitantibus amita illa ingressa fuisset, statim eam & clamore & oculis & digito demonstrauit: quæ nihilominus & peccatis & peccandi occasione expedita, perstitit dæmon in occupato corpore, Dei, vt aiebat, voluntate retentus in damnum suum. Cumq̄; præcipui obsessoris nomē adhuc lateret, post maximam denique contentionem se Beelzebub esse professus est; sed tanto & verborum tumore, & gestuum fastu, & totius corporis arrogancia, vt aliud insolentissimæ superbix idolum requiri non posset. Verùm cum deinceps à varijs curiosè minusq̄ue legitimè rogaretur, plerisque calumnijs, mendacijs, sermonibus & contentionibus materiam vulgo præbuit, contra



Sacramentorum frequentationem, quando plerique pietati dediti beneficij impudentissimè accusabantur, Religiosi ad æmulationem inter se priuatum & publicè prouocabantur, aliaque tota vrbe fiebant & dicebantur quæ auctorem cacodæmone satis luculenter testabantur. Multos ergo maleficijs ægros, alios etiam maleficos prodidit; vnã præsertim quæ se magam, & à dæmone in felis speciem vngue notatam confessa in iudicio, & in carcere peccatis absoluta extremo supplicio afficienda erat. iamq; in locum supplicij ab alijs Religiosis deducta in desperationis barathrum præceps ruebat; cùm opportunè à nostris superuentibus adiuta ad se redijt, christianeque defuncta est: quod in talibus, disturbato scilicet fidei fundamento, & rarum & difficile esse solet. iam verò quæ extra urbem toto penè anno tota in Burgundia è re animarum gesta sunt à nostris, tum varijs in locis missiones obeuntibus, tum vicissim doctrinam Christianam oppidatim circumferentibus, enucleatius profèqui operosum esset. Pauca tamen libanda sunt. In quodam oppido (Verceium vocant) quidam lethali vulnere se ab inimico confossum sentiens vocat sacerdotem nostrum; cui confessus, patri, matri, vxori, fratribus coram plurimis miro animi sensu dixit, Pax sit rebus: equidem libenti animo condono iniuriam, vos idem præstare, inque signũ æquitatis animi singuli orationem Dominicam pro sicario recitate: dimittet ei Dominus, vt illi dimitto. Et videtur Deus ista placabilitate prouocatus vitam agro dedisse: nam & breui præter spem conualuit, & nostrum in se beneficium copiosè prædicauit. Eo loci effectum, vt quo die S. Agathæ patronæ oppidi festũ per multam lasciuiam luxumque agitabatur, proposita Indulgentia ad sexcētos communicarint, cùm vix vnus annis superioribus.

Non

Non tulit hanc plagam dæmon moderatè, sed nonnullos petulantiores extimulauit, qui dum inuito Parocho, & concionatore, & magistratu tibicines & choreas clainitant agitantque, non minimam toto oppido tragœdiam excitarunt. Ea sub Aduentum vtcunque compressa sub ineuentem Quadragesimam rursus exarsit, & iam adulta Quadragesima iuuentus insolens in peruicacia & contemptu maiori persistebat, cum magna bonorum offensione; tum nostri sacerdotis contètionem, iteratisque concionibus de obedientia maioribus debita, tandem perfectum est vt culpam publicè cum lachrymis fontes vtriusque sexus agnoscerent, & à nostro sacerdote pro concione dici voluerint, se Superioribus impostèrum obtemperaturos. Tractus quidam est in Comitatu Burgundiæ montibus plurimis pagis confusus, Bisotum vocant: vbi nostri sub ferias Pentecostes mensè ferè diuersati fructus collegere opinione maiores. festo die S. Trinitatis bis mille trecenti communicarunt, diu noctuque cõsistentium multitudo sacerdos noster obruebatur. adhibiti tres quatuorque viri, qui ad sacelli cancellos foresque piam vim multitudinis prohiberent: omnis enim sexus ætatisque homines à circumfuis pagis seiunctissimisque villis per multam noctem Sacramentorum causâ confluebant, totosque dies ieiuni opportunitatem Patris nostri præstolabantur. Et vt is diuersos adibat pagos, ita vicinorum statim fiebat ad confessionem concionemque cõcursus. Cuique pago in præcipuo 40. horarum instituta esset oratio, vndique à multis milliaribus populorum agmina vel intempesta nocte longo ordine pijsque cum canticis ad orandum veniebant, sibi que supplicantium turmæ succedebant, tanto feruore deuotionis & frequentia, vt nihil simile post hominum memoriam in illis



regionibus visum esset. Auxit sensum pietatis ordo puerorum in supplicatione gestantium insignia Dominicæ passionis & figuras Sanctissimi Sacramenti non sine spectantium lachrymis & comploratione. Nulli ibi ferè per duas hebdomadas profesti dies, omnes festi atque religiosi, omnes orationibus, concionibus, peregrinationibus, supplicationibus, confessionibus, restitutionibus, reconciliationibus sanctificati. quæ eo admirabiliora videri debent, quo propter pestiferam hæreticorum viciniam maxima ex parte populus ille vniuersus aut Prælatum nunquam vidit, aut Parochis caret, aut eos sæpe habet, vt omnino carere fortasse præstaret. Sed abeamus à montibus, decliua videamus. Balmæ peracta tandem est maximi momenti quatuor inter familias reconciliatio, sæpe iam à nostris alijsque irritò conatu tentata. sed adfuit tandem Deus laboriosissimæ contentioni Patris vnus è nostris, vt aliquando res perficeretur. Nonnullos enim, quorum maximè res agebatur, nec opinantes, imò contra animi propositum varijs è locis abductos in eum adduxit locum, vbi simultates quæ plerisque infamiam mortemque legibus debitam afferebant, consopienda erant: alios qui pacem impedituri erant alibi diutiùs retinuit. cumque nihilominus feroces aliquorum animi Patri nostro ipsique Deo, cuius hinc digitum agnoscebant atque admirabundi prædicabant, præfractè resisterent; cum omnium propè iudicio desperata res esset, cõfugit gemebundus Pater ad Deum pacis, Sacrum de pace facit. iamque paratus erat procumbere in genua coram discordibus, quos in idem templum multo labore coegerat, & eos per sacrosanctam illam hostiam obtestari, vt remitterent iniurias, nisi vellent vindicantis Numinis indignationem experiri; quando ecce tibi qui plurimum doctri-

Et tunc auctoritateque inter illos valebat, qui que vnus ex omnibus maximè se offensum credebat, sacellum ingreditur, vbi iam pars altera dissidentium Sacro audiendo interfuerat; & graui oratione vultuque affatus inimicos ab ipsis veniam demissè precatur. ergo cæteri primùm attoniti inexpectata oratione, tum obortis hinc inde lachrymis, à se mutuo veniam petunt conceduntque. sed vt firma esset recõciliatio. & magni intererat scripta antiquare, quæ vtrinq; scripta in iudicijs fuerant, extraque iactata. In eo dissoluendo nodo diu rursùm Patri desudandum fuit. sed & hoc quoque Dei beneficio extortum est, ita tamen vt exscribi diligenter in chartis vellent se id Dei primùm, tum illius Patris gratiæ dare. ergo è templo in viam publicam plateamque coram admirabũdo populo prodeunt, consalutant, complectũtur, inuitant, deincepsque amicè beneuoleque perstiterunt. Claudam huius narrationem Collegij insigni miraculo quod ante vnum ferè annum contigit, cuius memoriam conseruari decet, etsi res nostras non attingat. Inualuit pius mos in oppido Ouan in Comitatu Burgũdiæ, vt ante Deiparæ imaginem ad vesperam lampas accensa luceat: rogatur oleum à ciuibus; quorum vnus improbè dicax, Quorsum, inquit, Mariæ lucerna? maturius cubitum eat, lumine non indigebit. sed ecce repentè imminens vltio blasphemam consequitur vocem: deinceps quandiu vixit à vespera in posterrum diem clarescentem cæcus fuit.

### *Domus Probationis Nanceiana.*

Quæ Nanceij nunc est Probationis domus, ea fuit antea in D. Nicolai oppido ad mensem vsque Septembrem ineuntem: quo sanè tempore cū aliæ multæ sese dederunt bene de proximis merendi



di occasiones, tum illa in primis fuit maxima quam sacrum Iubilei tempus obtulit. Bimestre spatium ijs cælestibus gratijs promerendis attributum: decreta ad peccatorum expiationes & sacras synaxes D. Nicolai ædes augustissima. Ex ijs qui è formula summi Pontificis sacerdotes dicti sunt, vt aures pœnitentibus darent, selecti è nostra Societate 12. vnus è Mollhemienfi Collegio ad Germanorum confessiones excipiendas; alij ex varijs huius provinciae Collegijs educti, apud nos eo omni tempore habitarunt. atque ab his Patribus dum pio munere funguntur, tot res atque tantæ ad Dei laudem bonumque animarum sunt perfectæ, vt certo eas ordine & numero comprehendere sit difficillimum. igitur summa tantum capita perstringemus. In primis hoc penè portentosi loco fuit habitum, tantam esse hominum frequentiam omnium generum atque ordinum qui è Gallijs, Italia, Germania, Belgio pietatis causa huc venerunt, vt omnium etiam eorum qui harum rerum experientissimi sunt, præuisionem omnem expectationemque superarit. Multi iam anno superiore Italiam & stas Romæ preces obierant, Parisios multi, non pauci Aurelianensem ciuitatem (quibus item in locis amplissimum Iubileum fuerat concessum) ea qua poterant religione lustrarant: qui nouo quodam ardore inflammati hunc locum S. Nicolao sacrum sibi visendum putauerunt, vt concessis priuilegijs gauderent. Non pauci delicati homines aut ætate prouecti longissimum iter pedibus confecerunt, vi pietatis laborem minuente. Itaque iam inde penè ab initio pars sacerdotum oppressa confitèrium multitudine debilitatis corporibus concidit, nostri tamen omnes ad extremum vsque diem perseuerarunt. Cæterum intermissio laboris penè nulla. domo pedem cum extulissent, aderat statim corona sacra omnia

omnia obtestantium, preces, pecunias, quidlibet denique obtrudentium vt audirentur. Misericordiam sanè mouebant egentiores & oppidani, qui pauperem familiam cum deseruissent, redire tamè sine confessione cogebantur. Ingens fuit eorum numerus qui labores itinerum eisdem, eisdemque molestias in adeundis sacerdotibus hauserunt, bis terùe redeuntibus. constantia fuit aliorum incredibilis, qui à templo ne digitum quidem duos tresue ipsos dies discesserunt, dum explicandi peccata sua tempus opperiuntur. Quare multi languidis viribus deficiente animo ad pedes sacerdotum penè concidebant. Quindecim annorum virgo cum anniuersarium 40. dierum ieiunium piorum more integrum transegisset, horis omnino triginta ab omni cibo abstinuit, in templo cum versaretur, & confitendi opportunitatem expectaret. Dederat Princeps Heluetios corporis sui custodes aliquot & lictores, qui vi & armis turbam importunam summouerent: nam perpetuus quasi vulgi Euripus subsellia sacerdotum impellebat, & clamore, æstu, halitu, fessos iam audiendo laborantesque obruebat. Multi militum verbera fustesque non iniquo animo patiebantur, dummodo scelerum onus quam primum deponerent. Auditi etiam qui coram altari, vbi sacra D. Nicolai effigies, strato corpore profusisque lachrymis hoc identidem repeterent, Bone Nicolae hoc exores à Deo, commodè vt possim maculas animi omnes patefacere. Denique in tanto æstu accedentium & recedentium populorum, cum sacerdotes deessent pœnitentibus audiendis, nec post longum iter quidquam ad alenda corpora superesset, certa hæc fuit deliberataque multorum ratio, prius se vitam animamque posituros, quam vt vacui cælestibus donis domum reuerterentur. Neque verò hic pietatis ardor repentinus



aut momentaneus fuit. Multi sese bonis operibus & vsitata probis ratione antea præparauerant. Reperti sunt etiam opifices manu & arte victum sibi familiæque suppeditantes, qui tamen ieiunij legibus soluti essent, tempus tamen quadragintadiale panè & aqua modò contenti summa animorum hilaritate conficerent. Alij quotidianas de diuinis rebus commentationes adiungebant, hirtum alij pilis sagulum ad nudam carnem applicabant additis ad numerum verberibus stato die. Vim diuini Spiritus rusticana mulier inopsque declarauit, quæ macie & ieiunio exhausta defectum corpus bis in hebdomada virgis dilacerabat. tanta certè tamque excitata vis animorum languere subito non potuit. Itaque vidisses quàm plurimos qui læti & alacres domum reuenterentur, quibus si fortè leuis scrupulus, & oblitum peccatum occurrisset, viam retexebant laboriosam atque difficilè, nihil vt esset quod quæsitæ gratiæ splendorem infuscaret. Atque ex Sacramento pœnitentiæ tam piè suscepto, tam diligenter administrato quot & quanta sint animorum bona cõsecuta, dici vix potest. Infinitus eorum fuit numerus, qui totius antea vitæ maculas aperuerunt. Innumerabiles, qui præ pudore cum in adolescentiâ grauia peccata reticuisset, & in aperto salutis periculo versarentur, aut qui alias ob causas rite confessi nunquam fuissent, omnia nunc effuderunt. Sanè de Patribus vnus confessiones accepit de tota vita quingentas, multorum annorum, quòd priores non valuisset, minimum quater mille: quod à nobis sit dictum, vt de cæteris coniectura capiat. Igitur canis multi capitibus 80. annorum aut etiam plurium, peccata detegebant, tanto interdum doloris sensu, vix vt loqui possent, & defectis viribus coniderent. Hic dolor tantus & inusitatus in duobus

maximè patuit, sensumque animi omnem & vocem interclusit, dum atrox facinus volunt euomere. Vterque sacramento proprioque chirographo se prædoni animarum quondam deuouerant. Ab horrendis sceleribus & sacrilega participatione diuinorum mysteriorum reuocati plurimi. Alij qui non modò dies, sed noctes etiam perperuis in sceleribus & flagitiis contriuerant, pias de salute cogitationes susceperunt: quibusdam, qui quòd nullam adhuc confessionem bene fecerant, tametsi prouectæ iam ætatis propè desperarent, animus ad meliora confirmatus. Spiritus blasphemix qui annos plurimos ita quosdam exercuerat, vt propter obiectas in Deum contumelias vix nocturnæ aut diurnæ quietis partem vllam acciperent, Sacramenti virtute & diuina gratia est repressus. Omnium improbitatum aggregatio quædam est complexusque hæresis. eam pestem vnus & viginti proiecerunt, cum antè ex Tridentini Concilij formula, voce & animo matrem Ecclesiam agnouissent. Dubij erant vacillantesque in fide; ipsis languor, & nostrarum rerum inscientia sublata. Hæreticorum quoque libri certissimum venenum legentium, vel recepti, vel flammis absumpti. Superstitiones innumerae, quibus utebantur hominibus belluisque curandis, extinctæ. Obstetrix que nefario ritu & anili superstitione fœtus in lucem prodeuntes ter baptizabat, edocta. Multi mortifera odia, quæ sic animis insederant, vt nullius minis, consilio, precibus deleri potuissent, vnus voce confessarij Deo impellente posuerunt. Inter nobiles reconciliata gratia, inter infimos pax constituta. Aureorum millia bene multa, ad proprios legitimosque dominos rediere. Opima sacerdotia mala fide non pauci possidebāt: reddita iis quibus conferendi ius & potestas, percepti fructus restituti. Simonæ erant in cœ-

men-



mendis sacris imitati quidam; animæ salutis confu-  
luerunt. Non defuerunt, quicum intelligerēt quan-  
tis difficultatibus implicentur eorum conscientia,  
qui vel curam animarū habent, vel bonorū Eccle-  
siæ sunt administri; sanctè pollicerentur beneficia  
se nunquam habituros. Alius quidam suspexit  
vnus, qui relictis Beneficiis tanquam retibus, secu-  
rurum se Dominum, & perfectionem Euangelicam  
professurum asseueravit. Turpes mulierculas lecti  
socias habebant quàm plurimi, eas eiecerunt. Cer-  
tè vnus è Patribus duodecim varijs abstulit; alias  
alij; numerus haud certus. At quatuor quibus iu-  
stis de causis minùs fidendum videbatur, ante ab-  
solutionem remissi, id vt præstarent quod pollice-  
rentur: qui paulò post redeuntes se omnem turpi-  
tudinem exegisse domo publica litterarum testifi-  
catione, & flebili peccatorum explicatione com-  
probarunt. Ecclesiastici vniuersim adiuti omnes &  
edocti, vt tanquam Dei ministri & adiutores pa-  
storesque vigilantes munus suum perquam sanctè  
fideliterque præstarent. Sed quis finis, si vicatim o-  
mnia velim colligere? Iniustæ pactiones, & inique  
scripturæ, vel rescissæ, vel emēdatæ. Ab iniqua iu-  
randi consuetudine frequentes auocati. Docti iu-  
stitiam mercatores, vsuræ cohibitæ. Matrimonio  
rite coniuncti quàm plurimi. Nobiles aliquot quæ  
viri, quæ iuuenes lauta patrimonia spesque vberes  
abiecerunt, vt expediti nudum Christum duce  
B. Francisco sequerentur. Puella quædam malo &  
inuiso nescio quo genio in puteum adacta conci-  
derat; tribus inuocatis nominibus, Iesv, Marię, Ni-  
colai; quasi tribus gradibus, mediis ex aquis salua  
& incolumis emerit. Alia mulier fœtum mortuum  
ediderat, S. Nicolai nomine & numine implorato  
rediit anima, infansque baptismo lustratus est. Hoc  
tristius quod sequitur. Indignatus parens vegetum

filiolum animique plenum diris vouit, die sequenti fleuit mortuum. Ferebat utrum mulier, & ut mos procacium est stultarumque; foetum quem nondum effuderat execrationibus deuinxit: ut venit tempus pariendi non hominem edit, sed monstrum: hæc sceleris maculas & dedecus confessione deleuit. Ingenuè confessus quidam est 15. dies totos quietem nullam capere potuisse, quod pectus miserum taciti stimuli & importuni confoderent. causa hæc erat: quod partum quem suum esse verisimiliter existimabat, ut suum nollet agnoscere: unde furens muliercula, quam in fraudem & impudicam impudicitiam pellexerat, foetum etiam ante lustrationem immaniter vita spoliavit. Luberiam è templo subselliisque sacerdotum medium in forum descendere, ut nostros Christianam doctrinam explicantes audiamus. Neque enim confessionum duntaxat limitibus atque cancellis nostrorum industria sese continuit, sed etiam alia que pro tempore ad salutem animarum facere videbantur, est complexa. Consilium hoc primum fuit, rudiores qui huc accederent, ea docere quæ forent ad Indulgentias consequendas necessaria. Locus igitur captus, indictaque hora. Monetur vnus ut quam possit familiarissimè capita fidei prima summam attingeret. Sed tanta fuit non vulgi modò, sed honestorum hominum atque nobilium vis, celebritas, frequentia, ut omnis ædes atque sacellum, multo esset angustius quam ut cœtum capere posset. Migratum est in forum rerum venalium, locum videlicet apertum atque propatulum, vastum, & capacem multorum millium. Ibi è suggestu per vices è nostris duo qui tertium annum probationis agebant, per duos menses continuè dixerunt, maiore omnino fructu quam assequi vllus cogitando potuisset. Ex multis Galliaë oris qui nostram  
agendi



agendi rationem viderant nunquam, mirantes approbauerunt, & salutaria monita domum retulerunt. Frequens semper nobilitas. Principes ipsi quamdiu in oppido fuerunt (fuerunt autem multos dies,) ad statas preces obeundas, semper adfuerunt, cum incredibili animorum voluptate, & significatione pietatis. Tanta porro dicentium erat vis, gratia, existimatio, ut eos tanquam de caelo delapsos homines vulgò omnes intuerentur & audirent. Descendentium è suggestu matronæ nonnunquam rosaria vestibus admouebant, tum osculabantur religiosissimè. Disseruerat noster de Christiani hominis dum è lectulo surgit debito, quotidianoque officio. Post octiduum, accessit ad eum honestus vir, & demissè rogauit, ut eadem, quòd animo excidissent, breuiter repeteret. fecit lubens: tum ille nostri manus tam arctè complexus tanto ardore est exoscularus, ut ingentis reuerentiæ significatio pudorem iniiceret. Actum erat aliàs de boni parentis erga liberos, & proborum filiorum erga parentes muneribus & partibus: ex eunte pulchro curriculo quidam est consecutus, profusis lacrymis in ea re culpam agnoscens suam, quam deinde haud minore pietatis sensu rite verèque sacerdoti aperuit. De restituendis rebus quidam audierat. à lectione catechistam adit, dolore ardens sibi que infensus rogat suppliciter ac demissè pœnam iniungi, quam obiret lubens: nullas enim iam superesse facultates quibus satisfaceret iis quorum bona contra ius falsè retinisset. Non nemo post auditam piam doctrinam, confessionem peccatorum, quam non bene peregerat, integrè retexuit. Alij lucem ab explicatione cum accepissent, difficultatū nodos proponebant, quos ingenio nostri prudentiaque dissoluerent. Hæc in vrbe, foris etiam haud exiguus campus fuit pate-

factus, in quo nostrorum caritas laborque excurreret. Lege cautum & prouisum erat diligenter, ut commodius peregrini exciperentur, ne quis pauper qui stipem ostiatim quæreret, oppidum ingrederetur. Assignatus in vicino locus, templum, sacerdotes, ut publicis sumptibus duos tresue dies excepti, auditi, expiati concessas Indulgentias assequerentur. Eò missi de nostris Patribus duo, qui dum nauant operam confitentibus, comites interim nouitij cœtu facto rudes mendiculos erudiebant: fuit operæ pretium. Turpes mulierculæ è cœno libidinis eductæ, implicatæ multorum conscientia solutæ. De tota vita auditi permulti, & nimirum hic tacitus sensus diuinitus, opinor, missus omnium penè animos peruaserat, omnia nunc tandem aperienda sacerdoti perspicueque dicenda quæ tot annos in latebris animi testa latuissent. Sed hæc penè vniuersa aduentitia sunt Domui Probationis, nunc quæ eius sunt propria persequamur. Duo & triginta omnino hic residemus: sedecim nouitij, veterani sex, reliqui vel priuatim vel publicè propriis Societatis nostræ muneribus occupantur. Porro in alias ædes aliamque ciuitatem, ut initio dicere institueramus, hoc anno immigrauimus: causa hæc fuit. Vir est nobilis antiquissimæ familiae atque patriciæ maiorum gentium, Antonius Lenoncurtius, Abbas Bellopratensis, gratiosissimus apud Lotharingæ Principes, cum quibus diu multumque versatur. Hanc illi Deus mentem iniicit, ut piis commentationibus erudiri vellet. Breui quo apud nos tempore fuit, vix credibile est quantos in pietate fructus fecerit. Is postmodum ornato donis cælestibus pectore, de nobis ornandis beneuolentissimè cogitauit. Nihil ergo cunctatus voluntatem P. Rectori suam aperit, cupere se & optare vehementer, ut in Lotharingæ luce,



in oculis Principum, in sinu complexuque patriæ versaremur, vnde ad quàm plurimos pro nostri instituti ratione fructus vberimus inanare posset. Scripturum se ad Illustrissimū Principem Erricum Episcopū Virdunēsem, qui tirocinij nostri parēs & fundator est, vt quod ipse mēte apud se statuisset, æqui bonique consuleret. Erat illi domus in vrbe principe, Nanceium vocant, vbi sedes ac domicilium est Illustrissimi Lotharingæ Ducis, eiusque filiorum, vbi multa nobilitas, vbi ciues lauti & honesti frequentes. Has ædes excitarat ad hilaritatem animique relaxationē, in quibus cohonestandis diligenter incumberebat. Tota substructio eminet sanè perquam elegans, hortus iucundissimo ad orientem solem prospectu, & saluberrima cæli aspiratione amœnissimus. Cingitur hortis locisque vacuis & solis, vt ad tironum vel quietē vel commoditatem nihil accommodatius cogitari potuisse videatur. Domum igitur hanc se tam commodam, tam elegantem pulcherrimo sanè dono se maximo lubentique animo dare dixit, vbi nouitij ad omnem pietatis & virtutis partem informarentur. Et ne quid deesset ad absolutionem vel præstantissimæ virtutis suæ, vel nostrorum commodorum, recepit se nobis templum augustū amplumque proximis annis curaturum. Benignam viri voluntatem pro eo quo erga nos est animo exosculatus est Episcopus Virdunēsis nec inuitus, nec inuitus R. P. Prouincialis annuit: quippe quem angustia priorum ædium iam pridem sollicitum habebant. Nec enim erat quies ea quam tironum institutio requirit, cum totos dies vicinia perstreperet: sacellum nobis erat & exiguum & importunum, in quo vicinorum locorum strepitus sacrificantem interturbaret. Res visa dignissima quam P. N. Generalis admitteret probaretque. Igitur

felicibus auspiciis eò migravimus hoc anno, Septembri mense, in ærte oppido quod relinquebamus, & suam orbitatem lugentè, quòd quemadmodum nobiscum aduenisse pietas & Sacramentorum vsus, sic nobiscum abire videretur. Iam enim multi ad Christianæ vitæ perfectionem adspirabant: multi apud nos Sacramentis capiendis dabant operam, qui longè antè discessum hunc nostrorum præsentientes lugebant quòd paucissimos haberent aut eruditè pios, aut erga salutem animarum piè animatos. illorum inopiæ & solitudini, quandoquidem oppidum haud longo interuallo distat Nancæio, quantum commodè fieri poterit, occurremus. Iacta sunt templi fundamenta Augusto inclinante: & sanè res hæcenus satis feliciter & ex animi sententia processere. Noui templi lætitiæ auxit insperata Serenissimi Bauariæ Ducis Wilhelmi munificentia. die S. Virgulæ sociisque virginibus sacro earundem sacrarum virginum reliquias venerandas quinque inclusas arculis, præter omnem expectationem à munificentissimo Principe accepimus. Donum id pretiosum ab Illustrissima Bauariæ Ducissa paucis antè mensibus quàm extremum diem clauderet, affectum, ab optimo coniuge eiusdem pietatis herede perfectum est. sacrosancta martyrum ossa serico vestita opere phrygio gemmis intermicantibus per arculariū transfennas facillè dispiciuntur, arculæ ipsæ argento & ebena affabrè elaboratæ intuentium oculos non sine tacito pietatis sensu oblectant. Denique egregium hoc munus tanto Principe dignissimum, vel ex eo æstimari potest, quòd Serenissimi Principes nostri eius fama exciti id sibi non semel visendum putarint, idemque apud suos postea magnificè prædicarint. Et verò eximiam Bauariæ Principis liberalitatem antevererat Illustrissimus Lotha-



tharingia Cardinalis, qui brachium nobis argenteum aliquot antè diebus donarat. Virorum principum benignitatem æmulati sunt quã nobiles, qua honesti ciues non pauci. Non abierimus longè: hoc nuperrimè cum scriberemus, vir nostræ Societati addictus in paucis vas nobis argenteum ad sacras synaxes auro pretiosè celatum obtulit. ita sacellum nostrum, quod ante paucos menses rebus propè necessariis destitutum erat, sacra in dies & numerosa supellectile mirificè ornatur. Sed ad D. Nicolai oppidum, vnde tantisper nouarum ædium causa eramus digressi, ex interuallo redeamus. Peregrini à nobis adiuti multi, qui miraculis magnis à præsentì vitæ periculo liberati, D. Nicolao vota persoluerunt. Oppidanus hic quidam fuit, qui oleo conficiendo se familiamque sustentaret: is cum esset paulo fordidior, & lucri nimium appetens, diebus festis ac Dominicis non laborabat modò ipse, verum etiam suos ad opus vrgebat. Illi mentè atque intelligentiã bonus Deus affligendo dedit. Cum sacris ferijs de more elaborat, incidit in morbum, cuius causa progressionisque non modò medicis, sed illi ipsi qui patiebatur ignota. Tenuit eum dies 15. pluresue, neque tamen aut cælum suspexit, aut in intima sua conuertit oculos. Alio Dominico quodam die iubet coniugem operi incumbere: eodem ipsa morbo derepentè virgetur, sed ne tum quidem vindicem Deum agnouit. Successit dies Apostolo sacer, quo seruum amandat ad rem domesticam impio more curandam: quam vix attigerat cum ecce dolor acutissimus ita pedem astrinxit famuli, vt vires omnes & mentem exhauriret. Tum ille tandem religionis contemptor oculos aperuit, & castigantè Numinis manum est suauitatus, promisitque se nunquam sacros dies opere nefario contaminaturum. Iam ex quo Nancæium

commigrauimus, feliciter satis institutum est (quod frustra sæpe hactenus tentatum fuerat) vt nouitij ægros in nosocomio inuiserent, omniq̃ue officij & obsequij genere subleuarent. Itaque diebus singulis quaterni eò amandantur, qui solita pietatis & Christianæ humilitatis munera obeunt, in conspectu vr̃bis nobilissimæ ad tantam vel submissionis, vel charitatis insolentiam obstupesceris. Nec in reliquis iuuandis ciuibus nostrorum opera est desiderata. In sacris concionibus & doctrina Christiana rudioribus explicanda strenuè est à nobis elaboratum. Vnus in vr̃be diebus festis frequenti virorum & nobilium ciuium concursu manè concionatur, alter vesperi pueros Christianæ fidei elementis informat. Quo etiam tempore veterani comitibus nouitijs in vicinos pagos excutunt, & otiantes rusticos eiusdem fidei rudimentis instituunt, vt in omnem partem non contemnèdi fructus ab hac Probationis Domo cœperint deriuari. Vnum aliquem è multis delibemus & finiamus. Proximo die festo Natalis Christi Domini sacro conuiuio refectioni sunt facilè octingenti, ferè bis mille vel ciues, vel è vicinis pagis rustici sacra apud nos confessione expiati censentur.



## PROVINCIA GERMANIÆ

## S V P E R I O R I S.



**I**N Prouincia hac quindecim domicilijs numerati hoc anno Socij 353. Ingolstadtij aliquot supra sexaginta, Biburgi 5. Dilingæ septem supra viginti, Monachij circiter 60. Eberspergæ 7. Augustæ 30. Oeniponti 19. Halæ 18. Lucernæ totidem, Ratisbonæ 21. Fribürgi 18. Brundruti 15. Laudspergæ 45. In Residentia Constantiensi 10. Oetingæ 9. Donati Societate 13. Exempti è vita 5.

*Collegium Ingolstadiense.*

**D**Ecessit in hoc Collegio P. Ægidius, qui curandæ valerudinis causa ad nos venerat, regularum studiosus, æqui seruantissimus, & paupertatis amans, animi summissione & cura conscientia singularis. Gymnasium numero ac nobilitate floret: Comites habet 6. Barones 12. Sæpius dramata loco & tempori apta exhibita. Creuit Ignatianum Collegium, hoc anno adolescentum numero. Ex Religiosis duo Philosophicas assertiones cum laude detenderunt. Sex se commentationibus sacris apud nos exercuerunt. Plurimi conuictores Sodalitati B. Virginis ascripti. Bacchanalibus de dispari bonorum ac malorum iuuenum studiosorum obitu drama à Collegij Ignatiani incolis datum. Hieronymiana domus etiam suos tulit fructus in litteris & pietate. Tres ex illis post defensas theses Magistri renunciati sunt. Virginis Sodalitas, cum maior, tum minor, & tertia Religiosorum, pietate & religione hoc anno singularis fuit. Frequentarunt Sacramen-

cramenta, opera vtriusque misericordiæ exercuerunt. Per Quadragesimam quotidie nonnulli sub cantu Psalmi quinquagesimi terga diuerberarunt, & rarò sine sanguine: multi expansis brachijs orarunt. Qui se flagellis ceciderunt, numerati quadringenti. Peregrinationes ad pia loca susceperunt. Partim sancti Francisci, partim aliorum Religiosorum instituta amplexi 14. Quidam peregrè proficiscēs, cum noctu in diuersorio de castitate periclitaretur, è lecto exiliens è cubiculo profugit, & dura in humo cubuit. Tredecim de externis sacris meditationibus dederunt operam. Generalem confessionem obierunt supra 60. Multi aliunde huc peccata expiatum venerunt. Desperantibus, aut necem sibi cogitantibus allatum auxilium. Mulier è libidinis cœno emersa, quæ plurimum & integrarum noctium vbere fletu multos in admirationem rapuit. Alia peccati sibi conscia, nec confessâ, in Paschate Eucharistiam percepit, actâque in furorem diuinitus, tres integras hebdomadas nihil cibi aut potus admisit: tandem visa videre Angelum, de confessione apud nostrum facienda monentem, paruit, & sanata est. A Lutherana perfidia reuocati 34. Inter quos vnus iuratus affirmavit se per quietem vidisse Dei matrem vestitu candido, monentem vt ea via incederet, quam sibi vnus de nostris ostendisset. In dissidentibus conciliandis cum fructu laboratum est. Diuisæ sacri agni imagines ad terrores arcendos. Ægroti penè quotidie visitati; multorum etiam egestati liberaliter succursum. Carceres sæpe aditi, & captiui ad tolerantiam animati. Capitis damnatus die supplicij subeundi, nec cibi quidquã gustare nec vini voluit, Patrique clam dixit, Quia pœnas à Magistratu decretas, & sceleribus meis debitas luo, addam insuper quantumcunque hoc ieiunium, vt præter debita spontaneum quiddam



Deo meo toties offenso offeram. Tempore sacro  
 Christi nascentis & resurgentis præiuro, extra vr-  
 bem rudimenta fidei fructuose tradidere noueni.  
 Toto anno in pago quodā vnus Ecclesiasten egit.  
 Quid effecerit, sequētia declarabunt. Parochi vnus  
 totius vitæ confessio audita, quo ægrōtante ran-  
 diu à nostro Sacramenta administrata. Infirmi in-  
 uisi, salutari viatico muniti. Patre concionante ad  
 pōpulum socius æstate sub dio, hyeme in æde Cu-  
 rionis iuuentutem catechismo instituit. Alius sa-  
 cerdos in alio pago per trimestre Parochi munere  
 functus est, magno indigenarum fructu, quorum  
 omnium conscientias pridie assumptæ in cælum  
 Virginis, expiauit: quod eo loco antè fuerat inau-  
 ditum. Qua in re Parochus ipse gregi suo præiuit.  
 Concionum tanta fuit apud auditores opinio, vt  
 de illis sapius per hebdomadam inter se colloque-  
 rentur. Hebdomade magna plura loca adita hoc  
 anno, quam cæteris, oppida duo, pagi sex, plerique  
 celebres & ampli. Numerus confitentium in oppi-  
 dis duobus ad nongentos accessit. Duo paria dissi-  
 dentia conciliata, quinque ad Ecclesiam reducti.  
 Sacræ suppellectili accessit calix ex dono Mantua-  
 ni Principis, corona gemis & vnionibus referta ex  
 plurium nobilium liberalitate, frontale candidum  
 è panno damasceno nobilis matronæ beneficio.  
 E veste holoserica, quæ vnâ cum bibliotheca mil-  
 le florenis æstimata, à nobili & doctissimo viro  
 Roberto Turnero legata est Collegio nostro, duæ  
 sacrificales vestes factæ.

### *Residentia Biburgensis.*

Biburgi habitauerunt quinque, sacerdotes duo,  
 Coadiutores tres. Sacrarium hoc anno elegans,  
 nostrisq̄ue vsibus aptum in templo nostro ædifica-  
 rum:

rum: molendinum præterea à pago non longè ex-  
 tructum. Plurimi ex diffitis locis ad nos venerunt,  
 vt animarum sordes eluerent, & salutaria consilia  
 caperent. Duæ mulieres & vir septuagenario maior  
 secundum quietem sæpius moniti sunt diuinitus,  
 vt peccata nostris exponerent. Ad Ecclesiam redie-  
 runt 9. è quibus restatus est vnus magnam idcirco  
 partem patrimonij sibi relinquendam. Episcopus  
 Ratisbonensis, cum hunc locum, vt alios, iustraret,  
 quingentos caelesti pane refecit, Cõfirmationis Sa-  
 cramento muniuit trecentos sexaginta. in quibus  
 multi ex vicinis pagis. In Abensperg (proximum  
 est oppidum) numerus quater in anno sacra myste-  
 ria vsurpantium augetur. Catechesis etiam adultis  
 auditoribus floret. Carceres sedulò ac frequenter  
 aduertunt, magna Magistratus approbatione. Ad  
 nascentis & resurgentis Christi ferias auditæ ibi-  
 dem confessiones sexaginta supra sexcentas. Ex  
 oppido Sigenburg, quod sæpe aditur, quingenti, ex  
 pago Kirchdorfensi, trecenti quinquaginta à no-  
 stris auditi. qui etiam Neustadium euocati multis  
 confessionibus aures dederunt. Monasterij Apo-  
 stolorum Petri & Pauli templum restauratũ, aliud  
 S. Viri exornatum, amplum granarium ædifica-  
 tum. Coronatum B. Virginis illic tantus vsus, vt  
 etiam adultiores, in itineribus illas visi sint recita-  
 re. Vir grauis vni de nostris narrauit fuisse ante ali-  
 quot annos, præ nostro aduentu, post abitum Mo-  
 nachorum, virum quendam monasterij incolam,  
 cuius filiola forma & venustis moribus adeò sibi  
 matrem deuinxerat, vt illa eam superba veste di-  
 gnâ iudicaret; at verò cum, vnde pararet, illi non  
 occurreret, in mentem venit multas in sacratio  
 vestes esse sacras nulli vsui, nec aduertendam fore  
 vnius surreptionem. Igitur vesana damascenam  
 Diaconi vestem sacrilegè surripit, in partes disse-  
 ctam,



etiam, ne pateret furtum, sartori tradit, vestem inde puellæ conficiat. quarto post die æqua Numinis ira, ingenti matris luctu ac propè infania puella extinguitur. Ad montem Allerstorfensem Deiparæ sacrum, supra quadraginta voruua munera exoluentes venerunt, quæ sponponderant ægri. Die Virginis ab Angelo salutatæ concursus hominum fuit tantus quantus antea nunquam, plurimi peccata fassi cælestem panem acceperunt: femina vna ea causa multis millibus passuum nudis pedibus venit. Oblata victima cælestis septuagesies septies varijs de causis, bis pro puella & viro fato functis, qui alijs per somnū visi sunt exposcere, quod viui vouissent, non soluissent. D. Leonardo plurimi supplices facti, & pro pecoris morbis exauditi, qui grati animi indicia munera multa attulerūt. Quinquageni & amplius hîc vario tempore sacram synaxin perceperunt. Pastor agnam habuit vnicam, illi collum ad eò tumuerat, vt propè ab interitu abesse videretur: miser D. Leonardum supplex precatur pro ea, simulque pollicetur, si sanitatem reddat, proximum agnellum quem pareret, se illi staturum: sanata, proximoque partu geminum effundit, vno sibi seruato, alterum sancto Leonardo gratus dicat.

### *Collegium Dilinganum.*

**A**D tirocinium missi duo, vterque præclara indole. Sacris imbuti meditationibus, præter alios octo, Religiosi decem. Confessiones omnium vel plurium annorum audiat 120. Crimina multa vel timore vel pudore celata, tandem patefacta, præsertim Iubilei tempore, quo tempore tanta ad nostros sacerdotes domi forisque multitudo sese piare cupientium confluit, vt eos penè oppresserit, & vel

20. confessarios satis occupare potuerit. Duo adolescentes oblata sibi specie Deiparæ per quietem, è turpitudine emerferunt. Femina totis 30. annis magnis conscientiaë angoribus implicata, à duobus miliaribus cum huc veniret, per confessionem tranquillitatem animi consecuta est. Ancilla Lauingana in medio nationis prauæ versantes animi maculas apud nos detergant, & constantiaë in fide nonnunquam illustra edunt specimina. Vna certè ex illis expansis brachijs Deo supplicat quotidie, vt sibi veræ lumen religionis conferuet & augeat: quæ & cum præconibus Lutheranaë perfidiaë ipsam aggredientibus aliquando decertans de ijs triumphat. Parochus quidam pro concione negabat gregi suo fas esse ad nos confessionis ergò accedere. quo cognito Reuerendissimus noster ad se accessitum temeritatis errorisq; coarguit. Ex militibus Gallis hac in Vhgariam transeuntibus aliqui à nobis pœnitentiæ Sacramento lustrati, spiritua libus armis instructi, & cereis agni cælestis imaginibus donati. Ad cœtum Catholicorum aggregati supra 30. Odiã inter nonnullos restincta, qui sibi necem mutuò minabantur. Ægrotis nocturna & diurna opera nauata. Cohortationes in xenodochio habitæ. Subuentum egentibus impetrata à Partheniano Sodalitio pecunia. Adiuti pauperes peregrini in ptochodochio, actumq; cum Præfecto, ne quemquam malæ turpisq; notæ reciperet. Et vincti opetam nostram experti sunt, vna præsertim venëfica, quæ seipsam apud Magistratum accusauerat, vt pœnas iure debitas persolueret: quæ multas in carcere lachrymas pœnitentiæ testes profudit, magnaq; pietatis & lætitiæ significatione supplicium extremum pertulit. Illustrissimi Principis & Episcopi nostri mandato instituta etiam hoc anno 40. horarum comprecatio. Ad



Natalem Saluatoris exomologesin omnibus aulicis præcepit, pœna negligentibus constituta. Eo die in aula Academica Pontificia cæremonia operatus, iuuentutem epulo cælesti refecit: id quod ab eo in Paschate quoque, Pentecoste, alijsque diebus sacratoribus est factitatum. Quidquid ferè in Academia dicitur vel agitur publicè, id eo præsentè dicitur vel agitur. Multa & egregia de huius Principis in Deum pietate; in nos liberalitate & amore singulari commemorare possem, nisi instituta breuitas prohiberet. Academia floret in dies magis discientium nobilitate, ingenijs, numero, qui 600. supergreditur. in his vt sidera quædam, Barones tres, Comites sex: Baccalaurei creati 38. Magistri 30. Actio in theatro triplex spectata, prima oratoria, in qua Iustitia diuina Protoplastum accusauit, defendit Misericordia; euentum iudicij humano generi salutarem angelus mortalibus nunciavit. Duo Christo nato Genethliacum alternis pronunciarunt, quos musici octo clericorum more palliati, duobus choris distincti, suauis modulatione sunt per strophas singulas subsecuti. Altera fuit de curiositate, habita Bacchanalibus, plena lepôris & hilaritatis. Tertia de S. Wolfgango, propter magnificentiam & actionis dignitatem probata magnopere spectatoribus. Conuictores 222. in his diuersarum familiarum cænobitæ 90. Alumni Pontificij 24. Curtiani 9. Antistitis nostri 5. Eüstadiani 2. aliorum dominorum ac Mæcenatum minimum decem. Cæteri vel nobili vel honesto loco nati. Vigent inter incolas huius domus studia litterarum atque virtutis: in quibus productiores preces, flagellationes, & similia. Ad supplicationem quam in Parasceue Sodales obent, hoc additum: quidam de collo catenas ferreas gestarunt: alij incessere manibus post terga reuinctis, vt Christi capti vin-

ctique ferrent imaginem. qui crucem baiulantis personam gerebat, identidem sub lignea mole humi cadebat, quem milites seu carnifices sævum in modum raptare, propellere, protrudere, iusti spectaculo. Nimis longum facerem, si piè sancteque à Sodalibus gesta percensere omnia vellem; & quia cum alijs Sodalibus aliorum Collegiorum ferè communia sunt, eò libentiùs omitto. Loca in quæ nostri varijs anni temporibus, adulta præsertim Quadragesima excurrere, sunt hæc ferè: Eluanga, Oetinga, Wettehusa, Noreshemium, Wallerstein, Wembdinga, Weissenhornium, Kirchberga, Kirchemium, Ginzburgum, Ilerberga. Non numerabo pagos vicinos, & oppida, vbi nõ minùs quàm in illis remotioribus nostrorum labor cum utilitate versatus est. In his excursionibus populus è superiori loco, minor ætas in plano salutiferis præceptis imbuti. Hæreseos non pauci, criminum maculis quàm plurimi purgati. Vt autem speciatim quædam afferantur, Eluangæ die, quo Christi excessum luget Ecclesia, supplicatio habita ad sepulchrum cum face plurima, & incredibili hominum frequentia, quam sua præsentia & pietate Reuerendissimus Præpositus illustravit; qui quanquã aliàs sæpè documenta dedisset suæ in nos voluntatis, tamen aliquando publicè professus est, cum dixit, quicumque Societatem, vel infimum eius verbo factouè læderet, ipsum læsurum. Parochus Eluacensis non antea magis & clariùs, quàm quadraginta illis ieiunij diebus nostrorum fructum in audiendis confessionibus notasse propalam testatus est. Eluanga qui è nostris proficiscuntur, in monasterio Noresheimensi, non sine animarum lucro diuertunt. Plerumque enim aliquot ibi, sepeque nõ paucos reperiunt, quos vel hæresi vel peccatis expiant. Hos inter Curiones nonnulli monasterio subiecti,

quos



quos eam ob causam Abbas religiosissimus conuocat studiosè. Ad cœnobium Wcttenhusanum missus hinc sacerdos, vt, (quod cœnobitæ non poterant) præfractas subditorum ceruices flecteret, iugoque veræ pœnitentiæ subijceret. flexit ac subiecit feliciter. Eiusdem Patris labor monachis quoque non mediocriter profuit. Wembdingæ transfactis Paschalibus ciues ad ædem quandam D. Virginis nomine celebrem per fines hæreticorum erectis & explicatis vexillis supplicatum iuerunt impauidi. Pendere de collo rosaria, cantu læto pioque, quaquà incedebat agmen, omnia personare; contemnere gens impia, idololatriam Põtificiam tollere cachinnis: illi nihil moueri, sed alacres pergere, quâ pietas & religio vocabat. Nostris id præsentibus & adiutoribus factum.

### *Collegium Monachiense.*

**D**VO diem suum obierunt, prior P. Martinus Marius Coadiutor spiritualis, annorum 57. vir religiosi candoris & antiquæ simplicitatis, iuuandi proximi percupidus. Alter P. Henricus Arboreus Belga, 80. annos egressus, traductis in Societate 46. rerum humanarum ac sui despiciens, vt quàm maximè; paupertatis, fraternæque concordia tenax. Quatuor solemnibus votis Deo & Societati se in perpetuũ deuinxerat. Conciones in æde D. Michaëlis, in aula Serenissimi & scholarum nostrarum perpetuæ. Catechismus quatuor locis per urbem explicatus: per Aduetum & Quadragesimam ruri locis pluribus Exomologeses totius vitæ fuerunt 390. & amplius. Epulum cæleste inierunt triginta quinque millia. Confessiones innumere multis ab annis redintegratæ Multi pluribus annis delictorum conscientia dirissimè stimulati, cum à

confessione refugissent, tandem se nostris aperuerunt, & optata quiete potiti sunt. E cœno libidinis 12. emerfi. Multi vt à consuetudine blasphemix, popinax, atque impotentis irax tandem aliquando descilcerent, pœnas sibi vltro arbitrarias indixerunt, quoties relabi contingeret. Duax virgines, feminax quatuor, quini adolescentes in Religiosas familias se dicauerẽ. Inauditax superstitiones sublatax, vnax cum libris vanitatis & stultitix plenissimis. Plures prohibitax ne propter egestatem corpora prostituerent, aut se dæmoni venderent. Lites quotidianax, iurgia, odia, & inimicitix sublatax. Multa coniugum paria inter se reconciliata. Compluribus in orthodoxa fide hæsitantibus consultum. Ab hæresibus absoluti 42. Libri hæretici quamuis magni pretij, exusti. Quidam paupertate afflictus, cum in agro mœstus obambulet, dæmonem habitu venatoris se offerentem & pecuniam pollicentem ab se repulit. Quidam dum sarmenta in ponte colligit, per imprudentiam in fluium delabitur: iamque cum vndis luctans, & diu satis visus est diuinitus moneri, si vellet euadere statueret eluere sordes apud eum, cuius etiam nomen exprimi audiebat. Statuit, cum casu duo viri iuxta ripam ambulantes luctantem conspiciunt, accurrunt, hominem præsentis periculo eripiunt. Mulieri ægrotanti, habenti que ad latus cubantem filiulam tabidam, clausa domo dant se in conspectum viri duo, qui hortantur, vt iam à viro, à Deo, & omnibus deserta, si pecuniam & solatium velit ab ipsis recipere, prolem suffocet, ipsos sequatur. Mulier timore concussa, nomen IESV inclamat. illi paulum retrò cedunt: cum idem ingeminaret, omnino se proripiunt. vocat deinde Patrem Societatis, a quo & timore & peccatis absolvitur. Alia huius generis cogor prætermittere, ne longior sim.



Serenissimus Maximilianus vno tantum & altero famulo, & duobus de nostris stipatus, pridie Paschatis domum hospitem est ingressus; ad singulos ægrotorum lectulos accessit, suaviter est allocutus, & ad patientiam hortatus, & larga stipe prosecutus. Idem eius Serenissima coniunx in alio xenodochio præstitit. In nosocomio qualibet hebdomade, de rebus piis sermo institutus. Otiosis rosaria distributa, ut iis percurrendis tempus fallerent. Muniti complures Agni cerei sacris icunculis. Effectum ut peritiores instruerent eiusdem loci pueros, & alios rudiores Christianæ doctrinæ facilioribus capitibus, magisque necessariis. Destinatus item, qui cæteris quotidie de sacro libello quidpiam recitet. Mater & filia suspenso de collo lipfano B. P. N. Ignatij hortatu nostri sacerdotis, febrim ab se dispulerunt. Eiusdem ope nosodochij Præfectus, iam à medicis desperatus conualuit. Ad subleuandam aliorum egestatem corrogati floreni 500. In usum tenuiorum à locupletibus & piis hominibus collata pecunia summam facit florenorum 1103. In gymnasio numerauimus supra 900. discipulos, in his Comites 2. Barones 7. Theses excusæ & disputatæ bis. Actiones datæ ter. E Sodalibus Parthenianis tres inter Franciscanos cooptati, duo in nostrum commilitium. Tres item nostris meditationibus exculi. Hoc anno frequentiores diuerberationes, aliaque specimina pietatis in templo nostro dederunt. Alia breuitatis studio narrare omittimus, ut ad vitam & obitum Serenissimæ Renatæ Principis nostræ veniamus. Habebat illa more nostro tempus omne distributum ordine, quando quiduis agendum esset, aut animo corporiue dandum ad necessitatem necessariumue laxamentum. Et quidem plurimum vacabat rebus diuinis; minimum sibi, negotijsque humanis. Ex-

perrecta diluculo, primas omnium cogitationes & intentiones animi referebat in Deum: inde secundum preces aliquot solennes, magna sui consolatione, quam frons ipsa palam semper ostendit, de Christi Domini gestis & cruciatibus meditabatur, eaque commentatione mirum quantum afficiebatur. neque solum recitabat preces horarias instar Clerici ad hoc peculiariter astricti, verum & multas alias, pro omnibus Christianorum causis, variisque hominum generibus & statibus, quos Deo sollicitè commendabat sub tria Missarum sacrificia continenter audita quotidie, nonnunquam & plura: stans horis ante meridiem & somnum intrabat in se ipsam accuratè, dicta, facta, cogitata sua diligenter explorabat. Quo thebdomadis minimum semel, sacratoribus temporibus iterum confitebatur sacerdoti, omnia sua ductui illius censuræque subijciens: quem etiam mirificè colebat & venerabatur. Toties item SS. Eucharistiam percipiebat, inflammato studio se quàm intimè deuinciendi Christo. hanc coniunctionem maxime spectabat in omnibus, vt à Deo gratiam iniret semper maiorem, & communionem obtineret illius meritorum ac perpeffionum. Peracta synaxi, colloquia pietatis amorisque plena cum hospite Christo protraherebat in longum: de cuius & rebus, quemadmodum & D. Virginis, aliisque diuinis audire, ac miscere sermones, illi iucundissimum fuit. Quapropter curabat semper manuum laborem suum pia quapiam lectione, præsertim ex libello De imitatione Christi, velut quodam condimento suauitatis aspergi: eiusmodi exercitationes illa constanter retinebat, neque alio negotio vel impedimento, nisi forsan ægritudinis, quoad fieri poterat, intermisit. hinc lumen illud hausit eximium, quo mente collustrata diuinitus præclare



clarè discernerebat, quid Deo gratius esset, in quo vis & momentum veræ solidæque virtutis consisteret, idque magno conatu prosequeretur. Vt verbo dicam, verum illa fuit Christianæ perfectionis & religionis exemplar in paucis, tali statu, loco, tempore: virtutis omnis & integritatis studiosa, prorsus, vt Deo consecratam, in aulâ & in sæculo vitam degeret, femina Dux; tantis deliciis, opibus, clientelis, aurâque populari, ni spreuisset vniuersa, circumfluere & illectari potis. Obedientiam Domino marito perfectam exhibebat semper, & singularem defererebat obseruantiam: modestia & animi submissione erga eundem, suumque confessarium fuit insignis. Charitatem ferebat in oculis, & anteferebat omnibus, eâ innotebatur cætera: hac sine nil magni ducebat, & illius omnes assecuta fuit numeros, prout describit Apostolus ad Corinthios. Sobolem charitatis beneficentiam petitis complexa visceribus, annum census bis millium, quos habebat proprios, ad vnum effudit in pauperes: ex his delectos 12. alebat quotidie, frequenter ipsa coram ministrabat accumbentibus, vt & alijs alibi nouo exemplo, propè lacrymis rigaret intuentes. Idem faciebat in ægrotos, quâ domi, quâ foris, eos sæpenuerò visens, ope, consolatione, manu etiam sua quasi famulati iuuabat. Idem in hospitales domos & nosodochia, quorum ipsa vnum constituit impensa viginti millium. Idem in orphanos & pupillos educandos; in tenuiores adolescentes, vt honestis artibus discendis vacare possent. Religiosos vtriusque sexus valdè coluit & suspexit. quantopere verò Societatem nostram amaret, ne cogitatione quidem informari potest: eiusdem profectu & meritis ad communem hominum salutem, exultabat in Domino, atque vel aspectu solo nostrorum ho-

minum videbatur recreari: contra verò Societatis  
 arumnis & tempestatibus in eam concitatis tam  
 indoluit, quam suis nunquam. Ex animo se Do-  
 minumque maritum & liberos Societati persæpe  
 commendabat, & in magni beneficij loco pone-  
 bat, vtrumque in communione & charitate Socie-  
 tatis viuere ac mori. Cæterum multa prolixita-  
 tis vitandæ missa facere cogor, alioqui narratione  
 dignissima & admiranda: de constantia illius, æ-  
 quitate animi, ac robore in sufferendis aduersis ac  
 morbis sine vlla quiritatione; quàm se diuino sem-  
 per nutui conformem gesserit in quemuis euen-  
 tum, hilari semper eodemque vultu; quanta men-  
 tis pace, quamque stabili serenitate gauderet; quæ  
 nulla posset obfuscari tristitia, aut perturbatione  
 caperari: quàm sincerè timuerit Deum & in ambi-  
 guis sollicitè cauerit, ne quid fieret cum eius of-  
 fensa, idque suis identidem soleret inculcare, sua-  
 dens cõsiliu confessarij. Silebo de summa lenita-  
 te morum & facilitate, qua domesticos etiam pec-  
 cantes interdum accipiebat; admonebat sine omni  
 verborum aculeo & stomacho, cuius ne exile ver-  
 bum eminebat vnquam. nil dicam de neglectu  
 vestitus, quem posterioribus annis gerebat omni-  
 no vulgarem, & quasi plebeium: nil de maceratio-  
 ne carnis per ieiunia, flagella, cilicia, similesque  
 asperitates, quas in tempore & loco prudenter &  
 moderatè suscipiebat: nil de parsimonia victus,  
 quem velut medicinam capiebat, & quidem agrè,  
 tamque modicum, vt iudicaretur à peritis, vix esse  
 tolerandæ vitæ, adeoque præter vim naturæ sus-  
 tentari. Tacebo de singulari castimonia, purita-  
 teque, quam per annos 15. cum Serenissimo con-  
 iuge seruauit. Placet hoc postremum addere,  
 præstantis religionis indicium: impendente festo  
 die quopiam illustriore, cum ægrotasset antea fre-  
 quen-



quenter & eousque præcisè, toties sibi mox restitutam videri, tantasque recuperasse vires, vt diuinis rebus interesse posset: transacto tempore illico in pristinam corporis imbecillitatem relabi. Talem igitur vitam, labis adeò sinceram, diuitemque virtutis & sanctimonix, quid mirum si beata mors sit consecuta? quam 10. Kal. Iunij tranquillè placidissimeque, sine graui lucta, sine communis hostis infestatione terrificâ, quoad licuit aduertere, sub horam diei septimam, & amplius oppetijt, lectulum stipantibus iuxta principes personas, multis nostris Patribus & Fratribus. Et videbatur diu antè præcepisse finè suum: cum enim suadentibus medicis ad refocillandam valetudinem, ex qua pridem laborabat, adultæ iam vere profectioem (quam sibi dicebat vltimam fore) cum Domino marito per Eberspergam instituisset, Oetingam veterem, isthic matri suæ sibi que amantissimæ Deiparæ postremam salutem & vale dictura: vbi se suaque omnia statim de via sacrum sacellum ingressa inis ex præcordiis eidem commisisset; ecce tibi d repente in eodem loco febricula corripitur (qua demum extincta est Monachij) sed ægrè domum reuecta. Et licet negantibus omnino medicis esse periculum, ipsa tamen & reditum vrgebat, & reditu ad voluntatem facto, se comparabat ad mortem; adhibitis omnibus quæ necessaria forent, eo que conducere possent. Funus ex ædibus Serenissimi per nostram domum vespere translatum succollantibus nostris, & comitatum à reliquo Collegio nostro, familiaque Principis senioris, aëre tedis collucente, repositum est in templo præ summa ara, vbi nostri psalmodiam Ecclesiæ funebre clara voce recitabant, inde portatū in sacellum reliquiarum sacrarū. hinc stetit aliquot dies, dum tandè pridie Kal. Iunij vespertinis exequiarum transactis;

cæteris omnibus exclusis, solo Serenissimo viduo præsentem humi semper defixis genibus, conditum est manibus nostrorum in sepulchreto seu crypta templi subterranea, loco Principis vtriusque sepulturae destinato, ad dexterum latus primi altaris.

### *Residentia Eberspergensis.*

**C**Atechismo duobus locis rudè instituti: sacro chrisimate muniti huius loci & vicinorum qui confluxerunt, 3124. Abolitus mos piaculare Sacrum faciendi pro paruulis ante rationis usum defunctis. Aniles opiniones & superstitiones ex animis multorum euulsæ. Coronam B. Virgini recitare edocti rustici, qui id antea vel nesciebant, vel ludibrio habebant. Visitatum est nostris ægros & moribundos iuuare. Sacra sigillaria Agni Dei impertita peregrinis, quæ ab illis avidissimè expectantur. Pœnitentiæ Sacramentum toto anni curriculo obierunt apud nostros 4200. Foris à locis huic pertinentibus, aut nostræ iurisdictioni subiectis 800. Eucharistiam susceperunt extra Pascha 3412. Sacræ cõfessiones totius vitæ minimùm 600. fuerunt, multorum annorum ad summum 30. vel plurium, de suppressis antehac peccatis 1200. circiter. Ex his confitentibus plurimi Curiones, aliiq̃ sacerdotes fuerunt. Magistratus oppidorum quosdam fidei religionisq̃ suspitione laborantes, prius curarunt à nostris instituendos, quàm eos ciuitate donarent. Non pauci altioribus instinctibus per somnum aut visa terribis & instigatos se narrauerunt, vt hinc adiumenta læsæ conscientie peterent. Multi nobiles & Dynastæ se nobis curandos & dirigendos permisere. E fluctibus falsarum opinionum transtulerunt se in Catholicam cymbam 13. Inter 8. conjugum paria sublata odia & dissidia.

A di-



A diuersis & grauissimis sceleribus permulti deterriti. Duo ex nostris, toto ferè maioris ieiunij tēpore duobus in pagis, libentibus admodū Parochis & rogantibus, verlati; alter à meridie initiamenta Christianæ doctrinæ tradidit. In monasteriis Religiosarum attenderūt confessionibus sæpè, eademque ad religiosam perfectionem cohortari sunt. Moribundis tulère suppetias. Reperti quidam Pharisæi, qui nostris pro suggestu populum erudientibus, commiserarentur Parochos, & tanquam Oedipi quidam denunciarent, fore vt iis exterminatis nostri sufficerentur: vt quid ergo nostros euocassent? verùm ab iis egregiè responsum. Duodecim vtriusque sexus pestilentiaꝝ malum aut imminens anteuertent, aut iam incumbens & premeus excusserunt votis cerearum imaginum aut sacrificiorum D. Sebastiani nomine & obseruantia editis, quæ fideliter sunt executi. Ab aliis morbis, incommodis & vitæ periculis variis, eadem ratione se vindicarunt, simul ac promiserunt, pristinis viribus restituti 16. Inter hos feminæ cuidam vesania mentis laboranti aspectabilem se præbens D. Sebastianus spem sanitatis fecit. Alia pleuritide consauciata vehementi, nulla fuerat medicabilis arte, sed manu duntaxat eiusdem nostri tutelarum. Tertius paralyti consternatus, membrorumque omnium vsu captus, se iterum cœpit erigere atque ad incessum promouere. Mulier item supra spem & remedium aliud omne conualuit. Alij duo laruas & spectra venenatorum animalium, serpentium, bufonum, quibus infestabantur, abegerunt. Mulieres binæ vterum gēstantes cum magna difficultate partus laborarent, & altera quidem propè abesset à morte, meritis tamen D. Sebastiani citò feliciterque solutæ sunt.

*Collegium Augustanum.*

**Q**Vatuor locis conciones habitæ. Catechismus per totum annum in templo nostro & Fridbergæ, per Quadragesimam verò in duobus pagis traditus. Primarius concionator Lutheranam factionem vehementer exagitat, & eius fundamenta conuellit, ita, vt non semel à Prædicantibus apud duumuiros sit accusatus, sed frustra. Quadragesimæ potissimum ac Iubilei promulgati temporibus, multi non sine fletu gemituque generalem confessionem obierunt. A Lutheranismò conuersi ad Ecclesiam Catholicam circiter quadraginta. Ad ancillam quandam Catholicam alternis ferè diebus mensis vnus spatio ventitabat de nocte formosus quidam adolescens, gladius, pallio, cæterisque vestibus, frequenter etiam permutatis, qui ad horam vnã, interdum ad duas illam est allocutus. Hunc cum ea fortè curiosius contemplata esset, capripedem animaduertit: sese igitur extẽplò signo sanctæ crucis obarmat, & hospes ille actutum disparet. At verò die illucescente metu fracta, consiliique inops, heris visum exposuit, quanquam hæreticis; quod illis tantum timorem iniecit, vt quò se verterent, ignorarent, nec ad alios quàm ad Iesuitas confugiendum censerent. Adducta ergò ab ipsismet ad Collegium, & peccatis totius vitæ expiata, spectro obnoxia esse desijt. Alius per annos vndecim vsum Sacramentorum intermiserat, qui diuinitus impulsus, tractu tactuque brachij frequenter ab Angelo officij commonefactus, longo tandem itinere suscepto apud nos peccata magno sensu confessus est. Puella quæ à venefica decepta, dæmoni se deuouerat, ab eius tyrannide est liberata. Propter deponendas conscientias



scientiæ sarcinas permulti huc longissimis itineribus contenderunt. In variis monasteriis exceptæ confessiones & habitæ conciones, exhortationesque non rarę. In virorum quodam cœnobio fermè quothebdomadibus auditi confitentes. Multi nutantes in fide solidati, ruentes erecti, perichitantes in tuto collocat, seducti reducti. Libri heretici erepti & exusti, superstitiosi emendati, aut illorum loco dati sani sanctique. Incantationes extortæ & crematæ. Consilio succursum plurimis. Varij conscientiæ nodi enodati. impediti qui in gradibus prohibitis volebant contrahere matrimonium. Pacificati qui diu graues fouebant inimicitias. Odia inter complures diuturna penitus extincta. Infirmi visitati frequenter, & indribundi ad mortem excipiendam instructi. Egentibus sæpè stipe ac veste subuentum. Excursum in vicina oppida & pagos, & vbique constitit operæ fructus. Fridbergæ ad natalem Domini confessiones amplius centum exceptæ. In hebdomade sacra supplicii Curioni in eodem munere allatæ. Nec ad Pentecosten exiguus manipulus collectus. In die assumptæ Virginis propter Iubileum consequendū auditi ibidem fermè 200. In pago alio Parochi rogatu sæpius conciones habitę. ad Pascha confessi ibidem nostris 200. In alio pago de tota vita multæ confessiones auditæ, ibidemque vsus Extremæ vnctionis per annos plurimos neglectus, operâ Patris nostri est restitutus. Drama datum in renouatione studiorum. D. Cassianus. Habitæ quoque à magistris per annum ad excitanda discipulorum ingenia non illepidæ actiunculæ. Varias Religiosorum familias complexi duodecim. Adolescens in hospicio Lutherano per hominem Lutheranum collocatus, dedit omnem operam vt eo liberaretur propter escam carniū diebus vetitis:

titis: quod dum curat & impetrat, verbera & iniurias fortiter perpeti non dubitavit. Conscientiam suam etiam septennes adeò tenerè amant, vt omnia peccatorum pericula ex præceptoribus sollertè sollicitèque exquirant. Sunt etiam qui quotidiano sub noctem vtantur examine. Etiam natu minimi in parentibus vel heris damnatas schedas eludere, aut surripuere; libros etiam suspectos, aut hæreticos comburendos attulere. Alios alia officia Christiani hominis docuere. Alij parentes ad confessionem adduxere, peccantes iurantesque correxerunt, à peruersis opinionibus nonnullos abduxerunt. Eleëmofynas in pauperes sæpissimè contulerunt, quos alij suis etiam vestibus induerunt. Quidam Patronum suum tutelarem ita honorat: in prandio & cœna sæpissimè, quod maximè palato blanditur, ab eo abstinens id illi consecrat. Alij crebra ieiunia susceperunt: alij de cibo sibi detraxerunt. Nimis longum faciam, si omnia genera pietatis illorum voluero recensere. In aula scholarum Doctor Parisiensis à Sodalibus exhibitus magnos motus effecit. Eorum supplicatio ad S. Montem hoc anno celebrior fuit. Cenotaphium in Parasceue de more in suo odæo extruxerunt, quod totis diebus hominum precantium, seque verberantium, maximè Sodalium, accessu est cultum. Multi de discipulis nostris ad sepulchrum Domini in templo nostro sacco induti, prælatâque crucifixi imagine & facibus, sese flagris ceciderunt: quibus se etiam Patricij ac viri nobiles & duces bellici admiscuerunt. Iubilei publicati tempore incredibilis fuit Augustanorum, & aduenarum, finitimorumque pietatis feruor. Confitentium apud nos tantus numerus, vt ijs audiendis nostri decem toto biduo non sufficerent. Qui tum sacro pasti epulo, fuerunt mille ducenti. Sodales non rarò ad viciniora & re-



motiora templa supplicatum iuere. Episcopus noster summam in nos benevolentiam declarauit, sacram supellectilem nobilissimis reliquijs auxit: donauit enim nobis caluariem S. Mariæ Ægyptiacæ, quam illustris matrona pretiosissimè exornauit. Donauit præterea partem cranij S. Mauritij: alia item femina illustris duo capita de societate S. Vrsulæ, superiore anno à Coloniensi Coadiutore nobis dono missa, splendidè conuestienda curauit.

### *Collegium Oenipontanum.*

**R**ector huius Collegij P. Bartholomæus Welfperger, ingentibus patientiæ documentis relictis, vita excessit. Etiam sanus nihil habuit antiquius quàm sibi vim inferre, & virtutum solidarum ornamentis animum suum excolere. Vnde nonaginta confessiones generales exceptæ. Epulo sacratissimo accubuerunt decies sexies mille centum quadraginta. Census iniusti ad limam reuocati. Æs malæ fidei non exigui ponderis restitutum. Quinque abiurata hæresi cum Ecclesia Catholica coniuncti. Libri tum falsæ, tum superstitiosæ doctrinæ, partim nobis traditi, & bonis commutati, partim exusti. Amuletum detracta. Dissidètes ad concordiam reuocati. Ciliciorum flagellorumq; vsus familiaris. Ieiunia in pane & aqua vsurpata frequentius. Ancilla pane & aqua tota Quadragesima vitauit, ne carnes cogeretur comedere. Plures vt diebus festis factis operantem, & concionantem possint audire, & crebrius animorū maculas eluere, & Eucharistiam sumere, pinguiorem famulatum tenuiore commutarunt. Inuenta quæ toto tempore maioris ieiunij carnem cilicio afflixit, atque id in magnis corporis laboribus. Cerearum Agni Dei imaginum vsus inuectus, & explicatus.

Rosarij

Rosarij orandi modus traditus. Erga Indulgentias promotâ pietas. Ægroti diu noctuque visitati, & ad piè moriendum confirmati. Xenodochia obita, & miseris consultum. Succursum præterea 6. cum vitæ periculo parturientibus, nec parere valentibus, & duabus alijs sanguinis fluxu laborantibus B.P. Ignatij reliquijs. In gymnasio numerati discipuli nonnunquam 300. plerique nobilium, honestorum ac diuitem filij. Sub aduentum Serenissimi Maximiliani Archiducis dederunt Iosephum, spectantibus quinque Principibus, & plurimis Teutonici Ordinis proceribus, alijsque Dynastis. Salutatus idem Princeps à nostris humanissimè suam nobis opem & patrocinium promisit. Excursum hoc anno in pagum duodecim passuum millibus ab vrbe distantem, Parochi rogati, ibique multæ confessiones auditæ, multis conscientiæ stimuli extracti. Ad Illustrissimum & Reuerendissimū Brixinensem Episcopum missi duo qui eum in visitanda diœcesi consilij iuuarent. Sodalium in frequentando cælesti epulo magnum studium, & in perpurganda conscientia etiam à minimis labeculis mira diligentia. Cætera eorum pia officia cum alijs aliorum Collegiorum Sodalibus ijs communia sunt.

### *Collegium Halense.*

**A**D Ecclesiasten nostrum audiendum tantâ multitudo tum oppidanorum, tum paganorum confluit, vt multo ante pulsum sedes templi occupandæ sint. Multæ conciones per annum vel in vrbe, vel ad Saluatoris, vel in supplicationibus, vel in pagis habitæ. Plurimæ confessiones de tota vita sunt factæ. Complures longo itinere ad nos pacandæ conscientiæ venerunt. Aliquot ab hæresi absoluti.



Iuti. Catechesis per annum in templo nostro habitata: per Quadragesimam in pagis nunc visitatis duobus, nunc tribus. De ægrotis & carceribus nihil dicam. Odiâ & similtates per nostros sublatae. Nehemias sub instaurationem studiorum datus. Sodalium virtus in multis mirè eluxit & elucet. Cupiditates generosè domant. Quidam pro alijs vilia obeunt ministeria. Alij super nudis asseribus cubant. In ardētissima sibi nec aquam bibunt. Multis solemne singulis ferè hebdomadibus sibi ieiunium indicere. Quidam cilicia gestant, & ne longus sim, alia pietatis, pœnitentiæ, piorumque operum genera exercent. Parochi de grauioribus casibus vel coràm, vel per literas nos consulunt. Tempore Iubilei pasti epulis sacris nongenti quinquaginta, quorum plerique conscientiam apud nostros exonerarunt.

### *Collegium Lucernense.*

PAnem caelestem vsurparunt apud nos 16. millia quadringenti. Tantus consentium numerus, vt omnes nostri sacerdotes sæpè totos dies ijs audiendis occupètur, nec omnibus satisfacere queât. Amplius 200 omnem antea actam vitam retexerunt. Omitto complures qui peccata diu celata aperuerunt: item illos qui longis itineribus ad nos pro expianda conscientia venerunt. Cum tribus actum vt pellices domo exigerent Restincta odiâ, sublatae similtates. Virgo non ita pridem ad Catholicam fidem conuersa pudicitiam minis & blandimentis, adeoque grâdi pecunia chariorem habuit. De alijs quibusdam similia narrare possem. Suus quoque labor datus hæreticis, è quibus ad sanitatem redierunt sex supra triginta. Vni & quidem domi nobili persuasum vt religioni amplam hereditatem &

quosuis honores posthaberet. Resipuit quidam, cuius pater, auus, proauus Ministri fuerunt Tigurini, & proauus quidem Pellicanus : qui deserto Rubeaquensi cœnobio, Zvinglij assecla & præcipuus adiutor in peruertenda Tigurinorum ditio-  
ne dicitur fuisse. Huius constantia nullis machinis expugnari potuit. Parem animi fortitudinem virgo quædam sedecim annos nata adhibuit. Laterarius præterea ex hæretico iam Catholicus, ita fidem colit, vt etiã domi seruos non tam lucri causa, quàm vt à nobis instituantur & conuertantur, liberaliter sustineat. Libros item periculosiores correctos, damnatæ perfidiæ igni absumptos, superstitiones quibus alijs fraude dæmonis medicina fiebat, extirpatas, recensere longum sit, nec fortasse necessarium. Hoc tantum; quidam, vt suis, quibuscum sclopis displodendis ad metam certabat, palmam præriperet, cum supersticiosam schedam, quæ offerebatur, proprio cruore conscribendam, & tres primas æneas glandes in diaboli nomine emittendas didicisset, notas quidem percussi digiti sanguine illeuit, nunquam tamen ijs postea contemptu magis quàm opinione est vsus; & malo se expediuisset, nisi perpetratum scelus & domi retentam chartam tacitus in confessione præterisset. Morbus demum qui corpori accidit, animum aduertit: quo morbo dum grauius afflictor, & etiam sibi a dæmone sæpius in somno abripi videtur, cruentorum characterum in mentem venit. Accessit nostrum, noxiam chartam offert, & vix errore animum & peccatis exoluit, cum in melius valetudo ire cœpit. Religiosæ familiæ perfuga ad Christi castra reductus, & quidem ad pœnitentiã aded conuersus, vt eam. vel publicè testari fuerit paratus. Hæc inter xenodochium minimè neglectum, frequenter aditum, & vt confessiones etiam  
gene-



generales auditas silentio transmittam, plerisque qui eo definebantur vel afflicti vel peregrini, salutaribus consilijs auxilijsque prouisum, magno æquè visorum bono, & videntium exemplo. Adiuti eodem studio ægroti & domi morientes, & ita quidem crebrò, vt vnus decies quater etiam nocte prouecta, alius vicies fuerit accersitus. Multis certè nunc familiare est, vt ægrotare cum cœperint, ad nos statim opportuni remedij causa cōfugiant. Trium præterea in condemnatis reis, quorum plures hoc anno fuerunt, ad animi fortitudinem reuocandis opera egregiè conspecta. De scholis pauca subiungam: Vespertinæ preces hoc anno Dominicis festisq̄ue diebus decantari cœptæ. Exercitationes & declamationes priuatæ & publicæ frequentes. Quo die prælatum est per vibem augustissimum Christi corpus, externa templi facies (vti & interior alijs solemnioribus anni diebus) eleganti varietate poematum exornata fuit. In studiorum repetitione, & eo tempore quo vndique cum hæretici, tum Catholici ad mercatum huc cōfluunt, in foro publico frequenti orchestra tragœdia data de adolescētia Christiana: insigniorum nimirum, quos Sanctorum referunt historia, adolescentium in oppetenda mortē per varia tormentorum genera, pro vera religione constantia declarata. superiorum classium omnia præmia tulerunt, qui sanctissimam Dei Matrem sibi patronam elegerunt. Vtroque videlicet Parthenius hic cœtus cæteris antecellit, doctrina & pietate. Centum Sodalium accessione & amplius eorum numerus auctus. Hos inter è familia D. Francisci 5. D. Benedicti 6. Cistercienses 2. Non exiguus apud eos ciliciorum voluntariorumque verberum, atque aliarum afflictionum corporis vsus. Hoc vno fiet de cæteris coniectura; repertus est, qui rigidio-

te zona & sponte suscepta diuerberatione sapiùs quothebdomadis in se desæuit, cùm tamen præ extrema paupertate aliquando toto octiduo vix semel atque iterum iusculum haberet; perrexisset longiùs, nisi qui ei à confessione re intellecta ardorem temperasset. Neque verò ipsi solùm bonos in pietate processus habent, sed aliis etiam calcaria adhibent, vt in eodem curriculo versentur: corrigunt subinde errantes, subleuant inopia laborantes, rudes Christianis præceptis instituunt. Ex hac præterea D. Matris tutela non pauci in spem religiosarum familiarum adolescunt. Vnus inter nostrũ; tres inter alios Ordines admissi. Sub electione noui Præfecti bis drama datum; vnum de B. Virginis cultu: alterum, quod etiam reperendum fuit, de bona liberorum institutione. Maior Sodalitas, quæ ferè è ciuibus constat, suum antiquum obtinet, hoc est, & virtute & numero crescit.

### *Collegium Ratisbonense.*

IN æde summa concionator noster diebus sacris partim Catholicos instruit, partim hæreticos confutat. Post meridiem in templo nostro pueritia catechismo instituitur. Duobus Calvinianorum parentum filijs mens amplectendi Catholicismi diuinitus iniecta. Variis anni temporibus suppetiæ latæ nosocomijs, sacris, concionibus, audiendis confessionibus, libellis Catholicis distribuendis. Ægrotorum aut defunctorum Parochorum munere nostri vel pluribus hebdomadibus, vel aliquot mensibus vtiliter functi sunt. Quadraginta & ampliùs à grauibus sceleribus absoluti, qui pœnitentiæ Sacramentum nunquam ritè obiuerant. Religiosus Apostata ad castra deserta per nos reductus. Centum & triginta omnium annorum



rum exomologeses factæ. Ægrotis quâ de corpore, quâ de animo prospectum. Vtriusque sexus permulti ab hæresi absoluti, magnam constantiam aduersus tentationes demonstrarunt. Eucharistiam in æde nostra hoc anno susceperunt quinque milia ducenti. In scholis numeramus auditores vltra ducentos. Sodalitas magnam Matrem impensè colit, multisque rationibus etiam proximo ad salutem prodesse studet. Adolescenti ad forum cupediarium, vt esculenti aliquid & poculenti emeret, properanti, mendicus stipem rogans occurrit: fraudat ille genium suum, & quod habebat pretium cupediarum, illi donat. Similia prætereo. Illustrissimus Princeps, Reuerendissimus noster Episcopus, nouum vrbi spectaculum fuit, quando in templo nostro, externis omnibus palam inspectantibus, ad sacerdotem accedens, ei de peccatis confessus est. Rem diuinam apud nos fecit sapius. In anniuersaria templi nostri dedicatione primas ipse Vesperas & Officiū cantauit, secundisque ab alio cantatis interfuit. Sacerdotes novos in templo nostro sacris initiauit Ordinibus. Ad Collegiū venit non rarè, partim beneuolentię causa, partim vt sua cum nostris communicet consilia. Toto illius temporis decursu, ex quo Episcopus fuit inauguratus & consecratus, diœcesin suam ex parte maiore ita diligenter obiuit ac lustrauit, vt dubiū sit, sapiusne in vrbe, an extra urbem diuersis in locis egerit; in quibus Pontificium confirmandi, atque Indulgentias plenarias distribuendi munus magno Catholicorum omnium gaudio & fructu est executus. Quinque mensium spatio plurimum quàm viginti quinque millium hominum frontes sacro Cōfirmationis chrismate inunxit. Nunquam verò vllum iter suscepit, in quo nostrorū Patrum binorum, ternorum, interdum & quaternorum

comitatum non expetuerit & impetrauerit: neque alia de causa quam vt partim ipsi Episcopo, partim alijs quibusuis hominibus delicta confitentibus aures accommodarent; & Illustrissimo Principi semper assisterent ad dicendam suam de varijs casibus occurrentibus sententiam: item ad conciones & exhortationes varias habendas.

### *Missio ad sylvã Bauariæ inferioris.*

**D**VO sacerdotes è Collegio nostro in sylvam inferioris Bauariæ profecti, septem hebdomadarum spatio confitentium audierunt duo millia, quingenta, nonaginta & octo: de quorum numero ætatis omnis peccata Sacramento Pœnitentiæ expurgarunt mille. Cum S. Romana Ecclesia in gratiam restituti sunt sex. Perpetuo carceri mancipatis non tantum salutaria monita sunt data, quibus æquiore animo carceris squalorem ferant, sed etiam horæ omnes diurnæ in varia pietatis exercitia sunt diuisæ. Iisdem captiuis, non illiberalis eleëmofyna à Reuerendissimo Domino Præposito nostro erogata, & a nostris viritim est distributa. In Hierocomio animorum lepræ sunt curatę, exhortationibus ad leprosos habendis, eorumque confessionibus audiendis. Femina diabolo deuota liberari se posse a cacodæmone credidit, si votum pessimũ Societatis nostræ Presbytero posset aperire: longo igitur itinere ad optatum conscientiæ suæ iudicem (cuius famam inaudierat) aduolat, ei que vulnera sua patefacit; quo facto cum magna animi lætitia & certa assertæ libertatis spe domum redijt. Vir opulentus tacitis in confessione per sacrilegium grauibus peccatis, ore polluto SS. Synaxin accepit: verum repentino morbo correptus è templo domum se recipere cogitur, & decumbens in lecto

sacer-



sacerdotem nostrum iubet acciri, vt tria illi flagitia scelesto suppressa silentio recenseat, præsentemque Dei vindictam à capite suo auertat. Vocatus sacerdos comparer, & absolutum ab auditis peccatis ægrotum magna simul ægritudinis parte absoluit, aureosque nonnullos ab vxore viri conualescentis ceu soltrum oblatos recusat. Annos triginta quidam transegit flagitiosè, neque tamen flagitia necessarijs expiauit remedijs: Octingam quidem veterem ad D. Virginis profectus est cõfessionis gratia; sed vicinus iam sacerdoti, pedem refert instinctu diaboli, domumque redit re infecta: hoc anno tandem è scelerum gurgite extractus exposuit sacerdoti nostro quidquid dolendum egisset in vita. Miles auctoritate nostra permotus matrimonio sibi coniunxit feminam, cum qua plures iam annos turpiter vixerat. Complures viros nobili loco natos, sed pestiferis opinionibus & hæresibus corruptos sacerdos noster in territorio Calviniani Principis inuisit, honorificè ab omnibus habitus & exceptus. quos eò adduxit, vt melius de Romani Pontificis auctoritate iam sentiant, vicinis orthodoxis minùs sint molesti, liberosque & amicos ad Calvinum minùs adigant, minùsque à vero Christi cultu abstrahant.

### *Collegium Friburgense.*

**D**Ecessit P. Henricus Seratius vir insigni patientia & obseruatione legum nostrarum clarus. Toto Aduentu auditores à concionatore preparati fuerunt ad Iubileum consequendum, quod Clemens Papa impertiuit. Præter concionem Germanicam suos etiam progressus habent Gallicæ. Doctrina Christiana incrementum accepit hoc anno. Duplex alia catechesis idiomate Germanico &

Gallico, aliis etiã in templis huius vrbis solemnioribus anni temporibus fuit celebrata. Ad Sacramentum Pœnitentiæ maior fuit hoc anno concursus. Confitentium numerata vndecim millia. Diuino ferculo pasti septem millia trecenti. Ab hæresi ad fidem orthodoxam reducti quadraginta sex Impura præsertim libido ex multorum pectoribus profligata fueruntque aliqui voce concionatoris nostri ita tacti, vt certos sibi dies delegerint, quibus lumbos zonis pilosis, corpus ciliciis constringerent, certis flagellorum virgarumque ictibus se exciperent, inedia castigarent, orationes demum in terram prostrati ad Deum continuas funderent. Hoc in certandi studio palmam tulit contra procos nobilis quedam matrona, castitatis laude insignis accedebant ad eam viri dignitate clari, qui votum illud Deo promissum obligationis rationem nullam habere, se culpam omnem, quam violationis illius esset incurfura, in summo die præstaturus, aliaque identidem, rationibus parum firmis nixi occinere solebant. illa verò nec minis, nec pollicitationibus deterrita, respondere, se potius extrema passuram, quam Deo fidem semel promissam violaret, imò verò tam obfirmato se esse animo in tutanda conseruandaque castitate, vt eam nunc primum, si antehac non fecisset, cogitæ Deo offerre. Consimile quoddam factum claruit in virgine quadam, nostri confessorij consiliis adiuta: hæc nuptias per se licitas & opima dote promissas, tamdiu flagris, ciliciorum gestatione, aliisque corporis afflictionibus à se repulit, vsque dum sponso suo Christo, quem diu questum in Religione tandem inuenit, fiueretur. Cum filij post obitum matris, feminæ in paucis à pietate commendatæ, inter reliquam supellectilem arma reperissent, quibus illa multoties in corpus

scuire



sœuire consuerat; grauitè apud Patrem spiritua-  
 lem conquesti sunt, quidnam causę sit, cur tota  
 familia hanc decertandi rationem contra domesti-  
 cos hostes non fuisset edocta. ex eo tempore no-  
 runt & ipsi isthęc arma non imperitè tractare. Pax  
 inter coniuges conciliata: æs alienum restitutum.  
 Ægroti maius hoc anno nostrorum auxilium sen-  
 serunt. Fuerunt hoc anno duę Gruetiam, ciuita-  
 tem vrbi finitimam, excursions factę; vna Qua-  
 dragenarij ieiunij tempore, altera Iubileo indicto:  
 magna vtroque tempore vtilitas deriuata in alios.  
 Illis diebus quibus mortem Christi solenni ritu  
 colimus, decem in pagis 25. conciones fuerunt ha-  
 bitę; ad quas audiendas examen agricolarum re-  
 lecto aratro confluit, vt semen fructuosius maio-  
 re cum sœnore suis pectoribus iactum, sineret ex-  
 crescere. A peccatorum nexibus soluti nongenti  
 quinquaginta nouem: è quibus permulti è locis  
 longè positis venerunt, vt graue conscientię pon-  
 dus deiicerent. Hęc renunciarunt aliquot, etiam  
 cum facultatum suarum iactura non exigua In re-  
 cto Sacramentorum vsu, pro concione populus  
 ignarus & rudis institutus diligenter. Iuuentus et-  
 iam quę maturam iam ætatem ad frequentanda  
 Pœnitentię & Eucharistię Sacramenta attigerat,  
 at incuria parentum neglecta, piis hortationibus  
 edocta. Vsus rosarij Beatissimę Virginis recitandi  
 iam penè abolitus, iterum reuocatus. Iubileo per  
 illa loca celebrato confessiones audita ultra mille,  
 ac omnium ferè illius oppidi sacerdotum, eorum-  
 que qui ad gubernacula sedent reipublicę. Con-  
 ciones nunc duę, modò tres de die ad populum  
 audiendi cupidissimum habitę. Aniles superstitio-  
 nes chartis consignatę, Vulcano traditę. Abusus  
 graues, qui pedetentim Magistratus incuria, sacer-  
 dotumque negligentia in reipublicã irreperere so-  
 lebant,

lebant, sermone Patris ad oppidi cuiusdam primarium, & sacerdotes quosdam singularem habito, agniti & penitus sublati. Hinc desiderium huic populo ingens iniectum, ut cupiat nostrorum Patrum præsentia aliquoties in anno, fructu non penitendo perfrui. In album Sodalitatis maioris duo viri senatorij ordinis fuerunt ascripti: præter hos alij decem è numero civium admissi. Preces multæ in morem supplicum institutæ. Solemnis illa fuit pompa, quæ die Parasceues disposito agmine Sodalium ad Christi Domini nostri sepulchra visitanda, concentuque musico processit. Itum aliquoties ad ædem D. Virginis montanam, vrbi finitimam. Ibidem ad Sodales populumque reliquum conciones habitæ fructuosæ. Illud in cæteris memorandum; ex hoc pio cœtu fuisse nonnullos, qui de nocte media sacris intenti meditationibus, flagella cum ciliciis ad domandum corpus adhibuerunt, non raro alios insuper ad honestam vitam traducendam exemplo suo & verbis sunt adhortati. Non minus floruit illa Sodalitas, in qua discipulorum gymnasij flos & pietate & numero excrescit. Gymnasij amore & incremento iam pridem captus Senatus Friburgensis frontem illius hoc anno primumque ingressum lapide molis non parvæ, cui civitatis insignia pereleganter manu artificis incisa, exornare voluit. Concertatum est ex ratione studiorum Romana inter discipulos acriter. Emblematis fictis & pictis conuestiti parietes Græcarum itidem litterarum studium excitatum non mediocriter. Specimen huius rei dederunt egregium classes inferiores. Ter hoc anno priuatis in scholis ex Iacobi Pontani Dialogis dramata concinnata, & ex eiusdem floridis collecta non inuenustè exhibita. In Humanitatis schola Eclogæ cum magno decoro pronuntiatæ. Hilarioribus



ribus diebus in aula gymnasij ludus sapientum & stultorum a Rhetoribus lepido dramate, & non ineleganti fuit repræsentatus. Ante solemnem studiorum instaurationē, Iosaphat rex India à S. Barlaamo Eremita ad fidem Christianam conuersus, in theatro publico datus est. Hæc actio scenica recens a Poëta conscripta, tum ob historiæ dignitatem, & veritatem, tum etiam ob actorum præstantiam venustatemque spectatoribus, quos inter Reuerēdissimus noster erat, animo & oculis intentissimus, ad eò fuit probata, vt præter faustam omnium acclamationem, Senatus Collegium liberaliter satis munerauerit.

### *Collegium Bruntrutanum.*

**R** Euerendissimi Episcopi Basileensis iugis & perennis est in nos beneuolentia, & se & sua quæ spectant ad animarum salutem, nobis credidit. In parte diœcesis visitanda vnum de nostris sibi adesse voluit, qui populum præuiis concionibus & catechesibus ad S. Confirmationem instrueret. In arce, & in prima æde vrbs, & in scholarum aula conciones suum tenent cursum. Quinquaginta tres de tota vita confessi. Septem cum Ecclesia Catholica in gratiam redierunt. Libri pestiferi exusti. Ad claustra pudoris reuocata feminae sex. Æs bene multum, non bonis quæsitum nominibus, restitutum. Ab inueterata consuetudine peccandi abstracti non pauci. In Festo omnium Sanctorum communicantes circiter 800 numerati sunt. Episcopus edicto præcepit, vt tenera ætas & seruitia ad catechismum mitterentur. Post habitam catechesin multis Dominicis diebus habiti etiam dialogi carmine Gallico, ad confutandam hæreticorum perfidiam, & confirmandam veritatē Catholicam.

licam. Iuventus Bruntrutani gymnasij, modestia, diligentia, virtute, numero, nobilitate floret. In vtraque scriptione exercentur egregiè. Ipse Princeps noster quotannis in eleëmofynam pauperum scholarium nostrorū tredecim tritici modios largitur. Gymnasij flos penes Sodalitatē magnę Matris est. In eam admissi multi, dilati complures, vel ob loci angustiam, vel ad eorum experiendam constantiam. De flagellationibus, publicis supplicationibus, corporis macerationibus, alijsq̃ue pijs & sanctis eorum operibus, eadem propè dici possunt ijs, quæ iam sæpè dicta sunt. Insulis (locus est in Burgundia) initio Aduentus degit noster non sine fructu. Conciones ternæ supra denas, catecheses totidem habitæ. Pane cælesti recreati ad ducentos. Malè parta, bene reddita. Ægroti & carcere clausi visitati. Quadragesima è superiore loco quater dictum quothebdomadis, catechesis habita in schola quotidie. Discordes reducti in concordiam. Crebræ confessiones, etiam generales exceptæ. Cuiusdam cœnobij Fratres omnes nostro conscientiam aperuerunt. Actum cum alterius Abbate, ne vnquam intra monasterij septa vlla mulier admitteretur. Sacerdotē varij de varijs consuluerunt. Ædes binæ nocturnis lemuribus liberatæ. Hebdomadibus quæ Christi natalem antecedunt, in quodam monasterio noster vtiliter operam posuit, & præter monachos expiatos, tres ab hæresi reuocauit. Iphis Natalijs Pater in pagos, qui à Monte libero nomen habent, concessit; veniale iubilæi diploma à Pontifice transmissum promulgauit, & ad bis millenos peccata confitentes audiuit: inter hos sacerdotes quatuor, Magistratus loci, & alij ad 30. præcedentis vitæ noxas eluerunt. Declarata catecheseos & vtilitas & necessitas; addiditq̃ue noster fore, vt pernecessariæ scientiæ ignari Paschæ tempore



porè à sacris Eucharistiæ epulis remouerentur, nec solemnè Ecclesiæ ritu matrimonio coniungerentur: quo dicto tantam incendit doctrinæ Christianæ cupiditatem, vt coniunx coniugem publicè in templo ad recitandam catechesin prouocarit. Danti catechismi, & edocti qui inter hæreticos versabatur: quorum aliqui, ne fidei aleam subirent cum fortunis, ad Catholicorum fines transmigrarunt. Alibi ab alio concio habita, bis peccatores auditi: terriculamenta nocturna abacta. De volûtate Episcopi missus alius Pater in aliud oppidum, eodem tempore; nouies hîc verba facta ad frequentem populum, qui præter oppidanos è vicinis s. pagis frequens confluebat. Quotidie per æstiuos dies incitamenta Christiana sunt cõtinuata. Primores quilibet suam conscientiam commississe nostro voluerunt: etiam ij, qui iam alijs se manifestarant. Expiati à vitæ vniuersæ criminibus quindenari deni. Promissæ & dari cœptæ symbolæ ad loci sacri restaurationem. Parochus quidam 30. totos annos nescius in ædicula Eucharistiam habebat: vt sera munitum locum, situque & rubigine omnia vidit noster esse squalida, vocato fabro ferrario curauit tabernaculum referari, sacramque hostiam incorruptam reperit, quam sacris operans postea sumpsit.

### *Domus Probationis Landspergensis.*

**P** Eregrinationes tum seni Patres tertij anni, tum quini deni ex Nouitiorum classe recepto more obierunt, cum non contemnenda itinerum & vitæ molestia. Duodecim primores apud vnum conscientiam eluerunt. Misit Magistratus cuiusdam liberæ ciuitatis, qui Parocho gratias ageret verbis solemnibus, quòd Socieratis Patres beneuolè accepisset, & in suggestum produxisset. Sæpius  
in

in conuiujs malè de Ecclesia sentientes confutati. Catechismus stans in vrbe templis vtiliter traditus. Senatus consulto decretum est, ne quisquam infra sextum ac decimum ætatis annum a tam salutari ac necessaria iuuenturis institutione subducere sese, néue parentes illum quouis prætextu domi retinere audeant. Scholæ ciuitatis nuper nostrorum operâ in meliorem formam redactæ. Pro concione multa reprehensa Magistratus abrogauit, & in transgressores animaduertit. Ita dies festi, ieiunia, templa sanctiùs coluntur. Nouem ex hæresi emerferunt. Heredes capitali odio dissidentes ad mutuam beneuolentiam reuocati. Qui in menses & hebdomadas peccata apud nos deponerent, & Eucharistiam sumerent, eorum visus est hoc anno maior numerus. Nam hebdomade maiore præter accolas fuere mille ducenti quadraginta. Commissa à pueritia aperuerunt centum, & amplius. Tempore Iubilei facilè milleni peccata per nostros deleuere. Quidam ipsa nocte Paschatis flagitium adire parabat, sed cælestem vindictam non effugit: priusquã enim destinatũ locum attingeret, seruus familias clamore & foribus occlusis territum in fugam verit, vt proinde terrefactus in præterfluentem se saltu conijceret. verùm in saxa & palos illisus crus fregit, vnde miser turpissimè proditus, ac vulgò infamis, insuper pecunia insigniter multatus est. Alius potator, in quo corrigendo nec domestici, nec nostri hilum profecerant, lapsus ex penetralibus ceruicem & brachia, & vniuersum corpus validissimè obtriuerat: qui cum tum demum oculos aperuisset, eius saluti per nostrum consultum est. Ægri visitati, multaquæ vtiliter apud eos instituta.



*Missio Oberdorfensis.*

**H**Æc præfectura 8. pagis & 40. viculis continetur. Eam prouinciam ad cineralia duo aggressi sunt: labores ita diuiserunt, vt quatuor pagos vteruis cum annexis villis peragraret. In singulos ferme dies ad populum vel ad iuuentutem disseruerunt: diebus festis vtrumque simul præstiterunt. Quotidianus confessionum labor accessit. Frequens fuit ad conciones concursus, etiam à pluribus passuum millibus. De peccatis auditi præter pueros, mille ducenti sexaginta: centum de vniuersa vita. Graues ac diuturnæ inimicitia passim sopita. Libri hæresin vel magiam olentes, ignibus cremati. Restituta quæ malis artibus obuenerant. Vsus calicis quibusdam ereptus. Iuuentus occasione catechismi ad omne genus pietatis informata est. Magnam & sacris imaginibus accessit irritamentum: quarum illic locorum vix aliquod vestigium, quibus non minus decrepiti senes inhiabant, quam cubitales pueri. Aliquot Parochi inducti vt munus tradendæ doctrinæ Christianæ à nostro discessu constanter persequerentur. Quinque Parochi à concione nostri, collatis inter se capitibus, Si vera dixit Iesuita, inquit, profectò gehenna nos manet.

*Missio Bobingensis.*

**Q**uatuor in pagis duorum sacerdotum opera venit. Mense Decembri festis diebus manè ad confertum populum, bis à prandio ad iuuentutem de officio Christiano disputarunt. In Quadragesima ter per hebdomadem sunt concionati, & à Vesperis Sabbatintis doctrinam Christianam tradiderunt.

runt. In Natalibus tot annorum circulis receptæ saltationes per horam catechismi abrogatæ. Discendi ardorem acuerunt, tum libelli & rosaria, tum sacrata Agni Dei sigillaria. Ad incunabula Christi propemodum 70. nostris confessi, toto spectate populo sacras epulas iniuerunt Bobingę paulò minus quingentis, alibi pluribus ducentis & quadraginta aures commodatæ. Femina alta nocte ad Dei terribile tribunal sisti videbatur, & propter scelera supplicij atrocissimis addici. Porro in summis angustijs tantulum moræ obsecrare, dum vni de Societate confiteretur. post egressurę domo antelimen noster occurrit: vertit illa casum in omen; Patrem de confessione appellat.

### *Missio Mynchingensis.*

**P**ares hic duorum sacerdotum labores cū prioribus, & materies aliquanto amplior; nam in sex pagos sese diffuderunt. Animi virus minimum mille ducenti & quadraginta apud nos euinuerunt. Tertius item extrema Quadragesima hinc in subsidium vocatus, Parochi vices egit, & 60. supra ducetos, Deo per confessionem reconciliauit. Plurimi totius vitæ culpas exposuerunt. Libri, schedæ, consuetudines noxiæ cum sanctis permutatæ. Inter plures inimicitias deletas, sæuior illa fuit, quæ triennio iam propè occalluerat, tum propter obstinatum rectè suadentium repulsam, tum ob alterius factionis perpetuam à pacificis mysterijs abstinentiam. Multa barbaricam vel crassitiam vel impietatem in his populis arguebant, quæ etiamnum recoluisse mens horret. Postquam enim sacerdos sacris operans, ter venerandum calicem populo extulisset, turmatim è templo se proripiebant, persuasi pullum æris tum ex more vetusto sonantis, iubere



iubere missionem: quod pariter ab accepta viuifica hostia factitabant, vt idem esset ab altari & è templo recessus. Rursus tectis capitibus ad aram oblatum itabant, & toto ferè sacrificio operti, nec iam assistebant, sed irreligiosè assidebant. tantum effeminare potuit improba pauculorum conuiuentia. Noctem insuper virgineo partu sacratissimam & sequè res ferias, quibus piorum ardor mirificè semper efferbuit; gens ista solemne habebat, chartarum atque talorum infami lusu extrahere. Denique iuuentus nocturnis atque pestilentibus conuentibus assueuerat, vt vulgò serui cum heris haud aliter paciscerentur, quam si ædium fores de nocte paterent. Quid ad incredibilem hanc malè feriatorum insaniam nostrates? Videlicet omnibus neruis tam de suggesto quam apud Magistratus contendere, virgè que, ne tantam flagitiorum sementem seriùs vel oscitanter suffocatum irent. Et adiuuit nostrorum conatus, nouum ex veteri vindicta beneficium diuinitus collatum. Annus verterat ex quo procius ad consuetum facinus sub noctis crepusculum abituriens, ponè sepem (quam fortè saltu transmiserat) porrectum hominis cadauer, sibi familiariter notū charique offendit, recenti cruore tabeque manans, vt eodem vespere ab riuiali confectum agnosceret. Cohorruit nimium terro spectaculo miser, adeoque mentem subiti terrores, corpus incerti morbi oppresserunt, vt nullis medicorum consilijs, nulla amicorum ope, hætenus restitui posset. Demum simul ac nostri accessu recreatus, confessione expurgatus, & cælestis Agni cereo donatus esset, vicissim menti sanitas, corpori vigor, moribus honestas redintegrata est. Quod sequitur B. P. Nostro in acceptis referendum putamus. Quartum iam diem mulier è partu periclitata, Sanctis in montem Andex vouerat, neque idcir-

co remissiùs habuit: noster re comperta afflictæ pauperi suasit, vt B.P. Ignatij opem, cæteroquin ad similia præsentissimam imploraret. Fecit illa terriò, atque vnà Rosarium deuouit: itaque post quartam horam incolumem filium feliciter enixa est.

### *Alia missiones.*

**D**iuorum in Andex domicilium ternis peregrinorum supplicationibus laudatissimum totidem vicibus adiuimus, atque insigne collatæ operæ lucrum abstulimus: nongenti circiter peccatorum sarcinas apud nos deposuere. Quater Myndelsheimium ab generoso Fuggero postulatus noster profectus est, cui tredecim veteris vitæ crimina per omnes annos relegerunt; centum & sexaginta à proxima confessione. Domus hîc maleficijs miserimè obsessa (vt clara die lapides, & quidquid furibundis laruis obuium esset, in terrorem incolarum iactaretur) multis nequicquam tentatis, nostro tandem lustranda offertur. Sedenim is patri matrique familias maluit auctor esse, vt animos interuentu cõfessionis & sacrae synaxis apud Deum in gratiam reponerent, corpora verò cerei Agni sacro communirent. quibus ritè confectis, bacchantes furia desuuerunt. Vogach, & Zangenhuisium prædia sunt nostræ domus, quibus pro victualibus spiritualia, non inuidendo fœnore reddidimus. In Vogach & vicinis locis circa Domini Natalia, vndecim concionibus, & septem catechismis, impetrati centum & nouem, qui cõmissa in Deum piacula accusarent, & tres quidem à tota, plures à maiori parte vitæ exorsi. Eòdem proposita Iubilei facultate noster reuersus, quaternis sermonibus auditores animauit, vt ducenti & viginti ad genua confessuri acciderent. Interim Societatis candida-



rus, Patri in socium ascitus, eiusmodi specimen ti-  
 rocini commentus est. Vti quoslibet Patri expian-  
 dos adduceret, neque tamē agrorum colendorum  
 dilatio cuiquam damno esset, effecit, vt quæque fa-  
 milia alteri in communem laborem appositè suc-  
 cederet; quin & ipse in partem operis feruorum  
 veniens, strenuè laboravit, ne non persoluti pen-  
 si ab heris insimularentur. Zangenhufium rursus to-  
 to anni decursu coluimus ob idonei Parochi defe-  
 ctum; & ne superioribus communia referam, sex  
 pagis eadem opera contulimus, siue pueritiæ insti-  
 tutionem, siue Sacramentorum frequentationem,  
 siue alia spectemus. Indulgentiarum tercentum &  
 quinquaginta diuersis in locis participes facti.  
 Templum quoque piorum eleëmofynis adiuti à  
 fundamentis ereximus, specie non contemnenda,  
 & incolarum vsibus peridoneum.

### *Sedes Constantiensis.*

**A**D proximorum vtilitatem præter solentē con-  
 cionem in æde principe, variæ persæpe variis in  
 locis, tum domi, tum foris habitæ, & quidem ea  
 approbatione ac fructu, qui è meliore multorum  
 vita & numero peccata confitentium colligi po-  
 tuit. Etenim triginta plus minus supra 15. homi-  
 num millia confessione ritè sunt expiati: in his ge-  
 nerali 612. magnam partem à pueris reperita. Ab  
 hæretica perfidia ad Catholicam veritatem tradu-  
 cti 22. In his adolescens quidam ita fuit feruens ad  
 conuersionem, vt ne somnum quidem capere pos-  
 set: obiecta eius, quicum agebat identidem ima-  
 gine Patris, qua exsuscitari aiebat itaque ei quie-  
 to esse non licuit, quoad discussis tenebris lucem  
 aspiceret: qualis lux vt alteri clarior affulgeret, in  
 rebus fidei domi nostræ instructus est. Pii Socie-

tatis meditationibus excultri duo celeberrimi monasterij Religiosi magno cum suo, tum cœnobitarum, vt speramus, emolumento. Duo in nostram Societatem ascripti: alter studiosus, alter rei domesticæ idoneus. Virgines duæ virginitatis voto se astrinxerunt cœlesti sponso. Christi sepulchrum apparatu ad speciem præclaro, ad sensum acerbo, in sacello nostro extructum. Ad quod primum Dialogus (Peccator) aliquoties repetitus, deinde pueri aliquot Angelorum ornatu, appositoque ad Christi mortem deplorandam carmine piè admodum suauiterque concinentes, Catholicis miros pietatis sensus, hæreticis admirationem incredibilem attulerunt. Res hominum concursu celebrata est, atque hac in vrbe inusitata flagellantium supplicatione. cuius eiusmodi fuit ratio: hebdomadæ sacræ sexta feria agmen (ad vrbis præcipua templa, in quibus Dominicum visebatur sepulchrum) processit duodetriginta virorum, qui sese flagris cædebant, prælata Christi ad crucem fixi effigie. Nec minori admirationi ciuitati fuerunt ex eodem piorum numero viri: cum alij prægrandes cruces per urbem ternis vt minimum horis gestarent humeris; alij diductis in crucem brachiis, arundinibusque illigatis ingenti cum labore plateas templaque obirent. Auxit pietatem atque hoc in loco inaudito post hominum memoriam spectaculo Reuerendissimus atque Illustrissimus Princeps Episcopus, qui piè admodum ponè incedebat. Hunc secuti Protector ciuitatis, Proprætor item ac Consules: qui vt rem sibi cordi esse docerent, vigiles quàm plures constituunt, qui per plateas excubias quàm vigilantissimè agerent, nequid cum murmure, ne quid turbatè fieret. Idem Reuerendissimus diœcesin lustrās, vnum è nostris sacerdotibus circumduxit, qui mortales ad rectæ



vitæ studia hortationibus inflammaret, & si quando res ferret, aures consentibus daret. Cùm mulier ex partu periclitaretur, mirisq̃ue modis cruciaretur; vsque eò vt producendæ vitæ spes penè nulla reliqua videretur, sacris B. P. N. Ignatij admotis reliquiis, & illa partu leuata est, & viribus restituta. Nec tacendum quod ad Deiparæ laudem pertinet. Vnus namque è nostris Acroanicum lacum plus nimio turbulentum transmittens, summum vitæ adiit discrimen: iamq̃ue tempestate magis magisq̃ue ingrauescente nihil propius fuit, quam vt amictu exutus, fluctibus se committeret, si quomodo natâdo ad litus euaderet; itaq̃ue periisset, ni voto Dei Matri nuncupato ab ea seruatus fuisset. Præterea ingens est ad nos eorum concursus, qui statis anni temporibus sacris initiantur. Horum quoque in numero fuere Religiosi duo è Franciscana familia: quorum alter simulatq̃ue initiatus est, in grauem morbum incidit, quo cum etiam tres ipsas hebdomadas conflictatus est, in ædibus nostris benignè, peramanter, perinde habitus, ac si noster esset, persolutaq̃ue à Collegio, quæ in opsonia & medicamenta requirebantur. Conciliauit ea res plurimum illam Religiosorum familiam. Nobilis & pia quædam vidua à Deo mora, quatuor florenorum millia nobis testamento legauit, post obitum suum percipienda. Susceptæ etiam expeditiones ad varia loca finitima, pagos, ciuitates, nobilium virorum arces, ac plura Deo dicatarum virginum cœnobîa. quibus omnibus in locis constitit operæ fructus, permultis ad rectè facta, virtutumq̃ue studia adductis. Illustris Comes sinistro latere captus paralyti, nihil habuit prius, quam vt nostro sacerdote ad se vocato, animum generali confessione lustraret. Remotæ ciuitatis Parochus, cùm maleficæ è medio tollendæ fo-

rent, verereturque ne fortè solus labori ferendo non esset, nostrorum experijt opem; missi sacerdotes duo qui sagas salutaribus in carcere monitis imbuerunt, & vt mortem patienter pro delictis exciperent, animarunt ingenti concursu hominum. Est Virginum cœnobium non longè ab vrbe positum, ad quod nostri crebrò concionabundi aduerunt, tanto cum fructu, quantum initio non facile sperare licuisset. Ex Virgines Iubilei beneficio nostris ad vnã omnes fecere totius vitæ exomologesim magno animi sensu. Id quod etiam in alio Deo dicatarum monasterio intra ciuitatem constituto factum est. Nec minus perfectum in alio virorum. Ineunte Quadragesima Brigantiæ Iubileum vt efficacius promulgaretur, eiusque ciues maiorem fructum perciperent, placuit protectori ciuitatis, vnum è nostris a Reuerendissimo Episcopo postulare. missus ergo à R. P. Superiore sacerdos, qui consuetis Societatis exercitiis non infructuosè operam suam locauit. nam breuiores confessiones plurimas, & totius vitæ generales permultas excepit, non ciuium modò, & nobilium virorum, qui reipub. præsidet, & Clericorum qui templo: sed conuenarum etiam, atque adè Parochorum & sacerdotum complurium, qui è remotis ciuitatibus & locis eò contenderunt, vt contractas omni vita noxas confessione delerent. Idem fecere Religiosi homines tribus in cœnobiis, quorum vnum virorum est, reliqua duo Virginum: de quibus quidem omnibus hoc generatim & meritò dici potest, eo animi dolore ac sensu peccata à prima ætate commissa confessos esse, vt nonnulli lacrymas minimè continerent, plures de dubiis etiam indagarent, omnes optima deinceps sequenda proponerent. Confessiones adiuuerunt ter quot-hebdomadis habitæ conciones, catechesis item

pueris



pueris ac rudibus tradita, quibus frequentes & admodum attentī interfuerunt.

### *Domus Oetingensis.*

**C**onciones habitæ in æde oppidi festis ac Dominicis diebus nō sine fructu. Qui nostris peccata detexerunt, fuerunt 11834. Vniuersæ vitæ noxis soluti sunt 791. Multi multorum milliarium iter emensi sunt, vt nostris confiterentur. Mulieres duæ, quæ pudicitiam in propatulo habuerant, tam profusis lacrymis delicta sua apud nostrum detexerunt, vt eas sæpe monere necesse fuerit, ne cursus confessionis impediretur, & circumstantes grauius de illarum peccatis suspicarentur. Alterius seductor, post vnum aut alterum annum, in campo equo insidens, de cælo tactus & extinctus est, illæsis non modò seruis, sed equis etiam & curru. A flagitioso sacerdotū contubernio nonnullæ abductæ. Duæ virgines nobiles castitatis suæ florem Deo consecrarunt, & eius matri Oetingensi pretiosa munera dedicarunt. Tres aliæ inter sanctimoniales cooptatæ, quas totidem breui sequentur. Ad Catholicorum castra ab hæresi transierunt 11. in quibus nobilis 60. annorum. alius erat homo litteratus, qui varias hæreticorum Academies lustrauerat. Virgo nobili loco nata, hæresi, in qua nata erat, abdicata, fidem Catholicā est amplexa. Hanc neophytam diabolus tentauit, petit miraculum aliquod dum rei diuinæ interest: & ecce tibi, dum sacerdos sacram hostiam in sublime tollit, agnum niue candidiorem cum vexillo, vt pingi solet, in ipsa hostia conspicit. Bibliothecæ binæ lustratæ, libri hæretici aut ablati aut ignibus traditi. Bis mille nummi aurei iniquè parti, dominis suis sunt restituti. Parthenia Sodalitas virorum tantum

abest, vt plurimorum maleuolorum obrectatione  
 minuatur, vt numero & pietate magis augeatur.  
 Conueniunt bis quotiensibus diebus Domini-  
 cis, sorte Sanctos eligunt, Sacramenta pro more  
 obeunt, & aliis ad virtutem bono exemplo sunt.  
 Catechismus quatuor in locis traditus. Ad eum  
 etiam seniores ventitant, vt suorum filiorum pro-  
 gressus intelligant, & quæ pueri neglexerunt, nunc  
 demum addiscant. Ludimagistri ad iuuentutem  
 probè informandam instructi. Sacra sacelli nostri  
 supellex non parum aucta. vt alia omittam, dona-  
 ti in eius vsum aurei 300. Idem sacellum aduena-  
 rum Sacramenta ibidem percipientium, mira fre-  
 quentia & pietate celebratur. Sepulchrum hebdo-  
 made maiore excitatum: concursus ingens ad id  
 piè visendū factus. colloquiū de cruciatibus Chri-  
 sti à quatuor Angelis habitum, nō sine magno au-  
 dientium motu. Sub noctem 4. amicti saccis diris-  
 simè flagris semet ceciderūt, prælata cruce & faci-  
 bus. Ab vno è nostris ad 12. loca excursum. Burck-  
 husij, quod est oppidum duobus distans milliari-  
 bus, expiati ad nascentis Christi ferias 336. Ad Pa-  
 scha ibidem exceptæ cōfessiones 706. Itum ad ho-  
 spitalem eiusdem vrbs ad consolandos ægrotos,  
 iuuandolque moribundos. Sacris commentatio-  
 nibus in aliquot monasteriis Religiosi exculi, &  
 ad instituta sua diligenter seruanda animati. Qua-  
 dragesimæ tempore Brunouij Parochus morbo  
 impeditus omnium sibi commissarum saluti vacare  
 haud potuit: in hac necessitate constitutus ante  
 diem D Virginis Annunciatae, sacrum à nobis au-  
 xilium petit & impetrauit. missus eò Pater, qui  
 spatio trium hebdomadarum 13. cōciones habuit,  
 & 585. confessiones excepit. eius conciones pro-  
 batæ ab auditoribus. Ad illustres & nobiles nostri  
 sæpe excurrunt ac euocantur, quorum confes-  
 siones



nes cum tota familia audiunt, in eorum arcibus exhortationes habentur. Magni nominis persona quendam è nostris euocauit, cui diu noctuque ira affixus fuit, vt 4. noctibus lectum non attigerit. Quod pietatis opus mirabiliter commendatum fuit, vt diceretur Societati parës gratias referri nunquam posse. Enumeranda nunc ea videntur, quæ non paruam speciem miraculi habent. Persona illustris infirma valetudine, linguam quidem mouere, sed duodecim horis nullũ verbum eloqui poterat: rogatus noster vt Sacrum de Sanctissima Trinitate faceret, fecit: vix Sacrum finitum, & ecce verba formare incipit. Quidã graui peccato onustus, dum ab eo exonerari flagitat, secundũ quietem Virginem magno lumine circumfusam & mirè exornatam conspexit, se benignè admonentem, vt Oetingam contenderet, & Societatis sacerdoti crimen patefaceret: sic enim futurum, vt quietis compos fieret. nec vanam fuisse visionem euentus probauit. Alius feбри Vngarica laborans visus sibi ab ipsa D. Virgine Oetingam vocari, vt pristinam valetudinem recuperaret. neque fefellit hominem vocatio: statim enim pristinae valetudini fuit restitutus. Ex compacto aliquot socij conuenerant ad thesaurum multorũ millium aureorum effodiendum. ex his vnus dum cacodæmonem adiurat, incredibili horrore perfusus, pœnitentia ductus, voto ad D. Virginem nuncupato, itinere trium dierum Oetingam venit, vnde omni terrore solutus discessit. Mulierem in puerperio iacentem ingens capitis dolor feruè de potestate mentis deturbauit: quæ capite è cera effictò B. Virgini oblato, omni dolore soluta domum festinauit. Matrona nobilis secundam valetudinem ope D. Virginis Oetingensis obtinuit. Nobilis explorato sclopeto vsque ad cõ sinistram læserat manum, vt

doloris magnitudinē se diutiùs posse perferre haud putarit: quem B. Virgo auxilio suo non modò minuit, sed penitus etiam sustulit. Virginem nobiliftemmate progenitam grauiſſimus morbus lecto affixerat. ei auxiliatrix Maria Virgo Oetingæ in mentem venit: ergo die ipſius in cælum aſſumptæ curru eò excurrit, & 4. ferè horis nixa genibus in templo meliuſcula ſummo gaudio delibuta domum properauit. Virgo honeſtis parentibus prognata, 10. integris menſibus omni membrorum uſu priuata, voto cæleſti Matri nuncupato, puncto temporis lectum deſeruit, & Oetingam aduolauit. Puer 10 annorum 9. diebus oculis fuit captus, parentes miſerti gnati, vix votum Mariæ Virgini fecerunt, & cæco dies reluxit. Ciuis quidam arcularius in Bogenberg puellum habebat quinquennem ſontico morbo ſeu phreſi correptū, ſæpiùs ſub meridiem plerunq; Die quodam ita vehemēter exagitatus eſt puer, vt tandem obnigreſcens, membrisq; rigeſcentibus iaceret velut exanimis, & ab omnibus pro mortuo haberetur per horam & ampliùs ſine motu & ſenſu: nuntio properè ad patrem abſentem allato, cùm domum veniſſet plenam vicinorum lugentium, remq; geſtam videret, mox in cubiculum adiunctum ſecedens flexis genibus filium B. Virgini concepto voto cerei quanti ponderaret, eundemq; humeris ſuis Oetingam portandi enixè commendauit. Vix precationem abſoluerat, cùm nunciatur filium ſe denuò mouere & reuiuſcere. breui conualuit, nunquam eo morbo tentatus. Generoſus Guilielmus à Prinzenſtatin cohortis vnus in Vngaria dux, cùm pro Iaurino inſidens equo in puteum ex ſuperiore obſidione oppilatum & reſectum incidiſſet, brachiumq; alterum omnino contriuiſſet, ſe mox B. Virgini Oetingenſi commendauit, concepto voto huc pro-



proficiscendi; statim melius habere cœpit, atque ita breue conualuit, vt brachio tam integro iam vratur, quàm antea maximè. Votum coram ipse cum sociis aliquot persoluit. Virgo quædam Ratisbonensis 15. dies ita oculis capta penitus fuit, vt cæca nata: vbi verò profectioem concepit animo, si conualesceret, breui magis magisque redire sensit aspectum, eumque pristinum modò omnino recuperavit. Quod iam sequitur miraculum præ reliquis memorabile & litteris dignissimum. Venit hoc anno 20. Augusti puella inops Oetingam, annum fermè 20. agens, ob contractionem pedum genibus gradiens, non quidem spe sanitatis obtinendæ gratia, sed stipis ad ædem D. Virginis obstitam mendicis colligendæ. Astitit illi secundum quietem vir aspectu veneratione dignus, lintearius, sic eam cõpellans: Filia, si sanitatis desiderio teneris, nudo poplite ædem sacram D. Virginis quater obito, & demum intrato, quæ nec petitas, nec quæsitæ tibi vires restituet. Nihil commota puella hoc viso, somnium esse rata: altera verò nocte idem senex se illi videndum obiecit, eadem seriò monēs & inculcans. paret illa, rogat ductricem, vt tantisper sibi adesse velit dum sacrū locū quater circumceat. adest ductrix, ingressa tandem sacellum magnæ Matris, dum orationi aliquandiu vacat, ecce tibi vtriusque genu non exiguus sonitus auditus, qui claudam puellam non sine sensu doloris ad clamorem adegit: expetit erigi; erigitur, stat recta, aram sacram cum stupore præsentium, quibus nota, adit. totum igitur illum diem in peruigilio S. Bartholomæi ob ingentem lætitiā in ambulando consumpsit, & sub Vesperis vni è nostris de peccatis est confessā.

## PROVINCIA RHENANA.



IN Prouincia Rheni versantur Socij trecenti nonaginta septem; sacerdotes centum septuaginta nouem; scholarum magistri ter supra quadraginta; studiosi sexaginta quatuor; rem familiarem curant centum & nouem. Habuit Colonia sacerdotes vndeuginti, præceptores tres, Adiutores decem, Socios omnino duos supra triginta. Vno inferius fuit Collegium Treuirensē: sacerdotes habuit octodecim, magistros scholarum tres, duos studia repetentes, octo Coadiutores. Ibidem in Domo Probationis versati quinquaginta nouē, sacerdotes noueni, studiosi triginta quatuor, ad labores domesticos exerciti sexdecim. Collegium Moguntinum quinque & quinquaginta fecerunt; rem Ecclesiæ viginti, humaniorum litterarum quinque, studiosorum duodeuginti, familiarem tredecim obierunt. Herbipoli viginti nouem vixerunt, sacerdotes septemdecim, ludimagistri quinque; octoni in studia Philosophiæ, noueni in procurationem rei domesticæ incubuerunt. Spiræ in auxilia animarum vndecim versantur; rem scholasticam quatuor, domesticam quinque procurant; Socij omnino viginti. Ad Fuldam sacerdotes duodecim, artium doctores sex, vnus studiosus, octo Fratres Adiutores; Socij supra vigintiseptem elaborant. Molshemij sacerdotes tredecim, quatuor scholarum magistri, vnus studiosus, octo in rem familiarem; Socij omnino sex & viginti. Vndeuginti Confluentiæ; decem sacris, tres litteris & scholis, sex rebus domesticis intenti. Paderborna octo habet de nostris sacerdotes, ludimagistros quatuor, sex in  
auxilia



auxilia rei domesticæ; Socios duodeuiginti. Totidem Monasterium Westphaliæ, sacerdotes bis senos, vnum literarum doctorem, quinque Fratres Adiutores. Hildesium septem presbyteros habet; vnum à litteris tradendis magistrum, quatuor à rebus domesticis. Embricæ sacerdotes septem, duo Scholarum magistri, tres Coadiutores: vtrobique Socij bis seni. Aquisgrani non amplius ac nouem recensentur capita, sacerdotes quatuor, duo magistri, tres in vsus domesticos. Erfurti par tantum sacerdotum est. Altenæ, præter duos sacerdotes, vnus è nostris rerum temporalium minister. Sex omnino sunt mortui: sex & viginti recepti.

### *Collegium Coloniense.*

**D**Iem suum feliciter obiit P. Conradus Rottin-  
gius, quatuor votorum Professus: vir magno  
alienæ salutis desiderio inflammatus, labore suo &  
candore animi domi forisq̃ue gratus, humilis &  
patiēs. qui annis tribus & viginti se Societati, mul-  
tis in locis, & varijs officijs, Rectoris etiã munere  
in Collegio Treuirensi, egregiè probauit. eius loco  
in Societatē admissi quatuor. Conciones quaternæ  
Dominicis festisq̃ue diebus, quà latino, quà vul-  
gari idiomate, magno audientium fructu, & Socie-  
tatis existimatione habitæ. Puerorum in doctrina  
Christiana institutio, aliàs quatuor, nunc quinque  
locis haberi cœpta. fructus in contentione paruu-  
lorum est: illam obstupescentes hæretici, liberos  
quoque suos cum Catholicis committere non du-  
bitarunt. iustam æmulationem frequēs auditorum  
concurfus, & orthodoxorum applausus nimium  
quantum fouet & tuerur. Accursus ad templum  
nostrum est assiduus; cum auxit proximi Iubilei  
gratia. Ciues, inquilini, aduenæ de peccatis confes-  
si:

si: plurimi de tota vita. plures diu intermissam consuetudinem reuocarunt. Puella quædam, vt heræ suæ durum effugeret imperium, præcipitium meditatur. Adest mox animarum prædo, causam mæroris sciscitatur, viam euadendi docet informem. arripit illa, & ad vicinum puteum aduolat, in eum se præcipitem datura, si per obseratas fortè fortuna valuas licuisset. Redit ergò ad heram; nihil illa remittit de solito. tum multò quàm antè vefanior puella, infamiæ instrumenta certissima cogitat: verùm (quæ Dei benignitas) hinc laqueus, hinc mucro subducitur. Ergo recurrit menti præcipitium, aperta iam ad mortem via. patebat puteus: dum ad præcipitationē accingitur, obrigescit. Redit ad se, nostrum sacerdotem adit. Dat illi noster patentes litteras B.P. Ignatij manu subscriptas, monetque vt in. litaniam priuata cum reliquis SS. Confessoribus, huius quoque Beati nomen coniungat. Facit illa, quod suadetur. Hic demon: Tace, ait, obmutesce; non fero, non patior: ille me vexat, vrit, torquet. abi ocyùs, & suam nebuloni illi syngrapham restitue. Perstitit illa tamen, & peruicit, probius secuta consilium. Alia quædam adeò desperationis spiritu agebatur, vt sibi proliq̃ue præcipitium meditaretur. Alia item, cogente miseria, primùm tres filios, deinde seipsam veneno necare destinarat. verùm salutaris pœnitentiæ fræno ad melioris vitæ planitiem reductæ sunt omnes. Vir grandæuus diu apud suos Catholicus, inter hæreticos vixerat. Is cum nunquam, seu negligentia, seu pudore (vt fit) salutis remedia obijisset, potiora mente consilia versans, triginta millium perquàm difficili itinere, vtroque crure claudus, inde huc adreptaui, tantoque sensu doloris, testibus lachrymis, delictorum omni vita collectorum sarcinam apud nos deposuit, vt diceret, velle se Roman ad exosculanda

SS. Apo-



SS. Apostolorū limina, etiam hac debilitate corporis, nullo viatici munitum præsidio, satisfactionis loco prorepere. Mulier honestè nata ob infaustas nuptias ex pinguiore fortuna tantum non ad incitas deuenerat. Itaque vitæ pertæsa, ita se gessit, vt de sua salute dæmoni certam faceret expectationem. adest ille vocatus, & in forma nigerrimi canis laqueum offert: sed prolato salutis nomine fugatur ex oculis quidem; at non ex animo. Adit igitur secretiorem domus locum, facinus meditat, à salutis iactura abest proximè; & viuendi finem iam tum fecisset, nisi validiore impulsu ostij prodita mutasset consilium. Nec multò post, cum ex difficultate pariendi in certissimum vitæ discrimen adducta, Dei genitricem, cui huc vsque parum tribuerat (hæsitabat enim de inuocatione Sanctorū) seriò implorasset; res mira! citra vllam obstetricationem feliciter enixa est. quare cum primùm ex partu conualuit, memor acceptę gratię, re cum nostro sacerdote communicata, sibi, marito, & Ecclesię est reddita integrior. Quædam alia cum pedem ad eò affectum haberet, vt eius rescandi consilium daret medicus, iamque tormentum pateretur; vota peregrinatione, & annali sextæ feriæ abstinentia, repentè præter spem, nec sine miraculo, conualuit. Mulier quædam cum tori socio inter Caluinistas triennio vixerat; quæ cum ob rei familiaris angustias, numerosam prolem alere haud posset, vitam sibi statuit abrumpere. Desperabundæ pro foribus vespertino crepusculo sedenti, dat se conspicuum vir quidam forma spectabili, causam mœstitiæ sciscitans. Cui illa: Deus, inquit, nouit. audiuit, & ex oculis euauit. Territa mulier, ad confesarium aduolat, & manantibus dolore lachrymis, antea ctæ vitæ sordes feliciter diluit. Præter messem ex agro Nouesiensi collectam, cum Ecclesia in gratiam

gratiam rediere omnino sexdecim: è cœno vitiorum extracti plurimi: composita diffidia, bella flagrantia sopita: spiritualibus exercitijs exculti aliquot: Agni Dei præsidio, non cum partu magis, quàm morte luctantes, adiutæ. Qui religionis, castitatis, pietatisque propè naufragium fecissent, præclarè de nostra in se pietate loquuntur & sentiunt. Miles quidam iniustam sectatus militiam, ex intima Hollandia ad nos venit: non contentus semel de peccatis in omni vita admissis confiteri; sed iterum ac tertio id fecit, tanto sensu doloris, vt circumstantes admiratione defixerit. Neque hinc stetit pœnitentia hominis; militiam in perpetuum valere iussit, & familiam suam apud Vbios constituere cogitat, quò sæpius munera Catholicorum obire possit. Restitutiones boni pretij factæ non pauca. Adita nosodochia, carceres inuisi, & afflictorum tuguriola ferè quotidie; mœstis solatio, egentibus auxilio, alijs consilio subuentum. Iis vero in primis perutilis nauata opera, quos sua facinora morti deuouerant. Apud scholarum nostrarum discipulos præceptorum valuit opera. Sex ad Religiosorum hominum familias transferunt. Superiores sunt Sodales Parthenij, quorum pietas in sua alienaque salute præclarè desudauit. Horum vestigia ij affectatur, qui sunt in Sodalitate S.S. Angelorum: quorum ethi adhuc victoria in expectatione est, præclari tamen triumphi indicia faciunt. Rei familiaris inopia piorum eleëmofyna ex ipsa etiam Hollandia submissa, supra spem votumque subleuata. Sacrum reliquiarum thesaurum auxit Reuerendissimus Abbas Corbeiensis, Princeps Imperij, donans cum amplissimo testimonio templo nostro S. Achatij Primicerij decem millium Martyrum, Ecclesiæ nostræ Patroni, caput. Nouesium per Aduentum & Quadragesimam sacerdos vnus



cum socio excurrit. Doctrina Christiana pueris & rudioribus tradita: conciones ad populum habitæ: dissensiones sopitæ. Ad ouile Christi periculosè aberrantes reducti sex: absolutionis & Eucharistiæ Sacramēta, circa Paschales ferias, plus mille septingentis præbita. Mulier cum venenum sibi ipsi miscuisset, virtute precum, quas iam iam haustura toxicum, vt Numen diuinum placaret, cum acri dolore fuderat, ad se redijt, detestata est facinus, & bona mariti venia (hæreticus erat) sacerdoti nostro conscientiæ latebras aperuit. Duo, vt legitimè cohabitarent, adiuti & persuasi. Nec Bonnensis populus fructu nostri laboris caruit. Factum, vt iam vulgò sit prolixior liberalitas in pauperes, vt librorum prohibitorum lectione plerique abstineant, vt libros pios, rosaria, agnos Dei, & alia pietatis instrumenta magnifaciant. Ludentibus persuasum, vt lucri partem pauperibus assignent. Quædam obsessa credebatur; sed citra periculum & exorcismorum iacturam, sanitati reddita. Mirum est, quântum hic populus ab illo mutatus sit; scilicet in vulgus manant exempla potentum. Serenissimus Ferdinandus Bauariæ Dux, Coadiutor, pro sua insigni religione zeloque pietatis, nihil prætermittit, quo populum Bonnensem amore virtutis possit succedere Hebdomade sanctiore, publicâ instituit processionem; in qua ipse nudis iucedens pedibus, prægrandem prætulit crucem, per omnes vias & compita ciuitatis. Sequebantur ex aula plures, flagris tam atrociter in se sauentes, vt sanguis vberim in terram destluerit. Idem Princeps sepulcrum Domini, quod vocant, in ecclesia Collegiata constituit elegans & artificiosum, ad quod tota penè ciuitas, magna cū pietatis significatione est effusa.

*Collegium Treuirense.*

**A**Dmissi in Societatem duo, plures in alias Religiosorū familias. Iubilei gratia laboratū in nostra æde hebdomada tota cōfessionibus audiendis, & sacro pane distribuēdo, tanta nostrorū constantia, tanto piorum ad Sacramenta concursu, vt ipso festo præcipuo (dies erat omnibus Sanctis solēnis) à primo diluculo in septimam vespertinam cōtinuato labore, ad Pœnitentiæ Sacramentum anhelantibus, sacerdotes 16. satisfacere multis non potuerint, magno & nostro & plurimorum aliorum dolore. Ipso certè Indulgentiarum die, in templo nostro plures 2500. sacro cibo refecti sunt. Adductus ea occasione vir eminens ad peccatorum expiationem, & communionem biennio, ex simultate cum alio primario, haud obscurè intermissam, cui & iniuriam. æstimatam ex animo se dixit remittere. Plurimi à prima ætate culpas suas reuocarūt; quorum magna pars fuit non infimæ conditionis sacerdotum. Inueterata odia sublata, eleëmofynę largæ à multis factæ, à pluribus vltro promissæ. Quidam post negatam sibi a Parocho absolutionem, præsumpserat, ne patris incurreret indignationem, sacram mensam accedere. ex quo tempore ad eò aduersa fortuna confictatus est, vt quasi Cain alter (sic enim aiebat) vagus, profugus, & infelix nusquam conuiesceret; donec, miserante Deo & castigante, ad pœnitentiæ portum se reciperet. Anus morbis & annis confecta, ad eò obstinauerat, nec scelera sua vlli detegere, nec iniurias condonare, vt re ipsa tertidò iam à Parocho sacram Eucharistiam renuisset accipere: eadem tamen à nostro sacerdote instructa, cum Deo in primis, tum cum alijs in gratiam redijt. Sed & sacri Agni pars saluri fuit:  
quam



quam cum vxor à viro deferta, incertum quo monstrante, ignari vestibus annexisset; ille, pellice relicta, cui diu, nulla correctionis spe, adhæserat, ad matrimonij ius, mutata mente, redijt. Pari emendationis exitu duobus concubinæ detractæ. Maiori longè & plurimum bono, adolescentulæ duæ palàm prostitutæ, insignes ad multorum pèrniciem diaboli laquei, ad pudicitiam altera, altera etiã ad fidem perducta. Alia parentibus hæreticis nata, à teneris flagitiorum & hæresis contagio fordebat. hanc susceperat à morte parentum educandam hæreticus, ne scilicet verum aliquando respiceret. respexit tamen, illusaque tandem malitia est. dum enim strenuè ad hæresim æquè ac impudicitiam instruitur, non sine Dei nutu aduertit flagitiosam vitam, & apud nos religiosè per exomologesin, ductu deuotæ cuiusdam, auertit. Redit præterea adolescens ad Ecclesiam, magno cum doloris anteactæ vitæ contestatione. Plures in fide confirmati: qui, ob vitam cum hæreticis actam, diu abstinnerant à Sacramentis, ad eorum vsum reducti. Visitati in xenodochiis pauperes, aliique infirmis, non rarò consultum vtrisque pro Instituti nostri ratione, & piorum hominum liberalitate. Fuit qui nostris erga se charitatis officiis permotus, Societatem expeteret, & voti compos factus est. Ad pietatem domi nostræ piis B. P. N. exercitiis exculci aliquot. Scholæ nostræ numerarunt capita supra 800. vt indole ad disciplinas aptissima, ita animis ad virtutem & pietatem propensissimis. Societatis porrò nostræ præclara æstimatio, cum apud quoslibet, tum in primis apud viros honore & dignitate præcipuos, tantum valet, vt nihil præsentius existiment, quàm nostra opera vti & consilio, ipsæque acquiescere in rebus grauibus, maximè quæ animorum pacem & quietem vel dissidentium re-

conciliationē concernunt. Potentia pollens quidā  
 viro primario, à quo se læsum iniuria iudicabat,  
 necem moliebatur, cum aliis nefarij consilij sociis,  
 quod tamen vt deponeret, nostrorum dehorta-  
 tione factum: & in Sacramentorum perceptione  
 in meliore mente ita confirmatus, vt malit rem to-  
 tam Deo ac legibus committere, quàm vi ac dolo  
 quicquam aggredi. Alium flagitiorum recordatio  
 inquietum habuit; multò verò magis cruciabat  
 metus prodēdi criminis. Hinc modò fugam, vxore  
 liberisq̄ue relictis; modò phrenesis aut præci-  
 pitium metuebatur. tandem salubri consilio no-  
 stro sacerdoti crimen detegit, sanis monitis ac-  
 quiescit, sibi suorumq̄ue saluti ac famæ consulit.  
 Eòdem denique referendus videtur inusitatus, &  
 ab infelicissima vita felix mulieris exitus. Hæc,  
 eiurato Deo, teterrimo hosti sponsa facta est. fi-  
 lium adultum veneficio sustulerat, compellentibus  
 aliis consortibus; vicesimo demum anno con-  
 scientia criminum euieta & expugnata, quòd de  
 sua salute actum putaret, sese ipsam Magistratui  
 ream sistit: qui rei nouitate stupens, cum de ipsa re  
 ne suspicio quidem esset, rem ad Principem defert.  
 inquiritur in mulierem, examinatur ipsa, vndique  
 rea cognoscitur, mortem efflagitat. Sed altero, eo-  
 que grauiore impetu animi à recto aberrans, par-  
 ricidij videlicet filij nece admissi atrocitate com-  
 mota, ad eò in complices exarsit ira, vt negaret, se  
 vel iis ignoscere, vel mortem subire posse, aut velle  
 quamuis ream & alioquin paratam, nisi illis, vt  
 sceleris fuissent, ita supplicij sociis. Laborat contrà  
 arcis præfectus, vir nobilis & doctus, laborant  
 Iudices, laborant alij viri primarij. frustra omnes;  
 donec adscitus noster, modestè ac grauiter misera-  
 ram, quanto in discrimine versetur, edocet. Dedit  
 tum manus, & quia semel intelligebat, diuturno  
 in



in illos odio grauem se Dei iram incurrisse, aduocato Magistratu coram, & a Deo, & ab omnibus huius odij veniam petit, magno cum animi dolore, pari cum Magistratus in re tristi, sed pio gaudio. Sistetur iudicio: lacrymis vbertim profusus vitam antea actam ita detestatur, ex iure sententiam exposcit, clara voce, se omnibus ignoscere, exclamat; vt hac re omnibus presentibus, ipsisque aded Iudicibus ac nostris lacrymas excusserit Ad rogum ducta vitam hanc magno pietatis sensu cum meliore mutauit. Collegio accessit non magnum quidem, sed per commodum ædificium ad ingressum domus, pro Sodalitatis Deiparæ Virginis Congregatione, a nobis quidem extructum; sed potiore sumptuum parte ab ipsis Sodalibus accepta. In eo illi nunc, vt numero, sic charitatis officiis in pauperes, seuerioris disciplinæ in seipsos, illustribusque aliarum virtutum exemplis egregiè proficiunt. Nonnullorum item aliorum liberali pietate, templi nostri ornatus, pictura, & imaginibus, eleganter auctus est.

### *Domus Probationis Treuirensis.*

DIuini numinis clementia duos in societatem adscripsit Beatorum. fuerunt artium & Philosophiæ magistri ambo. Petrus Kiffler è præcipua familia Colonienfi, annos natus nouemdecim; & Hubertus Agricola è Treuirensi diœcesi, paulò a dulterior: sua morte vterque felix. Quendam in ambiguo detinebat desponsum Beneficium Ecclesiasticum. cum in eius possessionem, decreto Ducis, immissus esset alius, is decretum Dei id esse ratus est: & è biuio cogitationem ad nostrum Ordinem inflexit. Maioribus nostræ familiæ incrementis laxari spatia oportuit. Emptra in conductæ do-

mus locum ædes ambitu peramplo, intra vrbs mœnia, nummis aureis (coronatos Francicos vocant) sexies mille trecentis sexaginta quinque. Sitæ sunt illæ in extremo vrbs vico, per cuius tria latera habitationes explicantur: quartum, sacellum habet rudi opere structum. Circum ædes ager spatiosus funditur, pari penè interuallo, qui propter amœnitatem & amplitudinem recreationibus nostrorum sufficit, contemptis suburbanis. Est is leniter accliuus, & ab Oriente in Occidentem deorsum porrigitur, vt fusq̃ue deq̃ue ambulanti, nec aprica montium, nec vmbrosa vallium desint. cultus pariter ad fructũ & delectationẽ. Erant tribules nautæ, qui vicini difficiles futuri videbantur: sed vbi ijs sacellum apertum est, & quod antea factum erat nunquam, quotidiana Sacra celebrata, venerunt ad nos frequentes, & statim ad iniria, gratia collecta est. Interea perpetuis virtutum exercitijs, cùm externorum; tum verò maximè domesticorum animi egregiè subacti cultiq̃ue sunt. Neque verò afferam ea, quæ cõsuetudine trita, vsuq̃ue communia sunt; exercitijs recreatos in futuros labores animos: catecheses concionesq̃ue in vrbe, in agris, pro consuetudine crebrò habitas: domi malas animi affectiones egregiè domitas: descripta alienarum virtutum breuiaria, quas ex interuallo augendæ charitati recognoscerent in singulis: obitas à tironibus p̃ peregrinationes complures magno pœnitentiæ fructu, bonoq̃ue aliorum. Semel publicè ab hæreticis oppido quodam eiecti sunt: aliàs totis diebus frustra quæsitus panis; cùm interim nusquam non verbo exemploq̃ue prodesse. Quidam de nostris stipem quærebat ostiatim cælo frigidissimo. hoc agenti scurra per ludibrium globum niueum compressu palmarum duratum, totis viribus in caput coniecit. Noster primùm dolorem magnitudine  
animi



animi comprimens, deinde ad plagæ auctorem, leniter tantum: Agis, inquit, quod me pati decet: tibi Deus benè velit. Mansuetudo illa ruborem pudoremque impudenti incussit. Alium iniuriæ tolerantia ad publicam detestationem proteruiæ adduxit. Habitu nostri deceptus, tanquam à Iudæo poposcit pro more patriæ aleas: tardantem vrgere instirrit, vellicare barbam, distrahere manu aures, impellere pugnos in latera; nec prætermittere vllum contumeliæ genus; donec pro aleis globulos precarios ab eo extorsit. Tum, quod erat, suspicatus, hominem esse è familia nostra, in genua abiectus, gratiam facti palàm petijt & impetrauit. Contigerunt his similia plura. Sed verò consultum etiam est animis aliorum: exemptæ opiniones periculosa. Ridiculè homo rudis, & in montibus natus, existimabat familiarem sibi esse Angelum, cumque aspectabilem, quoquo iret, sua sequi vestigia. itaque vt stultitiæ plenissimi eiusmodi solent esse errores, negligebat preces, vsumque Sacramentorum: nec aliud, cum commonefiebat officij, respondebat, quàm Angelum familiarem salutem suam procurare. Eam ob rem nolter, qui catechesin faciebat, minutè cœpit quærere apparitionis tempora, speciem oris, sermonum, quibus vteretur, argumenta, officia, quæ impenderet. Sed cum ille colore nigricantem, comitatum tantum præstare, cæterà mutum esse, dixisset; deprehensum est, umbrâ propriam esse, à sole aut face proiectam, quam veneraretur: conuictusque certissimis argumentis, risus ille quidem est à concione; sed vanissimo errore liberatus, fructum tulit. Die quodam emissi nostri, in mendicorum turbam inciderant. Inter eam cum consedisent, conspicati in proximo circa patrem tres pueros, eos ad se blanditiis alliciunt, docent per corpus Crucem formare, solemnes

Christianorum preces articulatè & integrè pronuntiare; præeunt voce, laudant subsequentes. Interea è vicino auscultantes accedunt propius: iterantur preces, breuiter & dilucidè explicantur, magno fructu. Is exitus fuit, vt cum viritim panis distribueretur, vellent prima optimaque nostris dari. sed illi esculentis poculentisque, quæ copiosè parata erant, repudiatis, æquaque portione contenti, porro profecti sunt, prosequentibus pauperibus veneratione & oculis, quò vique prospectus fuit. Alibi iucundum certamen inter hæreticum & Catholicum ortum. Mendicantes nostri, ne erroris quidem doctorem prætermittendum existimarunt. Deprehendit is ex sermone, quos se profiterentur: & misericors scilicet homo, præfatus indignos quidem esse misericordia homines pestilentis sectæ, qui instar turbinis & procellæ peruadant per Germaniam, & in sui generis Ministros hostiliter eant, & exurant messem doctrinæ Lutherianæ; donauit numulos paucos. Sed Catholicus quidam numulos illos hæretico reddendos clamitans, sese ipse, quantum ad viam necessarium esset, suppeditaturum promisit. Duo quæ sequuntur, admirationem habuerunt. Erat camentarius ex nostris, qui, dum in excelso ligneo pegmate totus est in sacello exornando, errore pedis impulsus, lapsus est in caput præceps. in ruinã simul fusus & preces longurum apprehendit: qui licet sustinere eum in casu non posset, sed simul impetu prouolueretur, fractusque in partes dissiliret; casus tamen ad eò illi sine damno fuit, vt neque læsus leuiter corpore fuerit, nec festuca in manu hæserit. ergo attonitis omnibus, ubi assurrexit, redijt cum risu in opus. Alteri copiosa suffusio oculum ita implebat, vt caligaret, & vis mali omnem medicinam contemneret. nec reuixit, priusquã itum est in Allatas ad S. Otiliæ montem,



rem, cuius meritis lumen multis restituitur. Tum verò primum sanescere cœpit, postquam decreta est peregrinatio; & magis, cum instituta: cumque votum solutum est, in descensu n.ontis ita perspicuè etiam morbus descendit, vt repentè gaudio exilierit. Is iam indies melius habet: & licet a ceruice per apertam vstione cutem defluat pituita, totum tamen beneficium non arti, sed S.Otiliæ merito acceptum refert. Concludam hunc locum iudicio de nostro Ordine viri clarissimi Friderici Roërich, Consiliarij & Quæstoris Serenissimi & Reuerendissimi Principis Electoris Colonienfis. Is libens filium Societati concesserat, sapiusque in cœpto confirmarat. tandem ad extremum litteras dedit, tam plenas religionis pijque sensus, vt lacrymas audientibus excusserint. Exemplum litterarum est, quod sequitur: Benedicat tibi Dominus, dilecte fili, consumetque quod haftenus operatus est in te ad nominis sui gloriam, animæque tuæ salutem. Nescio quo fiat fato, vt cum desiderio desiderauerim videre diem illum optatissimum, quo vnà tecum te ipsum Deo, rerum omnium Creatori offeres; attamen huius voti mei, quoad corporalem præsentiam, compos fieri non possum. Quibus enim ego rebus impediatur, te à R. P. Rectore, cui nuper adhuc scripsi, intellexisse arbitror. Itaque quod proximum est, nimirum, vt animo tibi, tuæque oblationi, etiam voti emissioni (quæ Deus Opt. Max. ad nominis sui gloriam, animæque tuæ salutem, nostro omnium bono, clementer suscipiat & fortunet) adsim, pro virium mearum mensura nitar. Vclim autem certò me scire posse, quo die votum Deo & Societati facturus sis, vt & ego eo ipso die, iuri isto, quod mihi Deus in te dedit, plenius & perfectius resignare, teque eidem offerre possim; si non debito, saltem eo modo, quo ab homi-

mine peccatis nimum, eheu! obnoxio, præstari potest. Tu interim cooperari Deo, eius adiutus gratia, non cessabis: tuisque nos precibus, quantum potes (egemus autem) iuuabis; ut ita in hoc mundo, nimum, pro dolor! immundo, ambulemus, ne à fine creationis nostræ excidamus, sed in æterna illa beatitudine nos mutuo aspicientes, ac cæleste illud Alleluia personantes, Deo fruamur in æternum. Vale in Christo Iesu, qui tibi nobisque omnibus semper adsit. Atque hæcenus quæ tironum fuerunt, persecuti sumus. Veteranorum opera in maioribus præclare constitit, non domi solum, sed foris etiam utilis. Eo tempore, quo remissio pœnarum a S. D. N. concessa est, diploma ad subditos confectum est, quod typis excuderetur: adornata supplicatio: litaniæ, atque ordo descriptus: nobilium sublimioris gradus confessiones exceptæ. Euocati etiam in tria oppida ditionis, de Indulgentiæ ratione vsuque publicè ad populum, priuatim ad Parochos dictum: de eorundem officijs actum: dedocti absoluerè à peccatis reseruatis: adiuti Præfecti locorum, aliaque nobilitas. Quibus admirabilior visa charitas, quòd mendicato, pluuia frigidissimaque tempestate, oppida conterminosque pagos peruolarunt. Quodam loco nostris deprehensis à tenebris consistendum fuit. Verùm incerti hospitij, rogantur fortè obuium, ut domum suam vellet ignotis licet, sed probis patere. Negat ille copiam se posse facere, redundare liberis familiaque ædes. Appellatus deinde proximus, misereretur pauperum Religiosorum, aiebat: non se suis quidem sufficere ob angustam habitationem, remque tenuem. Isto modo itum ad plures, nec petitum amplius, quam ut stabula pecorum aperirentur: reperturos locum vacuum, in quo requiescerent. Sed plus suspiciosi & meticulosi homines.

periculo



periculo vacare non putabant, peregrinos admittere. alij etiam per iocum & animi causa se rogari arbitrabantur. Quare desperata mansione, cogitatum sub frigido sordidoque cælo cubare; aut si minus possent, motu agitationeque frigori resistere. Profecti igitur in quercetum proximum, in itinere mulierem inueniunt, quæ agnouit homines esse, qui in gratuitum laborem paratis animis essent. Ea domum ductos, foco assidere iubet, ficcare corpora: instruitque mensam genere cibi, formaque suppellectilis ad modum Societatis ita exactè, vt domi habitare sibi viderentur. Fructum illa non leuem liberalitatis tulit, inflammatam pietatem & accensum ad vitam cum cura recolendam animum. Illic vbi laboratum est, accursum est ad nos peregrè, tranquillandæ conscientiæ causa: nec potuit iniri numerus confitentium de omni vita acta. pacificati coniuges: dissidentes alij in mutuam gratiam repositi: docti plurimi, post acceptam hostiam vinum sumi: desperabundi aliquot in spem erecti: detractæ concubinæ plurimis. Vni persuaserant anus alia, eam, quæ se eiusmodi scelere contaminasset, à Deo sathanæ mancipio tradi, vt in altera vita onera ferat, nec reditum esse in gratiam. abiecerat igitur cogitationem de salute, ad illud vsque tempus. tum consilium rogauit, opinioneque refutata noster onera conscientiæ ad purum exhaustit. Alter in adolescentia apud hæreticos à Ministro erroris audierat, eum, qui crederet dumtaxat, certum esse salutis: confessionem esse torturam & carnificinam, à Monachis, vt rem facerent, inductam: eam vsurpare, flagitiosum esse, non utile. Is cum octo annis à confessione cessasset, edoctus de errore suo per concionem, quærere incepit idoneum sibi confessarium. Vbi audisset, nostros in vicino oppido esse, accurrit, & peccata omnia à primis vi-

ra annis repetita, ex integro, cum multis lacrymis,  
 aperuit. nec satis fuit id fecisse semel; tertio recur-  
 rit. Cum confessarius suspicaretur, scrupulis angi,  
 & quæreret, quis esset sensus animi; tanta se dixit  
 lætitia perfrui, quantam expertus nunquam esset;  
 quam quidem nec explicare, nec capere satis pos-  
 set: totiesque ad nostrum redijt, & gratias egit, vt  
 perpetuo hæreere velle videretur. Quædam puella  
 vt accurreret, visa est de celo monita. coluerat ea  
 Deiparam Virginem à primis annis, quam cum de-  
 spondere sponso parentes sapius vellent, illaque  
 peteret rem differri; offerri noctu per somnum vi-  
 detur Regina virginum, & iucundo, vt pingitur,  
 vultu monere, in Bavrich (locus is erat designatus  
 promerenda Indulgentiæ) se conferret ad festum  
 Cõceptionis; ibi intellectuã, cui marito eam iungi  
 vellet. Libens illa paruit, & ad diem profecta venit,  
 quò vocata erat: dumque expectat, qui consili-  
 um det, circumspicit sollicitè; videt ad parietem, obse-  
 ptum hominum multitudine sacerdotè è nostris:  
 illum putat interpretem fore voluntatis diuinæ.  
 Quare eò perrumpit, expiatisque primùm, quæ vi-  
 debantur impedire posse, peccatis, docuit de appa-  
 ritione facta: & licet esset in pago nata, sapienter  
 tamen prælocuta, quod res est, visionibus non faci-  
 lè fidem adhibendam; dixit, audisse se rerum ista-  
 rum dijudicandarum nostros peritos, voluisseque  
 petere consilium, illo se, vbi acceperit, paratam esse  
 stare. Nolter tum collaudauit prudentiam, cau-  
 tamque iussit esse in posterum. cæterum, coniectu-  
 ram esse, Dei matrem velle illam virginem castam  
 despondere Christo lubricam verò esse ætatem, in  
 qua versetur: videndum, ne, postquam voto se ob-  
 strinxerit, serò pœniteat: nihil statuatur, nisi rectè  
 meditatam, & coram Deo expensum. Quo respon-  
 so de virginitate accepto, lætior illa, quam dici po-  
 test,



test, profecturam sæpius ad nos consilij causa, spondit. In discessu argentum repudiatum, cum offerretur: vitata consultò publica prandia eo die, honoris nostri causa, à viris primarijs instituta: vehicula, nauigiaque eodem tempore oblata, nec admissa; vt taceantur congratulationes salutationesque in publico populi: applicatæ ab incolis naues formæ maioris, loco etiam non legitimo, vt noster, qui in luto ambulabat, in sicco esset, quem aduerso flumine subuexerunt. Porro quàm excursionibus ad salutem multorum institutæ sunt; tam seriò domi laboratum in commodum animarum. Atque in priinis cœperunt se in disciplinam tradere nostram Religiosi cœnobiorum variorum, qui commentationibus pijs, diebus aliquot, ad sanctè agendam vitam eruditi sunt. inter quos Abbas cum gustum accepisset, omnino omnes statuit suos dare excolendos. Confugiunt illi ad nos in rebus dubijs, & crescit familiaritate amor. Iam res eò deducta est, vt in S. Maximini monasterio, quòd olim à Carolo Magno pro centum personis fundatum est, à nostro exhortationes habeantur. Rogatus is est primò, vt in cella non magna ad nouitios diceret, egitque de Religiosi officijs eruditè & dilucidè. Ii rei præstantia ardoreque, vt fit, capti, Professis desiderium iniecerunt; quos cum locus prior non caperet, itum est in cœnationem amplam, quò conuenerunt multi. Tum, cum plus etiam opinione deprehendissent, excitassentque in cæteris audiendi studium; non iam manipulatum, sed integro conuentu confluerunt. Augescit in dies rerum diuinarum cognitio, inflammatur voluntas, disciplina in pristinam dignitatem restituitur. Rem nostram familiarem adiuuerunt Abbas S. Martini, extra cætera beneficia, donauit modios frumenti sexdecim; Abbas S. Matthiæ arbores pro ædificio

nouo grandes aliquot. alius vir nobilis lapides. Canonicus summx ædis, vini quantum plastro vehitur. Sed in primis Reuerendissimus & Illustrissimus Princeps noster, vti beneuolentiam & auxilium in domus nouæ emptione & possessione ad-eunda, opportunè præstitit; ita supra ducentos aureos, eleëmofynæ loco, misit: spemque fecit noui à se excitandi templi siue sacelli.

### *Collegium Moguntinum.*

Vitam hanc caducam cum immortali commutauit vnus, Theologiæ auditor, Georgius Schlunderus, cum animum ageret secundum supra tricesimum. vixit in Societate annis duodecim. Eluxere in eo candor animi singularis, animi submissio, obsequendi studium, donum tractandæ iuuentutis, & ad omnem pietatis cultum traducendæ. vnde & Deus multos per eum ad Societatis institutum perduxit. Sacerdotum vnus ad quatuor votorum professionem, alter ad Coadiutorum spiritualium gradum publicè admissus, post antegressam triduanam, intra extraque urbem, mendicationem, magno hominum exemplo peractam: tantaque stips collecta, vt sexaginta pauperibus in xenodochio, prandio pleno excipiendis suffecerit. A Sectariorum caulis ad Sanctæ matris Catholicæ gremiũ, magno animi sensu, & cõsolatione singulari confugerunt octo supra quadraginta: atque inter eos nõ pauci nobilitate generis clari, & ad aliorum imitationem potentes exemplo. Nuper quidam recens conuersi licet ætate grandæui, non familiæ modò suæ, sed etiam multis senatorijs viris auctores fuerunt, vt Sacramentum Confirmationis, inter puerorum & adolescentum turbas, remoto omni pudore, licet linteo frons obliganda esset



esset, acciperent. Enituit verò labor studiumque nostrorum, in proximæ Indulgentiæ plenariæ gratia, à S. D. N. Clemente octauo, Reuerendissimo Archiepiscopo nostro, eiusque duodecim Episcopis. Suffraganeis concessa, benè vtiliterque promerenda. Domi forisque laboratum egregiè: repetitæ à pluribus noxæ pueritiæ, dissidia sopita, dubij in fide firmati, aberrantes reducti, omnes cum Deo, Sacramentorum piorumque operum vsu, reconciliari. Præiuit populum omnem clerumque, præclaro ad posteritatis memoriam exemplo, Princeps ipse recens electus & confirmatus. Is cum in summa æde cuidam è nostris confessus publicè esset; sacram. synaxim, spectante vniuerso clero, aula, multoque populo, è Reuerendissimi sui Suffraganei manibus, nouo pietatis exemplo, suscepit; quem mox secuti sunt nobilissimi quique, Præpositus, Decanus, Scholasticus, alijque siue Prælati, siue Capitulares Canonici: è sæcularibus quoque primarij viri aulici, multique clerici. Cum verò solemni supplicatione, celebrique pompa per vias urbanas, cum aliquot Sanctorum reliquijs, Sacratissimum Christi corpus deferretur, ardente licet sole; nudato capite, religiosè secutus est Princeps: curauitque vt eodem ritu & ceremonia deinde omnia oppida & pagi subiecti, eandem gratiam, præmissa confessione & communione, promerentur. In hac verò totius populi & cleri religione, Parthenij quoque Sodales non exiguam laudem retulerunt. Nam vt pietatis suæ specimen palam tandem præberent, & virtutem intra parietes hactenus inclusam, populo spectandam darent; pridie, quam in communem processionem iretur, ipsi omnes, religionis ergò, ad proximam extra urbem ecclesiam, Crucis violatæ miraculo celebrem, longo ordine processerunt. Summo diluculo in templum

plum Societatis, cum Angelicis Sodalibus, confluerunt. Inde prælato à linteato Sodali vexillo Crucis, omnes bini, nudis capitibus, egressi, rosarijs, coronis, precarijsque libris instructi, summo silentio; suo loco Musicorum turba intercinente, processere. Sub agminis medium viceni seni, lugubri schemate velati, iunctis manibus ad preces, & nudatis pedibus, prodibant. Clausere agmen primarij viri, partim Ecclesiastici, partim sæculares; præcipuè, qui nomen Sodalitati suam aliàs dederunt. Neque Illustrissimus Princeps, cum pridie de processione cognouisset, abesse voluit. Itaque cum tota aulicorum turba, non solum prodijt; verum etiam auctor fuit, vt in S. Crucis æde, quò omnes tendebant, diuinum Missæ officium à summæ ædis nobili Decano. Leuitisque item nobilibus Canonicis, ac suauissima harmonia, intercinentibus tubis ac lituis, ab aulicis cantoribus, perageretur. Sacris peractis, omnes ad urbem, eo, quo venerant ordine, precabundi ita reuertère, vt primùm ad Carthusianorum cœnobium, exiguo ab itinere consueto deflexu, diuerterent; qui aduentum nostrum, Sacro in eam rem protogato, præstolabatur. Vbi, quoniam maior, quam in dicto templo se dabit, locus & occasio, duodecim personati, post sacram eleuationem, in sua terga, inusitato exemplo, defæuerunt: ac diu proni in terram effusi postea orauerunt. Eandem flagellationem nõ multò post in templo Societatis, cum ad urbem reuertissent, publicè repetierunt. Noua licet hæc fuerit cæremonia Moguntinensium oculis, nec vnquam spectata; tamen à nemine irrita est: omnes admirati sunt, omnes collaudarunt; nonnulli etiam lacrymas continere non potuerunt. Iamque pœnitentiæ studiosis palam aditus nouo hoc exemplo patefactus, vt non vereantur deinceps crebrius, maximè **Qua-**  
dra-



dragesimalibus ferijs, in publicum prodire. Neque hic constitit dictæ Sodalium pietatis cursus; sed in alios quoque litterarum studiosos, imò in totam Vniuersitatem manauit. Magnificus enim Rector, alijque primarij in Academia, mox censuerunt tam felicem religiosæ peregrinationis successum, vniuersali aliqua gratiarum actione terminandum. Itaque per Bidellum, non modò nostrarum Scholarum auditoribus; sed omnibus Vniuersitatis personis imperatum est, stato die, manè, in templo Societatis præstò adesse; inde bini, prælato vexillo, intercinentibus musicis, per publicas vrbis vias, ad S. Crucis progredi, & solemnè ibidem Missæ officio decantato, eò, vnde egressi essent, redire. Et quoniam de Sodalibus Parthenijs mentio facta est, addo, eos prælusione quadam tum alijs annis, tum hoc quoque, singulis Quadragesimæ hebdomadis, flagellatione intra priuatos Sodalitatis parietes suscepta, ad publicam illam hoc anno tentatam, strenuè se comparasse: non semel pauperibus pedes calida abluisse, prandium apposuisse, stipem emedicasse; crebrò socijs supplices factos pro pœnitentia extorquenda, eorumque pedes humiliter exosculatos fuisse, aliaque virtutis argumenta non vulgaria exhibuisse. Quamquam in hoc genere ij Sodales, qui in nostrorum conuictorum ædibus versantur, vt & in Sacramentorum frequenti vsu, palmam præriperint. Inter eosdem aliquot mensibus institutus fuit Maurus, ex Hollandia Calvinismo infecta profugus. Is postea in templo Societatis, præsentè Archiepiscopo Mogùtino, totaque vrbe in spectaculum effusa, solenni ritu, idoneo ad id loco præparato, salutaribus vndis ab Episcopo Suffraganeo est perfusus. Iam verò hoc anno, vt aliàs, non passi sumus desiderari opellam nostram in hominibus egenis iuuandis, morboque

vel carcere afflictis In xenodochio certè miserri-  
 mis hominibus sæpe de necessariis, qua ad corpus,  
 qua ad animam destitutis prospectum. Centena vt  
 minimū capita, inter hæreticos nata educataque,  
 errorum criminumque aliorum noxis, quæ nun-  
 quam legitimo sacerdoti patefecerant, soluta: eo-  
 que felicior successu, quòd ex iis penè sexaginta  
 non multò post spiritum Deo reddiderint. Cu-  
 ratum vt in summa penuria iisdem libelli preca-  
 rij, ex quibus orationes recitarentur, & cerei pro  
 morti proximis non deessent: tum vt vita defun-  
 cti honesto ritu in arcam funebri panno tectam  
 deponerentur, & more patrio, prælatâ Cruce, &  
 accensis funalibus, comitantibus Sodalibus, qui  
 & eleëmofyna non semel eos iuuerunt; ad sepul-  
 crum efferrentur. In eorundem vsum & sedes con-  
 fessionibus excipiendis idoneæ factæ. multa Ca-  
 techisimorum exempla, quorundam liberalitate,  
 eòdem comportata. Effectum, vt diuino Missæ of-  
 ficio statis diebus interessent, in eoq; sacram syn-  
 axin perciperent: deinde vt certis horis quotidie  
 preces à quopiam legendi gnaro, clarâ voce reci-  
 tarentur. Impetratus à bonis viris in singulos dies  
 esculentorum poculentorumque sufficiens com-  
 meatus; stramina & linteamina in vsum lecti; li-  
 gna quoque ad arcendum hibernum frigus. Car-  
 ceres frequenter obiti, omniq; ope laboratum,  
 vt squalore loci, vinculorumque ærumna libera-  
 rentur captiui: supplicio publicâ sententiâ addictis  
 persuasum, vt æquis animis gladium laqueumue  
 exciperēt, & in fide Catholica Romana diem con-  
 stanter obirent. Christianæ doctrinæ institutio in-  
 tra extraque urbem eundem hoc anno cursum te-  
 nuit, quem superioribus. itaque nihil in eo genere  
 speciatim, præter ea, quæ generatim, supra dicta  
 sunt, occurrebat, nisi quòd eadem operâ scholæ  
 vtrius-



Vtriusque sexus pueriles excitatæ sunt, ad exomologesin de peccatis apud nostros faciendam. Scholæ, vt cum illis has annuas concludam, numero superiores omnes annos sic excessere, vt spatia necesse fuerit dilatare. Renouatio studiorum mense Nouembri, post elegans de lapidatione protomartyris Stephani datum drama, consueta cæremonia applausuque iuuentutis & populi, peracta est; vti & Magistrorum ac Baccalaureorum ad magisterij laureolam promotio, quæ quotannis magno Candidatorum numero, mense Iulio, in totius Academix confessu, celebrari solet.

### *Collegium Herbipolense.*

**A** Diuncti ad Societatem sunt quinque, ex quibus duo in Iuris studio longius iam progressi, suis eo factò commilitonibus & Professoribus admirationi fuerunt. Visitator in Prouinciam venit hoc anno, 14 Septembris die, P. Ferdinandus Alberus. Is ab hoc Collegio visitationem suam non sine fructu, vti speramus, inchoauit. omnes enim sacris commentationibus, ex R. P. N. præscripto, nauiter incubuerunt. Quo in opere primus fuit ipse R. P. Visitator; qui tum hoc, tum aliis virtutum illustrioribus documentis, iis quos inuisere venerat, præluxit. Secuti sunt eum alij deinceps. Scholæ nostræ & pietate auditorum, & numero floruerunt. Numerus fuit nongentesimo maior, conflatus ex lectis adolescentibus, quorum nonnulli ex variis locis aduentantes, vtpote Hassia, Saxonia, Pomerania, Frisia, paullatim Ecclesiæ fidem & religionē didicerunt. In quibus puer nobilis eam ob rem adductus à patruo, ne nullus in ampla familia illi superuieret, quem bonorum suorum heredem instituēret, Catholicus. Pietas eorum & ardor ex

multis rebus non vulgaris eluxit. Nam è mundo ad Carthusiensem, aliasque Religiosas familias non pauci iam transierunt: & complures ad idem vitę genus, nostramque in primis Societatem, ardentè anhelant. Vnus è confessariis nostris festis Natalitiis ad viginti solus numeravit, qui Religiosę vitę complectendę mentem vel declararunt, vel confirmarunt. sunt, qui cilicia sibi coëmerint: sunt, qui flagella curarint, quibus aduersus carnis illecebras vtantur: non nemo est, qui ex voto sponte nuncupato, omnibus Veneris & Sabbati diebus, pisce vinoque abstineat: est, qui integrum annum, tribus quothebdomadis diebus ieiunet. Tulit in hac parte præcipuam laudem Deiparę Virginis Sodalitas; quę tum aliis clarissimis viris, cum nostris potissimum discipulis constat. Feruor singularis in grãdioribus iuxtà ac paruulis enituit; quorum nonnullis adedè in desiderato fuit Sodalitas, vt cum locus esset angustior, humi sedere præoptarent, quàm admissionem suam differri. Quidam importunis precibus extorserunt, sibi vt nudis pedibus, spatio benè longo, ad B. Virginis templum quoddã, pœnitētium habitu, proficisci, seque aliquoties flagris in itinere diuerberare liceret: ad quã diuerberationem ita sunt inflammati, vt modum illis non rarò præstituere necessum fuerit. Ex iisdem fuerunt, qui stipem ostiatim pro captiuis quibusdam Græcis collegerunt. Vigesimo tertio Martij, & duobus insequentibus diebus, continuata oratio est in oratorio maioris Sodalitatis, accomodatè ad eam rem tapetibus vestito. Magno multorum pietatis sensu & approbatione prodierunt, qui sub oratione se flagellarent omni hora, & vltima quidem ducenti & vnus. Magnus toto illo triduo fuit ciuium & Academicorum concursus: qui & eleganti variaque musica recreati, & Sodalium



lium tam pio exemplo mirum, quantum ad pietatem succensi sint. Die Iouis Sancto ab iisdem Sodalibus, eodem in loco 40. pauperibus publicè pedes primùm abluti, deinde benè lautum epulum datum, ministratibus è Sodalitio nobilissimis quibusque, & illustri etiam familia oriundis, ad extremum abeuntibus pecunia pro cuiusque necessitate distributa. Nocte parasceues fuerunt, qui virgis flagellisque in sua terga sæuierunt ad centum septuaginta; quorum aliqui à ferendis Crucibus & ponderosis lignis prohiberi vix potuerunt. In die S. Augustino sacra, in Hochbergense B. Virginis templum, supplicatio Sodalium educta ordine longissimo, festiuo concentu, rara modestia & pietate. comitati sunt omnes Academici, Senatores, Monachi S. Stephani & Iacobi, multi Prælati & Canonici. Secutæ sunt eodem multæ mulieres, nudis nonnullæ pedibus. Communicarunt ibidem ducenti quinquaginta: ex iis 25. nudipedes & flagellantes. Effudit se stupens ad spectaculum tota ciuitas, æra campana summæ ædis, aliorumque templorum, qua itum est, vt in publico gaudio, personuerunt. Fortè petulantior quidam iuuenis ausus fuit risu prætereuntes excipere. hunc nobilis vir impacto colapho cohibuit, cæteri que prorsus obmutuerunt, & admiratione ex tot deuotorum capitum intuitu defixi steterunt. Atque hi ex scholis & Sodalitate Deiparæ fructus sunt collecti. In confessionibus, concionibus, carceribus, hospitalibus, catechesibus, aliisque consuetis Societatis muneribus operæ quoque pretium extitit. Magnus apud nos confitentium & communicantium numerus fuit. In paschate solum, sacram synaxin in templo nostro, licet perangusto, susceperunt amplius ter mille & octingenti. Multi in auita religione confirmati sunt: ab hæresi expediti

ad quinquaginta. In his erant duo, quorum tentata ab aliis iam sæpius, & desperata fuerat conuersio. qui nostri sacerdotis persuasione eò adducti fuerunt, vt hæresin Lutheranam, quam à puero imbiberant, multis verbis detestarentur, & cum lacrymis vitæ totius exomologesin peragerent, Catholicoque ritu Eucharistiam susciperent. Quidam etiam, qui in hæresi adeò pertinax fuerat, vt ante annos sexdecim omnia sua diuendere, quàm inter Catholicos morari maluerit; iam per conciones nostrorum, & P. Schereri de communione Lutheranorum scriptum, adeò permotus est, vt elutis per confessionem totius antè actæ vitæ maculis, homo quinquagenarius, rursus sua apud Lutheranos vendere, & ad Catholicos redire decreuerit. Alius vir nobilis, cum olim in scholis nostris fuisset, & postea per omnem vitam hæreticis, & maximè Calvinistis, deditus fuisset; præfectura in primis honorata potens; tandem, lectione potissimum Bellarmini, permotus, ea de causa, bidui ferè itipere, semel & iterum Herbigopolim cum suo comitatu accessit, vt viua voce à nostris doceretur, num vt hæreticorum, sic etiam Catholicorum sensum legendo probè satis assecutus esset: seque ad Ecclesiam, rebus dispositis, adiungeret. Per aliquot dierum colloquia quid utilitatis acceperit, prolixè gratiarum actiones, & copiosæ lacrymæ testabantur: pluraque speramus, vbi res matura fuerit. Opifices plerique cum è locis hæreticis redeunt, & in gratiam cum Ecclesia redire volunt, & licet minimum sit, & in fine ciuitatis templum nostrum, requirunt, & à nostris adiuuantur. Indulgentiæ multis alias exosæ & contemptibiles, pro concione & scripto defensione, Catholicos nō paucos cōfirmarunt, & hæreticos ad sauiorem mentem reduxerunt. Impetravit Reuerendissimus Princeps noster à summo



Pontifice Iubileum, magno non solum subditorum suorum, sed etiam exterarum regionum emolumento. De Iubileo vero eiusdem Principis rogatu, Latine & Germanicæ conciones editæ, aliæque ad populum docendum habitæ. Eodem promulgato in die pentecostes, ad quatuor millia hominum communicarunt, mille quingenti in nostro templo, totidem ferè in summo, alij alibi. Ex Reuerendissimi Principis manu Canonici Eucharistiam acceperunt, præeunte Decano. Magnus ad templum summum concursus fuit ex oppidis & pagis non propinquis tantum, sed longè etiam distitis. Vicini etiam Prædicantes aliquot fama rei exciti adfuerunt. Vnus non ignobilis Lutheranus, pietate motus & grauitate cæremoniarum, ad Catholicam religionem affici cœpit. Ab Herbipolensibus ad reliquam diœcesin, eadem Iubilei gratia, variis deinde temporibus festisque, est traducta, & per Reuerendissimum Suffraganeum, & Abbates anhelantibus subditis communicata, magno sanè illorum bono. Nam, quod mirere forsan, numerata sunt ad quadraginta hominum millia, qui sacram Eucharistiam cum in finem perceperunt. Refutata duabus concionibus hæreticorum mendacia de victoria sua Ratisbonensi: & nutantes & pusillanimes Catholici in sua fide confirmati, sumpta occasione ex disputatione Christi cum Iudæis in Dominica Passionis, & ex colloquio Gabrielis cum D. Virgine in festo Annunciationis, præsentibus pluribus hæreticis, qui tum ad nundinas huc confluerant. Aduersus grassantes in vrbe choreas ex cathedra quoque declamatum: quam sciolis ea res plerisque non admodum probaretur; qui & sermones ea de re in vulgus dederunt. Sed non frustra id tentatum à nostro concionatore fuisse, docuit euentus. Nam neque circum

Crucem, quæ ad summum templum erecta est, au-  
 si sunt deinceps, vti consueuerant, choreas ducere  
 (seuerè namque & solenni decreto rem eam Cano-  
 nicorum Collegium in posterum interdixit) &  
 multi in perpetuum se obstrinxerunt huiusmodi  
 leuitatis genus de cætero vitare. Omnino populus  
 Herbipolensis ad maiorem in dies modestiam &  
 pietatem inducitur, ope nostrorum; ita vt fidici-  
 nes grauius conqueratur, sibi alendæ familiæ sub-  
 trahi lucra, quæ foris apud exteras ciuitates quæ-  
 rere in posterum cogantur. Quidam ex primori-  
 bus cum alienus à nobis, multos annos nostrorum  
 conciones euitasset, tandem auditorium aliquan-  
 do ingressus, ita captus est, vt iam non solum assi-  
 duitate sua multos superet; sed etiam quotquot  
 potest, ad conciones adducat. Dissidentes inter se  
 coniuges, aliique nostrorum operâ feliciter com-  
 positi. Est in primis viri cuiusdem primatis furori,  
 ob grauem rei familiaris iacturam, in suos dome-  
 sticos concitato, obuiam itum; qui & iram & do-  
 lorem, ad nostrorum exhortationem, non solum  
 compressit, sed etiam in se rediens, damni causam  
 in se ipso indagauit. Adita nosocomia & carceres:  
 animus ad morbos & supplicia perferenda factus.  
 Elephantiacis etiam cura impensa, ex quibus octo  
 sunt adducti, vt festo SS. Trinitatis Sacramentum  
 Cõfirmationis in sacello nostro, quod D. Valentino  
 est sacrû, a Reuerendissimo Suffraganeo suscipe-  
 rent, magna cum spiritus consolatione; quibus est,  
 priusquam abirent, eleëmofyna impertita. Vir qui-  
 dam primarius, cum aliquot annos diuina Sacra-  
 menta suis posthabuisset curis, tandem morbo pe-  
 riculoso correptus, adduci tamen non potuit, vt  
 confiteretur. vocatus noster in speciem salutatio-  
 nis, videt eum ad extrema tendere. blandè primû,  
 deinde grauius eum monet, iam adesse finem, con-  
 sule-



fuleret animæ, præueniret confessione Dei iudicium: paret, de tota vita confiteretur, communicat, ungitur, immensas gratias cum lacrymis nostro reddit, eiusque exosculatur manum: pauloq; post cum votis Deo animam reddidit. Alter qui diu graues cum vxore & plerisque aliis inimicitias a-luerat, in graui morbo visitatus, & adductus à no- stro, vt palam cum omnibus in gratiam rediret, pauloque post à confessione, suo aliorumque soia- tio, mortuus est. Alius vir senatorij ordinis, pro- bus, ac omnibus charus, qui quotidie rem diuinam audiebat, & Horas Canonicas lectitabat, subito morbo captus, rationis vsum amiserat. Tentabant nostri sæpe diu noctuque, vt aliquam confessionis materiam elicerent; sed frustra. accessit epilepsiæ morbus continuus: desperabatur ab omnibus, et- iam medicis, & in singula momenta etiam mors timebatur. In hac rerum omnium desperatione litatum à nostris, & votiua sacra ad D. Virginis cu- rata à familiaribus, vt saltem confessioni ritè insti- tuendæ rationis vsum reciperet. cum ecce lux com- municata, vt daret signum doloris, & sacram un- ctionem annueret: neque multò post etiam vox & vires redierunt. confessus est, & à sacerdote nostro in eius ædibus Sacris operante, communionem suscepit; iamque sanus & integer Societatis chari- tatem apud alios deprædicat. Commentationibus domi salubriter aliquot eruditi ad pietatem. Foris verò latè nostrorum industria vagata, multis salu- ti fuit. Variis excursionibus in oppida vicina, mul- torum centenorū confessiones sunt exceptæ. Con- cionibus adiuti Parochi: consuetudo deferendi templum ante finem sacrificij sublata: reuocata ve- rus consuetudo osculandæ Crucis in Parasceue. Adeoque multis in locis, sollemioribus festis, no- strorum petita subsidia sunt, vt multorum deside-

ria domesticæ nostræ curæ & officia frustrarint. D. Virginis Sodalitas quædam olim ex pluribus ciuitatibus collecta & instituta, in quam vtriusque sexus, nobilium etiam & auctoritate præstantium ingens numerus cooptatus fuerat; iam temporum iniquitate collapsa, hoc anno rursus efflorescere cœpit, dum quidam ex nostris eò profectus, concionem in laudem & utilitatem Sodalitij habuit: postquam mox supra duodecim capita nobilium, senatorum, honestorumque ciuium sua nomina dederunt. Doctrina Christiana sex in diuersis pagis explicata est, magno non solum puerilis, sed etiam adultæ ætatis bono. Inductus est religiosus erga Dominicum corpus cultus. simulatque puerile agmen in templum peruenit, omnes ad illud venerabundi se abijciunt: ibique flexis genibus, donec moneantur, orant. Cereas verò agni Dei effigies, mirum quàm venerentur, vel ament: cuius amuleti vim commendant, quòd mulier à malo spiritu exagitata melius habuit, accepta à Parocho quadam eius particula: quam postquam restituendi animo deposuit, grauiter affici denud, & in dies singulos peius habere cœpit, quoad à nostro edocta, quid hoc rei esset, non deposituram se deinceps sacram plagunculam recepit. Fuit etiam puella paruula, quæ integras multasque noctes ab eiulatu compesci non potuit, sed appenso agno Dei, mox conticuit, & ad patrem versa, inquit: Non amplius eiulabo, quia rem istam appendisti mihi. Reuerendissimus & Illustrissimus Princeps & Episcopus noster Iulius, suam in nos beneuolentiam non obscuris signis sæpe testatus est. Festo Visitationis B. Virginis cum aulicis & duobus Capitularibus, Sodalitati Partheniæ, magna pietatis significatione, adfuit. Serenissimi quoque Archiducis Maximiliani, non spernenda in nos beneuolentia & libera-



beralitas extitit. Nam & ex nostris aliquem sibi à confessionibus esse voluit (quem ea de causa ad se Mergentheimium, & nuper etiam Oenipontum euocauit) ac Collegio centum ducatos, cum altari mobili magni pretij, donauit. Causam pecuniariam habuimus cum Senatu Lutherano, celebris imprimis ciuitatis Imperialis. eluserunt nos primum aliquot comperendinationibus: deinde cum duorum pro nobis Principum literas, Archiducis scilicet Maximiliani, & Iulij Franconiæ Ducis accepissent, mitiores effecti, pecuniam se reddituros, vtrò polliciti sunt. Missus istuc è nostris vnus, honorificè & benignè habitus, ad singulare colloquium summi Consulis admissus fuit. In Senatu decretum, vt pecuniam annuo censu retinerent; cum tamen his ipsis annis veteres pensiones studiosè redimant, maximè à Catholicis, iisque etiam Principibus. Commendarunt in nostro homine modestiam, sobrietatem, simplicem, & suo statui conuenientem vestitum.

### *Collegium Spirense.*

**C**ommoda, vt plurimum, vsi valetudine, occasionem de proximo benè merendi oblatam arripuimus, non oblatam quæsiuimus, & verò pijs conatibus Deus adfuit. Nam ab hæresi ad Ecclesiam traducti sunt centum nonaginta duo. in his viri quidam ab ineunte ætate erroribus imbuti, & in repellenda veritate vsque ad decrepitam senectutem pertinaces. Et adolescens Lutheranis opinionibus miserè excæcatus; hinc iter faciens, ad nostros se eadem via incedentes adiunxit. varijs, vt fit, de religione sermonibus habitis, errores seridò detestatus est, neque dimittere sacerdotem voluit, nisi ab excommunicatione in præsens esset absolutus.

tus. Ergo humi fixis genibus, manibus iunctis, oculisque in terram defixis, cum fidem ex formula Tridentini professus fuisset, quod optavit consecutus est. Anabaptistis duobus, vxori & marito, Catholica fides persuaderi non poterat, licet crebro & diligenter laboratum esset. denique illud obtentum, vt, si quidem obstinato animo se irent perditum, saltem filios saluos esse sinerent. Pueri ergo cum illustri cæremonia in templum inducerentur ad baptismum; ardentibus Deo preces fusæ, vt parentibus quoque gratiam suam largiretur. nec frustra; finita cæremonia, mater, deposito errore, Deo Ecclesiæque reconciliata est. Duobus latronibus perfidi errores erepti, priusquam ipsis vita per supplicium eriperetur; qui quidem mira deinde constantia & patientia, pœnam quantumuis atrocem subierunt. Cum duo è nostris, vt fit, priusquam se solemnibus vincirent votis, stipis emendicandæ gratia emissi fuissent; inciderunt in quosdam alienos à fide Catholica: à quibus cum se eleëmofynam obtenturos desperarent, magnoperè hortari instituerunt, vt saltem sui misererentur, depositoque errore sanam doctrinã admitterent. nec frustra; spem certam dederunt alij: vnus autem ex eo genere, statim in eodem itinere est Deo & Ecclesiæ reconciliatus: actumque cum eodem, vt familiæ suæ, cuius ipse caput erat, salutis auctor esse studeat; quod & facturum se promisit. Difficile quidem, sed tamen felici euentu, certamen habuit Saxo adolescens. is nostrorum hortatu atque institutione, reluctante acriter patre, ad Catholicos se adiunxerat. furere pater, Magistratum opem implorare, verbi Ministros querimonijs crebris defatigare, filium vt saniore mente imbuerent, instare; filius contra æquè diligenter apud Catholicos Magistratus auxilium querere, quorum auctoritate paternus furor re-



pressus fuit, & adolescens in suscepto consilio permansit. Neque defuerunt complures alij adolescentes, hæreticis progeniti parentibus, qui se vltro in nostram disciplinam tradiderint, inopiam patienter tolerantes, cum apud suos lautè viuere possent, si vanam religionem addiscere vellent. Tanquam ad peritos animarum medicos ad nos vndique accurritur confessionis faciendæ causa: neque vlli operam nostram deesse patimur, vbiubi possumus. Certè quo tempore plenariæ Indulgentiæ consequendæ spes est hominibus per hanc diœcesin à Clemente Pontifice clementer ostensa; mirum est, quantam rei benè gerendæ occasionem acceperimus. dies noctesque confitentibus aures datæ, conciones creberrimæ habitæ, supplicationes plurimæ & splendidissimæ institutæ: quæ quidem & Catholicorum animos exhilararunt, atque in fide confirmarunt; hæreticis verò vel ruborem pepererunt, vel admirationem, maximè cum omnia insignia Dominicæ Passionis ordine pulcro præferri conspicerent. Inter reliquos, mulier ad pertinaciam in Lutheri ludo edocta, ita permota est; vt errores illicò abijceret, veritatem complecteretur, Sacramentis pœnitentiæ & Eucharistiæ susceptis cum Deo in gratiam redierit. Haud ita longè ab vrbe hac, sacellum Beatissimæ Virginis in silua positum est: huc è vicinis locis, voti soluendi, vel Numinis placandi causa, itur creberrimè. hoc anno cum aëris inclementiâ agri, vineæ, siluæ magnam passim acciperent cladem; maiores facti sunt ad eandem ædè concursus. Ea occasione, à nobis conciones ad peregrinos habitæ; quarum ea vis fuit, vt Bruxellæ (oppidum id sex horarum itinere Spira abest) trium dierum supplicatio, adnitentibus ciuibus, Reuerendissimique Vicario annuente, instituta fuerit, concurrentibus vndique vicinis pagis; concionesque habi-

habita crebrò, quanto cum fructu, ex morum in melius commutatione, & multitudine eorum, qui confessionis causa adularunt, colligere licuit. Tribus ferè diebus auditi sunt, & sacro epulo refecti septingenti. Parochi tota prouincia concionibus, confessionibus audiendis, doctrina Christiana rudibus tradenda, adiuti. Sacris B.P.N meditationibus, ad vitam pieque sancteque instituendam, exercitati viginti quatuor: in his nobiles viri septem. Ægris & inopibus vel consilio tristitiam absterimus, vel collecta à ditioribus eleëmofyna molestiam minuimus. Neque domi atque in vrbe nos continuimus: charitas, gloriæque Christi amplificandæ cupiditas longius sæpe excurrere coëgit. Wila Imperij oppidum, ad siluam Herciniam est positum. hic Parochus valetudine impeditus, officium præstare non potuit. E nostris quidam substitutus ad tempus, cum alia multa; tum hæc egregia gessit: templum, quod in ipsis Lutheranae pestis inijs exædificatum, necdum solemnè ritu ac cæremonia consecratum fuerat, effecit, vt catholicè dedicaretur. Vsum Sacramenti Confirmationis ad annos 50. intermissum, vt reuocaretur, instituit. mirum dictu! in oppido exiguo, & hæresi contaminato, sexcenti fuerunt, qui piè id Sacramentum susciperent. Wormatiam ter vocati venimus, semper lato magnoque fructu vocantium, & gaudio nostro, tum verò maximè, cum Iubileum, præsentè atque adnitente Episcopo, celebraretur; tanto hominum concursu, tantoque supplicationis ornatu, vt magnam res habuerit admirationem, eo præsertim loco, vbi longus nobilium, splendidorumque hominum precantium, & faces ardentes manibus gestantium ordo, vel rarò, vel nunquam conspectus fuerat. Cœnobium quoddam est Religiosarum feminarum, hæreticis vndique cinctum,



bis huc, rogatu Superiorum, itum, magno omnium fructu. Hoc insigne, mulier erat vna è Religiosis, arrogantiam tumida, quæ obstinato animo imperium Magistræ recusabat, maloque exemplo inter cæteras viuebat, nullisque vel minis, vel monitionibus emendari quiverat. nostri sacerdotis oratione ita victa est, ut modeste se ad pedes Magistræ abijceret, delicti veniam peteret, emendationem promitteret, & reipsa præstaret. Sodalitas Beatissimæ Virginis omni genere virtutum floret quàm maximè. Reliquorum verò etiam discipulorum probitas & diligentia multis ex locis notata est & probata. Alij, parentes ad Sacramentum pœnitentiæ vsurpandum adduxerunt: alij abditas per ludibrium in olere carnes, eo die, quo ijs vesci Christiano homini nefas, indignabundi abiecerunt: alij libros hæreticos exurendos tradiderunt. Qui ante duobus in vrbe templis catechismus, ex nostro instituto, ætati imbecilli tradebatur, hoc anno nostro in templo explicari cœptus est, magno puorum & aduultorum concursu & fructu. Anni tres abiire, ex quo nobis area ad ædificandum templum, à Reuerendo & nobili Capitulo Cathedralis ecclesiæ, attributa fuit, magna bonorum gratulatione; frementibus interim, inuidiaque tabescentibus maleuolis. & quanquam pecuniæ, vnde ædificaretur, præsertim tanto sumptu, nihil omnino erat; res tamen & cœpta, & Deo hominibusque fauentibus, ad finem speratum perducta est. Nam ut primùm percrebuit, magna Reuerendissimi & Illustrissimi Principis voluntate, procerumque auctoritate, Societatis Patres ædem sacram moliri; certatim omnes, ut quisque potuit, operâ, consilio, materiam conuehendo iuuare, difficultates, quæ ab inuidis opponebantur, auctoritate, prudentia, labore disijcere: omnibus denique modis opus vr-

gere atque perficere conati. Magna autem fuit in pecunia danda liberalitas: nam, vt multos præteream, non quia minus liberaliter dederint; sed ne nimis longus texatur catalogus; Reuerendissimus & Illustrissimus Princeps Eberhardus, Episcopus Spirensis, præter elegantis ac rari artificij lacunar, etiam pauimentum polito lapide sterni curauit; præterquam, quòd summam aram faciendam exornandamque munifico sumptu, sibi sumpsit; præterquam, quòd omnem ferè materiam per subditos gratis conuehi mandauit; dedit præterea in ædificationem, bonam pecuniæ summam; vt omnia, quæ à sua Celsitudine donata sunt, accedant ad 4600. & plures florenos. Demum assignauit in singulos annos 34 florenos, ad summam aram factam tectamque conseruandam. Plurimorum aliorum illustris exitit in nos benignitas; ne tamen fiat mentio, instituta breuitas exigit: si quis tamen omnium, quæ liberaliter in hanc rem data sunt, rationem inire voluerit; summam inueniet quindecim millium, octingentorum, & amplius, florenorum. Dedicatum templum est Christo Salvatore, ad XVII. Cal. Oct. solemni cærimonia, læta elegantique symphonia, maximo hominum concursu ingenti que gaudio. Ipse Reuerendissimus & Illustrissimus Princeps noster eo die apud nos cænare voluit: super mensam duplici est carmine exceptus. Postridie, quòd plenior esset cumulatorique lætitia, S. Paulus Apostolus in scena datus publicè est, tanto cum apparatu, actorumque industria & laude, ac vulgi applausu, vt quocunque venires, siue in vrbe, siue foris; hominum sermone per multos dies, rem celebrari ac commendari audires.



*Collegium Fuldense.*

C Onciones ad populum habitæ in vrbe duobus locis : catecheses domi forisq̃ pluribus. Exercitia quibuldã impertita cum fructu. Aditi carceres identidem, & rei tum in vrbe, tum foris adiuti. Foras nostri bis vocati. decem præstò fuere ad rogum vsque prosequendo: duæ quoque ex illis Ecclesiæ restitutæ Catholicæ: aliæ quatuor, licet serò, tandem tamen pœnitentiæ tenuerunt portum. Vnus ne vultum quidem sacerdotis ferre posse videbatur; victus tamen & hæresin, & anteaactæ vitæ noxas apud nostrum deposuit. Euocatus ad pagum vicinum noster, hominem ita furiosum ibi reperit, vt vinculis & custodia opus esset. huic detraxit amuleta chartasq̃e supersticiosas, quas miseri suspenderant ex collo: preces ad Deum fundit, agni cerei effigiem suspendit, & abit. cum ecce post triduum restitutus sanitati, Deo & sacerdoti gratias refundit. Alio item in loco hæretica mulier horribilibus spectris exterrita, à desperatione simul & hæresi liberata. Ad eandem quoque felicitatem deinde traxit parentem & sororem. Memorabile est quod sequitur: Bubulcus sub noctem errabundum pecus iratus, non sine detestatione, coegbat. apparuit ei mox cacodæmon, operam suam offerens, exprobrat pauperiem, opes pollicetur, loculos turgidos ac sonantes ostentat, quibus donandus esset, si consilij acquiescat: prodit eiusdem instituti socios, reluctantem gladio terret, ad fontem vi pertrahit baptizandum (nam hoc ritu venefici huius prouinciæ de more inaugurantur.) turbatum, nec iam compotem sui, cum his mandatis dimittit, vt vxorem per iurgia quæ sita occasione pecoris malè tractati, trucidet. pergit miser pagum

versus, tam diras edens vociferationes, ut procul auditus à paganis, passim ei occurrerent, rei quid gereretur ignari. Cum furiosum aduerterent sibi alijsque periculo futurum, robustissimis ea nocte custodiendus traditur. ita non semel à suspendio, quod moliebatur, liberatus est. Die altera sacerdos noster vocatus adfuit, fidem Catholicam persuasit, munitumque Sacramentis integrè menti restituit & sanitati. Hoc anno centum & quinque ab erroribus ad Catholicæ veritatis asyla traducti: in quibus duo excellere viri nobiles; alter aulicæ vitæ lubrico diu obluçtatus vestigio, post magnas animi fluctuationes, exercitijs spiritualibus ad sui ipsius flexus notitiam, denique ab hæresi respuit. Alterius spectata magis & nobilior fuit conuersio. post aliquot Belgica, & sex continua in equestri militia expeditionis Pannonicæ aduersus communem Christianorum hostem, confecta stiperendia. Hic cum diuina prouidentia Fuldam appulisset, grauiter habere cœpit, ut etiam cum equis longius progredi non posset; ab hæretico hospite missus ad chirurgum Catholicum sanandus: quo cognito, sæpius noster, dissimulato habitu, hominem adiit, ac de virtutum honestate, fugaque & periculis peccatorum apud eum disseruit. Quid multa? animus nequaquam siluestris, culturam admisit, paulatimque Catholicus esse cœpit: denique etiam à confessione sacro viatico, ut pectus ad futuram luctam muniret, eò facilius adductus est, quod in Calviniano pane, nescio quid impietatis auersatum se semper fuisse diceret. Post dies nouem cum plenus fiducia ac salutis spe, piè obdormiuisset; peregrini & nobilis viri funus per D. Virginis Sodales deportari, comitantibus conuictoribus ac studiosis, placuit, quibus se sua sponte, Viceprinceps, Consiliarij, Senatoresque omnes cum clero, etiam maioris



maioris Ecclesiæ ( in qua sepeliendus erat ) & magna ciuium multitudine, iunxerunt : nec sine fructu, funebri concione à nostris cohonestatus est. Quæ res ita placuit fratri defuncti, vt ipse, licet hæreticus, hoc tamen nomine maximas Societati egerit gratias : significarique, admodum sibi placere, quòd in tales homines, tamque humanos, frater moribundus incidisset, vitamque ritu Catholico clausisset. Plurimi etiam ægri egentisque, qui passim in tuguriis hinc abiecti destituti que iacent, nostrorum auxiliis erecti. Pax conciliata inter plures capitali diuturnoque odio dissidentes. Inter hos quidam Catholicæ mulieris maritus hæreticus, adductus est, vt præsentem Patrem nostrum, flexis humi genibus ab honestissima vxore veniam peteret & impetraret. A turpi & flagitiosa vita ad meliorem frugem reuocati vtriusque sexus plusquam viginti. Sodales Parthenij suum in virtute ac litteris tenuere cursum. præter consueta pietatis studia, semel placandæ Dei iræ, ad D. Virginis montem duxere supplicationem, cum magna æris esset intemperies, & grauioribus morbis metuerentur. huic se pompæ Gubernator vrbis, cum aula, alii que honorati, sponte iunxerunt. Seminarium Pontificium & domus conuictorum, non contemnenda nobilis iuuentutis accessione, pietatis etiam & studiorum incremento stetit. numeravit hoc anno 180. adolescentes. Concionum quoque & animarum causa sæpe iterum in pagos, cum aliis tum per eos dies, qui nascentis aut resurgentis Christi solennia præcurrunt festa, magno paganorum bono, reducto etiam Eucharistiæ & pœnitentiæ vsu, vnde pridem exularat. Ad hæc Parochi ægri senesque subleuati, atque ipsi nomine, non vsu Catholico, ad frugem reducti & confessionem. Egregie istic loci operæ fructus constitit, vbi no-

stris pro lecto stramen, pro foco semiruta casa, pro cibo affatim penuria, multis diebus, absente Parocho, fuit. Sacrum epulum sumpserunt, quod ab hominum memoria factum non erat, 369. Ecclesiae redditu vigintitres: ad pœnitentiæ & sacra Synaxis Sacramenta instructi plurimi. Denique tantum nostri sacerdotis desiderium excitatum, prorsus ut eum sibi Parochum relinqui, agricolæ flagitarent Auctum Collegium emptione ædium, quæ horto imminebant; altera sexcentis quinquaginta, altera septingentis florenis: quibus præter seruitutis redemptionem, haud exiguum spatium ad Collegij aream explicandâ, accessit. Denique quod in huius anni clausula felix faustumque toti Provinciæ, & Ecclesiae Fuldensi, bonis omnibus, & huic Collegio nostro euenit, decimonono Decembris Reuerendissimus Princeps, fundator Collegij Balthasar, honori ac pristinae dignitati, qua vigintifex & amplius annis caruerat, restitutus est, Quare cum 8. Augusti iustissimo Cæsaris Rudolphi decreto, lis & causa tota ipsi fuisset adiudicata, & aduersarij grauis æris multâ damnati; mox vndique legatos & nuntios habuit, qui gratulatum accederent, non Principum modò Imperij; sed ex Italia quoque Illustrium Episcoporum & Cardinalium: quibus denique Sanctissimi Domini Nostri præclara testificatio accessit. Denique omnium ordinum consensione, non vulgari pompa; sed rara tamen modestia per quatuor legatos à Serenissimo Archiduce Maximiliano, Imperatoris iussu, Principi restituendo assignatos, suam in urbem sedemque die, qua diximus, honorificè reductus est. Post varios à cæteris ordinibus Principi reduci honores exhibitos, quò ne Societatis IESV gymnasium muneri deesset suo, postridie libellum obtulit poëmatum, quo restitutum patriæ Principem,



pem, vario schemate carminum, gratulabatur. Inde tertio die, in arce Principis comœdiam dedit, præsentibus Legatis, & frequenti nobilitate, de origine constituti Fuldæ monasterij: quæ feliciter acta, tum fundatori, tum Reuerendissimo Abbati ac Principi Hirsfeldensi, maiorem in modum placuit. Denique die S. Stephani ipse Reuerendissimus in templum nostrum, inde in Collegiũ nos salutatũ venit: exceptusque oratione gratulatoria, latino sermone respondit se patronum, & eum in posterum Collegio futurum, qui antehac semper extitisset. Det sospitem ei & longam Deus vitam, vt quæ afflictæ huius erigendæ Ecclesiæ suæ consilia iam animo versat, feliciter expromere aliquando possit.

### *Collegium Heiligenstadianum.*

STUDium in via perfectionis ab omnibus adhibitum, fructus attulit animi iucundos: quod perfecit octiduana commentationum exercitatio, qua nuper vsi omnes & gauisi. Ad externorum salutem conciones festis Dominicisque diebus in æde nostra habitæ, per esuriales dies quadraginta: etiam catechesis, à sex sacerdotibus & duobus scholarum magistris, cum per occupationes licuit, ad viginti pagos est instituta & habita, successu & euentu æquè pueris ac senibus fructuoso. Hominem quemdam deprehendit catechista, qui non modò annis aliquot à sacris omnibus muneribus, temploque abstinerat. sed dæmoni se deuouerat, si vnquam illud ingrederetur. Increpitus primùm à nostro est verbis, deinde manu apprehensus, & in ædem inductus, impium illud votum hac precatone, cum ostium attigisset, irri-

tum fecit : Benè vertat hoc Deus : huc enim non veni à quadriennio. Itum est ad ægrotos, effectumque, vt ægroti oleo sacro inungerentur; quod domesticì vani vana superstitione negligere decreuerant. Carceres labore non pœnitendo inuisi. Feminae cuidam supplicio deuotæ, dæmon cultros laqueosque offerebat, quibus infamiam supplicij spontanea morte præueniret. cessantem carceris & parietum fragore malus suasor perterrebat miseram, & custodes audientes in fugam vertit. Tandem nostri consulti; omnis anteaetæ vitæ peccatis ritè depositis, spectris liberatur, & supplicij quoque, amicorum intercessione, exilij versura soluere rigorem meretur. Simile quiddam furti reo accidit. postridie eius diei, quo quæstionibus subiectus, cum in tenebricoso carcere solus periculum imminens, & cruciatus præteritos animo reputaret; eccè tibi repentè subobscura lux sese infundit, puella non illiberali specie rogat, ecquid miser agat, non se nesciam, quantos pridie dolores sustinuerit, sed acerbiores eum manere postridie: Quibus tamen, inquit, si te vis eripere, en ferrum, quo & vincula pedum discindere, & carceris poteris ianuam effringere. Lætus ferrum rapit, & dum se credit compedes secare, secat colulum. iamque ingenti vulnere guttur hiabat, ipsique spiritus, quæ via patebat, exhibant; cum carceris custos ingressus cibum captiuo præbiturus, recenti perfusum sanguine conspicit. refert ad Magistratum: veniunt chirurgi, & animarum medici. negant illi, fracta gula hominem viuere posse: nostri, quæ curent, vix reperiunt. Nam et si mentis adhuc compos esset, vocis tamen vsum perdiderat, quòd halitus antè per vulnus efflaretur, quàm ad palatum & articulatae vocis officinam perueniret. Indiciis agenda res fuit. Itaque de

fide



fide primùm admonitus maiorum (hæreticus enim erat) de peccatis deinde & emendatione, si viuere possit. Annuit ad omnia, ergo ab hæresi primùm & à peccatis absolutus est. Mandatum tamen custodibus, vt si quando reciperet vsus linguæ, domum nostram confestim significant. Digressis nostris, chirurgi vulnus obligare pergunt; atque ita conclusus spiritus rectà ad palatum fertur. ipse loqui intelligenter cœpit: reuocatur noster sacerdos, & remotis arbitris, hominem periculi admonet. ille, quod monebatur, confitetur: demum etiam post aliquot dies Euchari- stia Sacramento benè munitus, mortis sententiam, magna promissi sui & fidei constantia, sustinuit. Alius ob facinora ad rogam destinatus, priùs ab hæresi, cui insenuerat, & peccatorum sarcina absolutus, ignem tulit leuius. Damnosus alearum lusus è Religiosa quapiam familia, vt in posterum exularet, elaboratum. Hæresin eiur- runt, nostrorum domi forisq̃ue desudante indu- stria, centum quadraginta quinque. Illustris fuit hoc in genere nobilium spectata conuersio, quo- rum alter potentia & generis claritate insignis, ad auitam religionem, ordini equestri amplecten- dam, pulcro præiuit exemplo. Altera, licet huma- no pudore & metu retenta, ad supremam etiam ægritudinem distulerit conuersionem; non tamen priùs viuere desijt, quàm ritu Catholico, à con- fessione corpori Dominico communicaret quin- quagenaria. Vtiliter elaboratum, eo præsertim tem- pore, quo Indulgentiæ plenariæ à Magistratu fa- cta potestas. Conciones ad Parochos Eïsfeldiæ & populum habitæ sunt, vt & illi muneris moneren- tur, hic gratiam non negligeret. Nunquam plures apud nostros animi sordes absterferunt: quidam etiam pellices eiecerunt. Cœnobij cuiusdam Ab-

bas suis Fratribus totius. anteaetæ vitæ suaserat confessionem: & vt id perficere possent omnes, ad Collegium nostrum venit, sacerdotem petiit, & secum auexit. qui suo exemplo in primis, cæteris animum fecit. Ipso sacræ remissionis die circiter septingenti in æde nostra sacro epulo refecti sunt; cum illo & præcedente die, sex sacerdotes assiduè confessionibus audiendis vacarunt. Scholæ adiectu lectionis de Casibus conscientia sunt auctæ. Auxit Societatis æstimationem datum drama de Barlaam & Iosaphat; quod sex horis Reuerendissimi & Illustrissimi Principis nostri legati, magna approbatione, impertæsi spectarunt. Et verò in pietate ardor discipulorum fuit insignis. Beatissimæ Virginis Sodales in templum ausi prodire, & cæteris attonitis, dirissimè flagris in seipsos animaduertere. Quibusdam defuit occasio eiusmodi austeritatis exercendæ. ergo, vt se quoque hostes carnis suæ declararent, domi vndequaque funes collegerunt, quibus noctu prostrato vterentur. Non defuit, qui apud familiam suam efficeret, vt deinceps à carnibus abstineret diebus ab Ecclesia interdictis. eas vt manducarent alieno tempore, quidam ne verberibus quidem adigi potuerunt. Demum consultum rei familiari & quieti domesticorum, tum amicorum liberalitate, tum Reuerendissimi Archiepiscopi nostri munificentia, qui & terminos Collegij accuratius curauit muris firmari, & redditibus 300. dalerorum imperialium in annos singulos.



*Collegium Molshemensē.*

POST diutinam aliquot annorum fortiter toleratam membrorum extenuationem, Sacramentis Confessionis & Eucharistiæ munitus, sacro etiam maturè delibutus oleo, spiritum Deo reddidit Seruatius Ialhea Leodius, 12. Kalend. Aprilis: quem diem quinis antè confessario sibi fore emortualem, edixerat. annum ætatis circiter trigessimum primum, in Societate vndecimum penè exegerat. erat omnino is, qui obedientiæ studio, modestia, morum maturitate, bonum sui apud omnes odorem diffunderet. Reliqui corpore sic satis firmo, animo robustiore, pro se quisque ad rem bene gerendam omne studiū contulerunt. Doctrina Christiana publicis priuatisque sermonibus, omnis ætatis & sexus hominibus tradita. Ex alto scelerum gurgite extracti homines penè desperati: infirmis & afflictis ope corporali iuxta & spiritali subuentum: firmati in extremo certamine morientes. Exulcerati duorum in se præstantium virorum egregiè leniti animi. Restinctæ irarum inter cognatos & affines excitatæ faces. In pias commentationes incubuère tres. annorum aliquot noxas qui deponerent inuenti ducenti: totidem, & plures, qui vniuersæ vitæ collectas apud nostros deponerent. Ab hæresi absoluti vndecim; & inter hos virgo nobilis, cuius conuersio spem parit grandæuæ matris, totiusque familiæ domesticæ ad sanam religionem traducendæ. Reuerendissimo & Illustrissimo D. Cardinali petente, è nostris vnus in Lotharingiam ad D. Nicolai profectus, pro Germanorum, illuc, ob Iubileum à sua Sanctitate concessum, confluentium excipiendis confessionibus. E nostris alter excitus ad cœnobium propter Hagenoam oppi-

dum Imperatorium, quò ipsius Abbatis, Fratrum-  
 que omnium, ad Iubileum demerendum, totius  
 vitæ confessiones exciperet. accessere quàm pluri-  
 mi Abbatis subditi agricolæ. Curriculo in ipsum  
 oppidum transcursum. vixdum sacræ ædi, benè  
 manè insequenti die, aduenterat gressus Pater, cum  
 primariorum vtriusque sexus plures, fama venturi  
 Patris aliquantò antè commoniti, ad perpurgan-  
 dum animum confessionis Sacramento, accurrere.  
 Quæ anno proximo fructuosè inchoata in Schir-  
 meck (arx est, cum pago, vnde tota præfectura Ar-  
 gentinensis Episcopatus denominatur) & pagis  
 subiectis excursio; magnoperè dudum efflagitante  
 nobili Satrapa, hoc continuata: eo nimirum succes-  
 su, vt tam nobilis ipse, quàm filix eius, omnisque  
 domus seriam conscientix rationem inirent, sacra-  
 que confessione aliquoties iterata, & communio-  
 ne percepta, nil ferè, nisi quæ Dei sunt, sapiant, lo-  
 quantur, quærant. Eo nostros amore nobilis com-  
 plectitur, vt potius in liberalitate hospitio nostris  
 præbendo, beneficium in se conferri censeat, quàm  
 conferre. Pagani autem illi eò vsque mutati, vt no-  
 ua vbiq; rerum facies occurrat. templū antè de-  
 sertum penitus, etiam Dominicis festisque diebus,  
 quòd germanicè dicentem Parochum se intellige-  
 re negarent; frequentiam modò vix capit. Ignora-  
 tio rerum indigna admodum ac deploranda, vel ex  
 ore infantium & lactentium in ipsis adultis perfici-  
 tur & senibus. Sacramentorum sanctissimorum  
 Romanus vsus legitimus inductus, vt ad diem om-  
 nibus Sanctis sacrum, non minùs piè, quàm solli-  
 citè, nullo hæctenus vnquam exemplo, sacra illa  
 mysteria, sexaginta supra centum perceperint: ad  
 Christi natalia, 120. anniuersario autem die Chri-  
 sti reuiuiscantis, 750. denique singulis vicibus, vt  
 primùm Patris abitum obseruarunt, in genua pro-  
 fusi



fusi & lachrymas rogarunt, ad se maturare reditum velle Patrem, nec tam diu desertos solatio filios. Isti modò vicinos rusticos in admirationem rapiunt, quòd neque pro more suo veteri, ad singula penè verba, mille dæmones, & alias blasphemias vsurpent amplius; quin potius ad virtutem magno sint incitamento. Multi potius ibidem è certo mortis periculo erepti. Lutherana secta se extulit vnus: à flagitiosa consuetudine remoti quatuor, concubinis vel desertis, vel legitimo toro copulatis. Diris alius conscientia flagellis tortus, ac scelus scelere cumulans, adhibita nostro suasu confessione, in se eam persensit animi serenitatem, vt subtime re se diceret, ne qua fraude dæmonis tanta menti, tamque insperata lætitia oboriretur. Miro euentu vetitis vir quidam cum coniuge diebus carnes estitavit: & mulier altera idem attentavit. huic vsu venit, vt carnes iam admouendæ ignibus, præter morem recenti subito cruore manarint: illi, vt postridie porcus benè pinguis insolito morbo tentaretur, mox emoriturus; sed cõscientia iam tum, olim fortè à nobis catechesi & concionibus restituta, excitante, admissio pridie sceleri attribuentes, voto se, ad præcepta Ecclesiæ integrè seruanda, illicò obstringunt. rem miram! votum vix ediderant cum bestiam suis iam stantem viribus offendunt. Aquæ lustralis vim ipso vsu mirè quidam edocti, dum pabulo infusa prætoris in Walf pago, porcum magia in furorem actum restituit. eius exemplo plures alios etiam suis pecoribus medicinam & salutem attulisse, constat inter omnes loci illius incolas. Cùm Hagenoënsis Senatus, partim Catholicus, partim hæreticus, defuncto. ludimoderatore, ab Argentinensi Rectore hæreticum postulasset & impetrasset successorem; in rabiem & furorè actus, vinculis domandus fuit infelix didascalus. iraque labo-

laboratum, ut antiquæ fidei, ac religionis homo subrogaretur, nequicquam oblectantibus hæreticis. Anno iam præcipitante in Alberstorf, præfectura Metensis Episcopatus, efflagitatu nobilissimi æque ac doctissimi viri, D. de Mallian, nomine Illustrissimi D. Cardinalis Episcopi Argētiſis & Metensis, duo sacerdotes tres hebdomadas laborarūt. Quindecim diuersorum oppidorum ac pagorum incolæ, indies post antemeridianos labores, huc frequentes concurrerunt, ut idiomate & Gallico & Germanico, Christianæ fidei rudimenta imberent, fructu supra temporis rationem, & labores agtorum continuos, maiori, quàm sperare licuisset. Concionibus præterea contra vicinos hæreticos egregiè animati. Diuturna duo dissidebant simultate; sed nostrorum voluntati totam, quantumvis antea pertinaces essent, cesserunt. A lectione librorum hæreticorum prohibiti quàm plurimi: ipsi autem flammis exusti. Absoluti aliquot noxis multorum annorum, superioris vitæ nonnulli. Magistratus pietate, excitatâ plebis, ut templa & altaria inculta, nunc mundissima, & pannis decenter vestire allaboret. Rituales libri comparati: effectum, ut ardenti lychno, Dominico corpori asseruato, die noctuque lumen præluceret. Duobus locis inductus Magistratus, ut erudiendæ iuuentuti à bonis prospiceretur magistris. Actum cum Parochis, ut à nostris inchoatam tradendæ doctrinæ Christianæ rationem continuent ac propagent. Tantum denique omnium animis Societatis incessit amor, ut fuerint singulis locis, qui fluentibus vbertim lacrymis testarentur, sibi nostro reditu nihil fore charius Non inanis denique nostrorum opera in militibus ad frugem reuocandis, & hic intra oppidum, & foris in castris extitit. deterriti à fœdè peierandi licentia alij: alij ad modestiam & pacem cum  
 ciuibus



ciuibus colendam inuitati: complures ad animi sordes ritu Catholico extergendas inducti: Dominicis festisq̄ue diebus ad stationes suas, officij moniti; exhortatio addita de Euangelio. quam operam sibi pergratam accidere multis argumentis ostendunt; partim, quòd vna in statione noster, exhortatione peracta, dum ad aliam pergit, sint, qui aut compendio præuertant, aut clanculum ad eandem stationem adrepant, iteratò dicenda auidis auribus excepturi: partim etiam, quòd nostrorum admonitiones æquissimis animis excipiant. Cùm quidam noster lusui chartarum interueniret, diceretq̄ue magnorum sæpe malorum ansam præbere; assensi sunt omnes, & ij, quorum animus totus erat in lusu. tum noster: Ecquid igitur remoræ, quò minus infelicitatis instrumenta in ignem (aderat enim) immittatis? dixit, partemq̄ue iniecit, admurmurantis spectatoribus, lusoribus ipsis non repugnantibus. alius addidit: Hæc ante horam facta oportuit, tum ego loculos tenuissem nummis turgidos, nunc bona parte inanes ac vacuos. Librorum supellex Canonici cuiusdam Argentinensis 700. florenis licita, testamento nostris est legata. Alius templo centum florenos assignauit: & alia, casulam argenteam. Minutioribus recensendis consulto supersedemus.

### *Collegium Confluentinum.*

**D**edit hic annus tirocinio nostræ Societatis vnũ Scholasticum, & in auxilia corporum vnũ. Vberiore, vt laborum, ita fructuum segetem præbuit, impetratum sub anni finem à Pont. Max. Iubileum, quocirca inde libet oriri. Messem huius anni non iniuria dixeris, is animorum motus, ea multitudo ad nos Sacramentorum causâ cõfluentium

tium fuit. Vix decem sacerdotes (magnus utique numerus in vrbe non magna) omnibus satisfacere; etsi in multam noctem confitentibus aures darent. Numerus eorum, qui totius vitæ errata retexerēt, iniri non potuit. supplicatio præcidanea, ea religione ac modestia à frequentissimo populo obita, vt nostrum plerique parem se vnquam vidisse negarent. Conceptus est hic ardor magna ex parte è concionibus Ecclesiastæ nostri, qui beneficij huius magnitudinem pro suggestu declararat, cum antea frigere multorum animi viderentur. Neque satis visum intra urbem sacrum hunc ignem suscitasse; etiam foras deriuare flammam pro viribus laborauimus. Emissi eam in rem tres sacerdotes: quorum duo in oppido Autouaco, summa cum Curionis ipsius, cui subsidio venerant, tum ciuium gratulatione, confessionibus excipiendis operam dedere; adeò quidem, vt vbi primum in templo conspecti sunt, illicò ad eos certatim aduolarent. Porro iucundissimum his nostris spectaculū præbuere ciues omnes, matronæ, virgines, prælatis Diuorum tutelarium statuis, intereunte musica symphonia: agrestes, item è 14. pagis finitimis, agmine composito, cum eximia pietatis significatione, Numini propitiando urbem obeuntes, more ab annis propè 40. intermisso. Excursum ibidem ad vicinum monasterium, rogatu Abbatis, auditi Religiosi plerique omnes de totius vitæ noxis confitentes. Tertius sacerdos virgines Deo dicatas adiit, itinere tridui; confitentibus tum ipsis, tum familiæ, tum vitis nobilibus, quorum vnus à duobus, à tribus alter milliaribus ea re aduenerat, aures præbuit: firmavit religiosam disciplinam, pijs exhortationibus aduersus hæreticorum vndique circumlatrantium rabiem: reliquias Catholicorum in vicino oppido inuisit, & Sacramētis muniuit. Hæc,

occa-



occasione Iubilei : neque tamen cessatum reliquo  
 anni decursu . Domesticorum ardor in virtutis ac  
 perfectionis studio insignis eluxit. accēderunt eam  
 amplius piæ commentationes ex mandato R. P. N.  
 iteratæ: quæ pluribus etiam alijs, eximio cum fru-  
 ctu, traditæ; vni præ cæteris, qui omnibus frustrâ  
 tentatis, conclamatus iam ac propè depositus, ha-  
 rum ope ad mentem redijt, & cum parente, quem  
 grauissimè offenderat, in gratiam. Conciones pari  
 auditorum concursu fructuque audiuntur: pleri-  
 que expleri nequeunt, de horæ breuitate quiritan-  
 tur. Doctrina Christiana explicata domi, foris. è va-  
 riarum hæresum gurgustijs extracti septem supra  
 triginta: ex his plurimi abiurata palàm hæresi, insi-  
 gui exemplo, iam in socijs errorum, eadem in luce,  
 quam ipsi aspicere cœperunt, reponendis laborant,  
 non irritato conatu. Fuit inter eos mulier honesto  
 loco nata, viro itidem primario matrimonio iun-  
 cta; quæ religionis nostræ rudimenta, de quibus  
 nihil vnquam ne fando quidem audierat, ita auidè  
 hausit, explicante quodam è Fratibus Coadiutori-  
 bus, vt se huc deportari curarit, multis cum lachry-  
 mis hæresin in templo nostro eiurarit: postmodum  
 plena gaudij cælestis redijt, certa vitam profunde-  
 re potius, quàm susceptam religionem proderere. &  
 perstat hætenus, quantum intelleximus, licèt in  
 domo atque vrbe hæresi penitus infecta cum mari-  
 to heretico degat. Altera mulier Hebræa, cum filio-  
 la plus minùs trienni, fidei dogmatibus imbuta,  
 vndis salutaribus expiata, magnam solidæ pietatis  
 & constantiæ spem præbet. Abducti à vita flagitio-  
 sa aliquot; non nemo à nece sibi inferenda: alter à  
 consilio denuò se deuouendi Satanæ, vt sceleratis  
 voluptatibus frueretur; quod iam semel, cōscripto  
 suo sanguine chirographo, fecerat. Firmati ad su-  
 premam luctam, qui scelera capite luituri erant,  
 adita

gistris vti sapius liceat. Adiecta hoc anno tertia expeditio sub natalem diem Christi. Lintium oppidum est ad Rheni ripam, quinque passuum millibus à Confluentibus distans, à multis iam annis Lutherana perfidia collutulatum. Quare obnitente licet Curione Catholico, plurimi tacitum vulnus venis alere, & virus idem, quod infecta vicinia vndique inhalare non desinit, concipere alij. placuit tandem nostrorum opem implorare. Itaque euocatus sacerdos exeunte Decembri, vt animos veluti prætentaret, & solum in proximam paschalem messem subigeret. successit res, præter spem, feliciter. Concionibus, catechesi, familiari congressu conciliati, non tantum qui in Magistratu; sed & alij, qui alieniores putabantur. Quin & collecti velut præliganei fructus, auditi multi, & sacro pane refecti, p'uribus idem de se promittentibus, si sacerdos noster diutiùs ibi cõmoraretur. Ad summam adcò læta fuere præmessia, vt in spem venerimus copiosæ messis. Venio ad scholas, numerus discipulorum solitus: industria, sedulitas & probitas maior solito tuit. Reuerendissimum & Illustrissimum Electorem Moguntinum, cùm Principem nostrum inuiseret, dramate aduentorio exceperunt non sine commendatione spectatorum. Sodalitas Beatissimæ Virginis efflorescit indies, vt etiam fama prolectet viros primarios è vicinis oppidis, & inducat, vt ei nomen dare summè desiderent. Præfectura primùm hoc anno cum externis communicari cœpta, felici initio. Delectus siquidem in Præfectum vir quâ ætate, quâ auctoritate venerabilis ad D. Floriani Canonicus, qui octauo quoque die Sodalium cœtui interesse, inter adolescentes senex iam decrepitus considerare, in commune consulere, minimè alienum à dignitate sua arbitratùs est. Publica in templo nostro



diuerberatio sanctiore hebdomade iam in morem abiit, & augetur in annos singulos numerus. Et illud hoc anno solenne fuit Sodalibus, omnibus Beatissimæ Virginis festis diebus parietes oratorij sui conuestire eleganti stemmate carminum, pietatem iuxta ac eruditionem spirantium. Claudet has litteras pompa celebris, nouo & memorabili exemplo ducta. Pridie eius diei, quo supplicatio indicta erat Iubileo consequendo, alteram Parthenici præcipuam, sibi indixere. Prodibant ex eorum numero grandiores duodecim accincti faccis, manus flagello obarmati: præibat iuuentus vniuersa gymnasij in cohortes & manipulos suos centuriata. Christi patientis insignia seni deni in Angelorum speciem efformati, præferebant. Ita instructo agmine, summa modestia, per urbem mediam, attonita partim plebe spectaculi nouitate, collacrymantibus multis, septem psalmos, quos pœnitentiales vocant, lugubri harmonia modulantes, processere ad Carthusianos primùm extra urbem: inde ad Sanctæ viuificæ Crucis ædem: hinc ad celeberrima quoque urbis templa; in quibus singulis aliquandiu expansis brachiis oratum. tandem in æde nostra, cum acriter in se sæuiissent, finis supplicationi impositus. Illud penè exciderat: non tantùm magnam piarum feminarum turbam; sed & viros summates omnium ordinum plurimos, vt quisque fortè in sacrum hunc cœtum inciderat, aut de eo iam antè quippiam inaudierat; ita se certatim eidem aggregasse. Nec defuere ex iis, qui Sodalium exemplo inflammati, inter eos, qui postridie palàm in seipsos flagris animaduersuri dicebantur, locum postularent; quibus ob templi nostri angustias, & populi concursum, id negare oportuit, vt & Sodalium plurimis idem exposcentibus.

*Collegium Paderbornense.*

**E** Vita decessit P. Henricus Eckelius, annum ætatis agens trigessimumseptimum, in Societate decimumseptimum: vitæ magna caritate & zelo erga proximos, & spectatus singulari patientia in diutinis morborum certaminibus. Vixit hoc ultimo vitæ suæ anno cum fratre, Præposito cuiusdâm monasterij virginum, valetudinis recuperandæ causa. Sed sincerus in eo spiritus Societatis ei potiorem curam salutis animarum, quam sui corporis iniecit. Nam, indies licet valetudine ingravescente, strenuè in conuersionem pagi cœnobio subiecti incubuit: & plures, eosque primarios ad ouile Christi, quâ concionibus, quâ priuatis alloquiis reduxit: resolutam disciplinam monasticam, regulis illius Ordinis reuinxit, Sacramenta ritè obire docuit. Quàm charum habuerint, quamque ægrè dimiserint abeuntem, in finæ obtestationes, lacrymæ, & diuinationes, quòd viuum non essent visuræ, indicarunt. Quartodecimo die postquam à fratre in patriam discessit, magnis animi sui decretis mors intercessit. Antèquam finem viuendi faceret, iucundam ciuitati fecit fabulam. Prope patriam monasterium est monialium. in eo noster sororem habuit; sed vt collapsa per hæresim disciplina ferebat, leuiusculam. monuerat aliàs Pater, vt status ac salutis suæ curam ageret: sed quam verba corrigere viuentis non poterant, morientis facta correxerunt. Nam cum ipsa (aderat enim fortè morituro) inclinasset se ad extrema fratris verba accipienda, vtraque manu fortissimè collum mulieris arripuit, & vanitatis argumentum collare lineum cum irrisu & spreto diffregit: alteraque superbix spoliū sub cervical, vt potuit, recondit.



nunquam dum viueret, restitutus. Valuit exemplum in primis apud sororem, tum etiam aliis admirationi fuit & saluti. Domi ut pro se quisque contenderent obseruatione regularum plurimum acuit collectio spiritualis, mandato R. P. N. in vacationibus suscepta. Studiosorum modestia & pietas indies efflorescit magis. ex iis duo eloquentiæ alumni, Societatis esse voluerunt. Effectum, ut scholæ hæreticæ, iussu Principis, tollerentur è medio. Alia schola est eodem cum nostris tecto, sed non ludimagistro. eò itum quod diebus hoc anno, per semihoram doctrinæ Christianæ inculcandæ gratia. Nobilis quidam puer, morbo oppressus in arcem paternam hæresi maculosam non prius auehi potuit, quàm Rhetor adiungeretur, ut si moriendum foret, saltem in præsentia Catholici animam Deo resignaret. Mater ut periclitantem de vita aduertit, derepentè Prædicantem vocat; adest, blanditur illa, ut saltem audiat. Nil, ille inquit, opus est mihi eius ope: in culinam ducite, & ossa obiecta Cerberum pastum dimittite. Mater post ientaculum obsecrat filium, saltem videre velit. sed supra ætatem fortis & morbum, egregius puer in mandatis dat suo ministro, ut seras omnes & ostia maiori, qua possit, cura clausa conseruet, ne quæ impostor possit irrepere. Inter cæteros eminent studiosos Sodales Parthenij: se aliosque ad virtutem, operibus pœnitentiæ exstimulare, errores dedocere, labores pro aliorum salute suscipere, in lucro ponunt & gaudio spiritali. Hoc consecretantur minores, quibus ab innocentiam & pietatem Angelicæ Sodalitatis nomen obtigit. Penetralem patrum veterum Saxonum D. Vitum ob oculos posuimus, magna spectatorum frequentia, modestia, silentio. Spectauerunt duo Consules vrbs hæretici: quod aliàs nunquam factum meminimus. Ad

fidem

fidem Catholicam conuersi, & Sacramentis catholicè insigniti, viginti. Supra solitum ad conciones plures ventitant. clam palamque moniti auditores, vt hæreticos secum trahant, strenuè id alij, aliis maiore industria factitarunt. Fructus concionum censerì possunt secutæ lacrymæ, correctiones sacrilegiorum, consiliorum petitio. Arcularius quidam nullius potius, quàm certæ religionis, vt qui patrem haberet Lutheranae, fratrem Caluinae sectæ Ministrum; cum audit concionatorem nostrum Calvinum premere, indignabundus concionem iniuriis proscindit & conuictis. hunc Catholici eiusdem tribus infamem esse iusserunt, donec dicta probaret. longas necit moras, promptus cessare potius ab opificio, quàm se sistere; consumere omnia, quàm lucrari. Tandem à tribu compulsus se sistit nostro, pluraque in eandem sententiam vera agnoscit, quæ pro falsis habebat. Molesta veritati libido calumniandi constanter refutata, in cæteris latere didicit, & cedere. Cœpta sunt tradi externis exercitia. Recreauit nos Indulgentia plenaria per Metropolitanum Archiepiscopum Moguntinum à Sum. Pontifice impetrata. viderunt hæretici; publicis tamen calumniis sese abstinuerunt. Multitudo confitentium & communicantium expectationem superauit: plurimi plurium annorum peccata recensuerunt. Huc vsque captiuis solita Societatis officia præstare non licuit nobis per hæreticos: peruenit tandem hoc anno nostrorum pietas; quin vltro Senatus hoc anno nostrum euocauit, qui more Catholico, reum ad mortis sententiam audiendam animaret. Famula quædam hæretica de sacerdotibus ad aram stantibus garriens, & irridens cæremonias, iocosè pandiculabatur, & brachia extendebat. nec impunè: per quæ peccarat membra spasmus, & multorum dierum torpor in-



uadit, maloque suo, & domina monente, tandem discit loqui & sentire de religione nostra sincerius. Excursum saepe, nec creditum, nisi plenis manibus, domum. Confessionis Sacramenta & Eucharistiæ distributa: alij confirmati in fide, alij reducti. Nobilis quidam cum catechistam nostrum audiisset mysteria rosarij auditoribus tradentem, finito sermone adiit, & rogauit sibi soli eadem repeti, aut ad securitatem maiorem in scripto tradi, vt usurpare posset. Vicino in oppido sublata est consuetudo, qua feria secunda Paschæ omnes vno agmine ciues, cum aratris rus petebant, & vniuersos Parochi agros repente vertebat: Parochus contra redeuntibus in scutellis pernas & petasones farciminius coronatos, cum cereuisia largè apponebat. Hoc ad Catholicæ fidei splendorem venustius: euocati nostri à nobili quodam ægrotante, vti sibi perichanti suprema officia præstarent, venerunt nostri itinere septem miliarium, & rem totam ex votis confecerunt. Mortem iam imminens sentiens, petiit sibi ex altari intimi conclauis sui, in quo certis horis quotidie bene diu precari Deum solebat, argenteam adferri crucem: allatam arctissimè tenuit, & piè osculatus est, ad extremum vsque spiritum. Sepeliendus erat in vicino pago hæretico, cum suis maioribus. iusta igitur catholicè, cum Sacro & Vigiliis in arce celebrata. aduolarunt interim Curiones, & verbi Ministri: qui ne nihil fecisse viderentur, pudendum bibendi prælium, tanquam inferias, instituerunt. sed nihil ita studuerunt, quam ne noster funebrem haberet defuncto laudationem. sed interposuit suam auctoritatem, rogatu amicorum, Satrapa prouincialis, Patrique concionem, & Prædicantibus silentium imposuit. Mox illi magis furere, Coadiutorem nostrum inuadere, lucernam, quam ritu Catholico ferebat, abscon-

abscondere, disputare, & nihil turbarum omittere; donec iterum Satrapa silentium & pacem grauioribus interminando pœnas, indiceret. Nec tamen sic stetit imperus ebriosorum. Primarius illorum nostrum sacerdotem cum mandatis aggreditur: præscribit, quid concionari debeat, abstinere à disputatione, sibi officium relinquat. Respondet noster, quoad prius, ipsum nihil posse, nec debere sibi præscribere; se ea, quæ cogitasset, dicturum: & propter ipsum, cæterosque Prædicantes, ne verbum quidem mutaturū. proinde diligenter attenderent, & si quid contra Scripturam audirent, carperent. quoad posterius, non satis intelligere, quid officij nomine significatum velit. Interpretatur ille lucrum quoddam & quæstum, quem sibi cessaturum timebat. Tum noster: Si tantum hoc officium putas, per me habeas licet tuum; nostrum officium ab hoc diuersum est. Funestis in templo declamatis psalmis; noster, nouo & inusitato tali loco & tempore, vestitu sacerdotali, quem secum ex arce conuexerat, ambonem conscendit. Verum ad medium quadrantem tantus clamor & tumultus exoritur, dum propter angustias templi (in quo iam vltra sex hominum millia) excludebantur alij, & fustibus reprimebantur; vt coniunx defuncti, & alia sui luctus oblitæ, concionatorem flere & plangere cœperint. Tandem impetrato silentio, boni eleëmodynarij (sic enim vulgò hic nobilis audiebat) facta recensuit, magna plebis & nobilitatis approbatione. Hoc funus, vt magna nobilium multitudo cohonestauit; ita fuit egregia opportunitas agendi de religione. ac in primis noster hoc impetrauit à Satrapa quodam Catholico, qui nomine Reuerendissimi primas vbique tenebat, vt tempore cœnæ vel prandij, omnibus diebus illis, semper inciperet loqui de confessione. Nec parum sic effectum. In



rabiem hoc anno, quâ fictam, quâ veram prolapsi quàm plurimi. qua in re grata fuit in vulgus opera nostra, dum lenibus asperisque, vbi opus erat, ad modestiam reuocarent.

### *Collegium Monasteriense.*

Omnibus cordi fuit, vt de proximis seu domi, seu foris, benè mererentur. Quod studium vehementius inflammavit sub anni finem R. P. N. cohortatio ad pias commentationes, quæ cum manifesto fructu religiosi feruoris à singulis sunt obitæ. Collecti ab externorum messe manipuli aliquor. Exomologesin de vniuersæ vitæ delictis fecerunt supra 150 præter studiosos, quorum non est habita ratio. Synaxin inierunt Dominica qualibet, ferè 40. celebrioribus paulò diebus ducenti trecentiue: solemnissimis autem 700. circiter: Calendis denique Ianuarij, supra nongentos. quo itein die, vt & Natalitio Saluatoris, oppidanorum tantus numerus ad templum nostrum confluit, vt exclusis discipulis in aulam gymnasij cedendum fuerit, vbi tantisper Genethliacis hymnis operam dederunt, dum Vespertinum in ecclesia officium perageretur. A turpioris vitæ consuetudine partim ad matrimonij honestatem, partim ad seriam pœnitentiam traductæ sunt feminae nouem. Aliæ, cum ab impuris amatoribus modò minis, modò blanditijs grauius appeterentur, perstiterunt inuictæ. Exercitijs spiritualibus exculti nouem, plerique sacerdotes, aut sacerdotij candidari. Fuit in his Ecclesiæ Mindensium designatus in spiritualibus Vicarius: qui, cum mensem & amplius, magno cum pietatis sensu, pijs commentationibus vacasset; quàm grato animo nostram operam agnosceret, nō verbis modò, sed profusis etiam lachrymis discedens testatus est.

est. Aliena, & iniuste patta suis dominis redhibita. Damnatorum librorum ingens numerus aut Collegij carceribus, aut Vulcano traditus. Ad Catholicam rediere cōmunionem, de quibus constat, 16. Reconciliati coniuges; parēs item cum filio, à quo multis annis disfederat. Plures in fide roborati, qui vicinis ex hæreticorum lultris huc prorepere consilij salutaris & Sacramentorum causa. Ex horum numero quidam per multos annos expertes, maluerunt conuijs & sannis impiorū saturari, quam sacrilego panē ē Calvinistica mensa. Nonnulli etiam ad militiam profecti, inter corruptissimos mores fidem nihilominus incorruptam seruauerunt. Mitto ancillas, quæ, quòd illegitimas escas respuerent, ab hæreticis dominis ad orthodoxos transferunt, iniquiore licet pacta mercede. Puella diuturnas passa vexationes ab heris Calvinianis, quotum famulatu illam inopia addixerat; cū sacrorum causa huc excurrisset, persuasa à nostro, vt ne periculo se denuò exponat, offerentibus liberalem opem subleuandæ eius paupertati pijs virginibus. Porrò crescit indies deuotarum virginum numerus & ardor: frequens illis est, inter crebra ieiunia solo pane, & cereuisia tenui vitam tolerare: flagella, cilicia, hispidi nodosique funes, catenule ferreæ, aliaque domandi corporis instrumenta, olim vix fando nota; nunc vsu penè quotidiano sic teruntur, vt difficile sit multarum ardorem intra mediocritatis terminos coercere. Harum frequenti ardore pietatis illectæ complures è vicinis parthenonibus præcipuè nobilitatis, siue sanctimoniales, siue Canonissæ, ad templum nostrum adire cœperunt, quæ expiandæ conscientiæ, quæ salutaris capiendi consilij. Ad reliquam vitam ex instituto professionis suæ rectè degendam, Abbatissa quædam prænobili stirpe, cū ipsa longius excurrere prohibere-



eur; misit de suis fidissimas multis oneratas quaestionibus de conscientia, quas nostris proponeret; & satisfactum ita ad singulas, ut iniectum sit vehementius quaerendi cognoscendique salutaria desiderium. Nec praetereundum hic puerile studium Christianae doctrinae. Triplicem in vrbe catechesin habuimus, vnam in templo nostro ad promiscuam e civitate confluentium puerorum grandiumque turbam, diebus Dominicis. Alteram ibidem feria plerumque sexta ad tercentum capitum gregem e proximo gymnasium cuiusdam externi ludimoderatoris eductum. Tertiam in ludo parociae D. Virginis, inter paruulos puellasque vix a lacte abductos circiter ducentos. cerneret in his maiores animos, quam artus; adeo serios inter se agones certant, pro iucundae, aut rosarii brauii, ut magnam natu maioribus voluptatem praebent, mirantibus in tenella aetate tantam vel discendi alacritatem, vel celeritatem proficiendi. In concionibus summe aedis inter caetera hoc diligenter actum ab Ecclesiaste nostro, ut vanissimi Hunnianae factionis triumpho, qui urbem, finitimasque regiones magnis bombis impleuerant, manifesta veritatis luce coarguerentur. Peperit ea res iucundas auditorum concertationes, ubi discussa mendaciorum nebula, tandem velut in claro lumine Catholicorum disputatorum virtus enituit. Nec rubore tunc solum, sed etiam pecuniâ multati sunt, qui temerarijs sponsionibus thraconicas glorias fulcire connixi fuerant. Erat in pistorio epulo controuersia inter compositores, Num S. Petrus vnquam Romae fuerit? negabat imperitus pistor; assererat pistoris filius, noster non ita pridem discipulus. fuit sponso, ut cado vini temeritatem lueret, qui causa cecidisset. Adie postridie ad Collegiũ adolescens: petit a suo quondam magistro tuendae assertioni firmamenta. Sug-

geritur illi inter alia locus è prima Petri: *Saluat vos Ecclesia, qua est Babylone*; vna cum Doctoris Martini cõmentario. quem locũ vt aduersarius conspexit, audiitque Babylonem Apostolo Romam esse; reiecit primum, voluit detortum effictumque a Papiſtis commentum. at simul productum est Saxonicis vatis glosseina, acclamatum illicò ab omnibus, & Catholico adjudicata victoria. quare mox allato vino, remotisque Cereris poculis, non illa modò Dionysiorum mensa (ea enim tunc agebantur) sed etiam D. Petri cathedra, vt apud eiusmodi ingenia, celebrior effecta est. Itum quandoque à nostris ad domum luctus, obita valetudinaria, solandis instruendisque senio decrepitis; etſi ob causas id officij genus minùs adhuc palam passimque tentare visum est. Ad ægros moribundosque vocati ea solatia præstitimus, quæ decumbentibus alijsque Societatis desiderium relinquerent. Nam & conquisita per pios eleëmofyna clinicorum inopiæ subuentum, & curata defunctis sepultura. Nec minori charitate ijs consultum, qui mali. dæmonis terriculis iniurijsque vexati, crebra à nostris auxilia petierunt. Saluti fuit mulieri ad eludendas hostis artes, cum Sacramentorum vsurpatio, tum asperſionis aquæ lustralis. Adolescens cui nequam spiritus se crebrò spectandum offerebat, adiutus est, appensa ad collum cerea effigie cęlestis Agni, loco superstitionum chartularum, quas certis numeris & figuris inscriptas gerebat. Idem remedium agricolæ quadragenario, qui se à malo genio occupatum credebat, profuit, cum animum prius confessione perpurgasset. Profuit & puerulo, qui & occulta vi subinde in sublime abripiebatur, paulloque post recidebat cum fremitu & sudore. Hælluo absumptâ re familiari, iam & animæ suæ prodigus, horret Sacramenta omnia; & vitam quouis modo abrum-

pere



pere decernit. pertractus aliquando post multas infinitasque preces à pia coniuge ad templum, penè elisas sibi fauces à dæmone ferebat, nisi actutum inde recessisset. Succedunt alia terribilia, quæ desperationem augent: vnica proles fato eripitur, comploduntur singulis ferè noctibus stannæ lance, atque ærei lebetes, tota domus horrendo varioque strepitu concutitur. miser ipse paterfamilias grauissimis vlceribus ac pustulis lecto affigitur: & quia nulla spes à medicis, violētæ necis consilia identidem secum versat. Verùm vxor saniori mente, vbi hūmana deficiunt ad diuina subsidia confugiendum rata; nuncupatis votis pro salute viri, collatisque in pauperes eleëmofynis, vicit tandem iram Numinis: cessant dira spectra, remittit morbus, restitutus sibi, qui suomet iudicio sibimet perditus videbatur. primum à Parocho suo, tum à nostro sacerdote, vtriusque hominis remedia petit & accipit: iamque, nisi per aliquot horas diuinis quotidie intersit, animo suo non satisfacit; multis sæpè cum lachrymis præteritæ vitæ errores incusans, & religiosæ coniugis deprædicans pietatem. Gronningensis femina, quam nequam spiritus triennium infederat, iterato paucarum horarum exorcismo liberata est. Substitit deinde hic ad dies quatuordecim, vt certior recuperatę sanitatis fides constaret; atque interea de religione, atque Christianis moribus instructa, vnà cum marito bis Sacramenta obijt: demum læta securaque ad suos redijt. Venio ad scholas, quæ à clade illa grassantis ante biennium pestilentia, hoc anno denique ad pristinam frequentiam rediere. Auditores numerati supra 800. egregiæ plerique indolis, & è nobilitate non pauci. Ex his dati ludis vicinis magistri, Ecclesijs Curiones siue sacellani sex; Religiosum institutū amplexi tredecim. Ciuibus præeunt plerique

rique pulchro exemplo, & trahunt tum odore virtutis, tum violentis penè persuasionibus, ad accuratorem confitendi rationem, ad aspernandas inconcessas epulas, & Ecclesiasticas sanctiones ex more maiorum ritè obseruandas. Adolescentulus ad mensam parentum cum suspicatus esset, quod gustare cœperat, plus vetito adipe vitiatum, doloris inimi vi lachrymas profundens, magno domesticos stupore defixit. Alius in prædones illapsus, dum excutitur, fortè precatorij globuli rupta chorda dissiliunt. eos dum colligit puer, cæteris in prædam & loculos scrutandos intentis, sciscitanti eorum duci mysteria sacræ corollæ tam dextrè intrepideque exponit, vt auditorem suum attetum primum, postea etiam beneuolum effecerit. Beneuolentiæ indicium fuit, quòd omnibus redditis doctorem rosarij discipulus suus impunè dimitti iussit. Non dissimilis alterius constantia; qui educatus olim apud hæreticos, iamque in alium mutatus, cum autumnalibus ferijs inuiseret suos, fortè celebri propinquorum conuiuio extrahenti sudarium, excidit simul rosarium improuisò, multamque & risus & disputationis materiam præbuit. Aderat Stenfordianæ scholæ Rector inter conuiuas, aderant tutores adolescentis: qui proinde matri viduæ hæreticæque faciliè persuadent, vt Stenfordianis filium recoquendum, in disciplinam tradere constituat. At non æquè faciliè dant verba alumno disciplinæ nostræ. tentatus eius animus variè à Rectore, ab amicis, ab ipsa matre: sed frustra. martem se potius secuturum dicitur, quam vt in Caluini pistrinum se retrudi patiatur. Ita peruicit tandem, vt ad nos remitteretur. Mulier Catholica à filijs ad frequentiorems usum Sacramentorum inducta, agnouit beneficiũ, vt illacrymans diceret: Oporteret nos quidẽ filijs monstrare salutem, nũc autem



paruuli sunt nobis ad salutem duces. Supplicationem solemnem, quæ circumferendæ S. Eucharistiæ quotannis hic, partim per circumiacentem ædi maximæ patentissimum campum, partim per vniuersæ vrbis templa compitaque, institui consuevit; rudem olim parumque cultam ac frequentem, hoc anno, rogatu Cathedralium Canonorum, discipuli nostri ornandam susceperunt. Præferebant pueri Angelico cultu Christi patientis insignia, spargebant flores, florentibus alij fertis coronati tedas ardentes gestabant: accedebat exquisita symphonia, cum instrumentis musicis. operæ fructus fuit, vt miro ex omni ciuitate visendi studio, populus afflueret: neque numerum tantum supplicantium, sed ardorem etiam supplicandi vehementer augeret. Communia hæc omnium; at Partheniorum illa propria: Quibus diebus intemperans multitudo, ventri & Baccho litare solet, illi Virginem temperantiæ matrem impensiori studio sibi colendam duxerunt. Itaque in eius æde, quanto potuit apparatu maximo, Sacrum faciendum curarunt, frequenti multitudo simul ad spectandam, simul ad imitandam pietatem allecta. Per Quadagesimale ieiunium complures obiere templa vrbis præcipua religione: sub Natalitia, Paschalia egregiam operam nauarunt, quam plurimis ad confessionem instruendis impellendisque. Ad eam rem coempti à Sodalitate libelli amplius 500. de modo ritè confitendi; & in familiares distributi, felici euentu. Cerneret parentes à filijs, grandæuos à pupillis duci ad sacerdotis tribunal: sequitur iam non patrem sua proles; sed prolem sua mater, & matrem pater. Matriona quædam accepta à filio suo examinandæ conscientiæ formula, biduum se discussit: tradidit deinde libellum filia. postea duabus ancillis: demum omnes simul breui bis confessæ, refe-

Etæque cælesti pane. Conspicatus hæc paterfamilias, & turpe tibi relinqui arbitratus: Solus ego, inquit, ex domesticis expers gratiæ istius non ero. dixit, & proximo circumcisi Saluatoris die effectum dedit. Alij extremo anno, veniam præteritorum delictorum à parentibus domesticisque petentes, prouolutis in terram genibus, egregium domesticis spectaculum præbuerunt: & excussit res, cuiusdam parenti lachrymas, vt diceret: Ecquid in me vnquam commisisti, fili, tam humili tuâ deprecatione? Vir quidam magnæ apud suos auctoritatis, in Sodalitatem ascriptus, egregiè sustinet pietatis nomen. Rusticano iudicio dum præsidet, si quid offertur salarij, extemplò in circumstantes egenos partitur: eosdem, vt ad quotidiana Sacra vnà secum flexis genibus audienda inducat, officio probè functos, pro templi foribus stipe donat. factum inde, vt frequentata mendicis ecclesia, frequentiores ad rem diuinam etiam diuites allegerit; & iam res in consuetudinem venit. Permouit & ludimagistrum oppidi, vt magnis precibus Parthenium Sodalitium exposceret, impetraretque. Solemne eidem est maioribus festis, spatio trium milliarium ad urbem Monasteriensem, confessionis causa, excurrere. Denique in Deiparæ honorem ita accensus est, vt historiæ versionem Lauretanæ, ad quam arcanis quibusdam stimulis impelli se sensit, ingenti labore aggressus, multisque pro felici operis exitu susceptis votis, tandem perfecerit. Præcipua laus minorum Sodalium fuit, in priuatis cœtibus, ante solennium dierum communionem, primùm ex pio quopiam libello, caput vnum alterumue audire, de auditis conferre, postremò in genua procumbere: osculari alij aliorum pedes, & mutuam offensusarum veniam postulare: flagellantium item agmina nonnunquam in otatoriu suum indu-



inducere, & ante Virginis aram, domandæ carnis studio, acri diuerberatione testari. Ex iisdem quidam parentem suum, qui vigesimum iam annum à Catholica communione abstinebat, crebris sermonibus & argumentis è paruo Canisij Catechismo petitis, sensim ad orthodoxam & frequentiorum orationem inclinavit: ac demum supremo morbo conflictantem, modò per se, modò per amicos & per matrem aggressus, consulto etiam subinde magistro, qua ratione Christo genitorem suum gigneret, & efflagitatis communibus scholæ precibus; persuasit tandem, contra erroneum sibi-los, qui decumbentem subinde visebant; vt confiteri vellet. Accititur ergo Pastor: confitetur æger accuratè, quantum meminisse potuit, de præteritæ vitæ delictis: redit in gratiam cum vicino ciue, à quo multis annis grauissimè dissenserat: percipit Eucharistiam, magna cum significatione pietatis; & ex eo dat sese nonnihil quæri. Rogatus dein ab uxore, num quid remordeat conscientiam infusus communicandi ritus? Nihil omnino, inquit. quin imò, sic fieri debere mihi prorsus persuadeo, & agnosco prioris vitæ errores. Addit post hæc ad liberos salutaria monita, serioque cuique mandat, ne filium istum suæ salutis auctorem auocet à literis; cui tamen olim, ne Sodalitati nomen daret, grauissimis comminationibus interdixerat. Obdormit tandem placidè in Domino, mirantibus multis, qui obstinationem hominis nouerant, mutationem dexteræ Excelsi. Inter hæc non defuere Collegio calumniarum nimbi & tempestates, quæ credulos sollicitosque humanæ diei, à sacris nostris absterrent. sed imperauit tandem ventis & mari Dominus, cuius nomini militamus, factumque est mare tranquillius. Crucem illam Strombergensem à miraculis & clade sua celebrem, nunc

tandem instauratam sacræ sedi restituumus, obducta de nouo laminis argenteis tota crucifixi effigie. Narrauit Pastor eius loci nobis addictissimus, se quidem à resecta cruce multas subiisse cruces, & aliquando præsens discrimen capitis, ob nefarias improborum insidias, adiisse; sed simul sensisse cum tentatione prouentum. Nam pagani, ob negatum Lutheri calicem, à nouo Parocho alienissimi, facti sunt nunc multò æquiores, & magno numero cœperunt adire vnius speciei synaxin. Peregrinorum verò & ardor & multitudo longè non modò proximos annos, sed & hominum memoriam superat. Miles quidam è sacrilega illa turma, violatrice Strombergensis templi, cum extremum spiritum ageret, in finitimo Batauorum præsidio, ingentè fallus est, ex eo tempore, quo sacrilegij socius fuerit, nihil sibi vnquam prosperè cessisse, nec integram obtigisse valetudinem: angique se vehemèter animo, quòd capiendis Iesuitis consensum præbuisset. Declaratum item nouo exemplo, quam inauspicatò solennes quadraginta dierum luctus, in nuptiales conuertantur ludos; quando, quod discipulo ituro ad sororis nuptias, varicinatus est præceptor, euenit. Nam vix expletis ieiuniorum diebus, principio Quadragesimæ lethalis sponsam ipsam iugali thalamo prosternit morbus, lentoque vertentis anni cruciatu tandem necat, tota vicinia mustitante diuinam vindictam. Extitit præterea in nos piorum munificentia. vt mittam varia subsidia alia; pecunia facilè quadringentorum imperialium subleuandæ inopiæ, per amicos accessit. Adauctum præterea sacrum vestiarium casulis duabus ex rubro holoserico, in quarum tergis, alteri Seruatoris, alteri Deiparæ nomen argenteis characteribus, opere autificis infixum. Cortinis item bombycinis duabus. In Dei-



paræ cultum Comitissa Mansfeldica cycladem holsericam dedit, quam vniuersam acu picti meandri vario gemmarum & aureorum filorum ductu pererrant.

### *Missio Ritbergensis.*

**A**D Catholicos adiuncti sunt octodecim varijs locis, perque variam occasionem. traxit nonnullos in morbo, cum defetti à familiaribus viderentur, impensa cura; quodque videbant antiquæ fidei homines esse misericordes, hereticos verò admodum immites. Quidam fessus longa profectio-  
ne, grauitè febricabat, Zuinglianis imbutus erroribus, eratque haud dubiè periturus, nisi Comitissa (vt est miserorum mater amantissima) omni caritate recreasset languentem. is cum fuit paulò validior, obiit in arce propalam Sacramèta. Miles item erat innutritus Lutheranismò, ac castra Sacramentarium secutus, conspicua impietate; quem in primis captum optabant Comites; neque tamen capi priùs potuit, quàm vexatio daret intellectum. Nam cum fortè ex equo elapsus, conquassato corpore referretur in cubiculum; magnoperè Patris præsentiam efflagitare cœpit, tantumque dolere ob anteaactam vitam, crebrò vt profusis lachrymis irrigaret lintea, publiceque fidem sit complexus. Tres item diu obfirmati, caritate nascentis paruuli Iesu tandem liquefacti, receperè fidem. Actum insuper toto propemodum anno cum plurimis de religione; etiam nobilibus sat multis, & suppeditati libri Catholici magno domino, quibus haud modicè delectatum studio prisæ religionis significauit. Neque paucis horis habitus sermo cum principe femina Luthero addictissima de veteri fide, tantumque profuit colloquium, vt nostrorum pro  
sc

se preces publicè expetiuerit, semel iterumque; atque etiam per litteras recentes Societatis preces valdè exoptarit. Ex præfidiarijs cuidam è priuato duello brachium sic erat deformatum, vt exsecari tandem oportuerit in propinquo oppido. quare vità propemodum deplorata, animam Prædicanti permiserat necandam: qui tamen præter frustulum profanæ cœnæ, nihil humanitatis suppeditauit, etsi egeret maximè. hunc igitur Pater adiit, reduxitque in viam, vt transfugij ad Lutheranos valdè pœniteret, percuperetque cum Ecclesia redire in gratiam: curatus deinde eidem commeatus, sumptusque ad vulneris obligationem. Obiitum crebrò in super rus, doctique in mapalibus, pascuis, itineribus homines rudissimi fidem Catholicam. Etiam euocatus noster in Delbrugiam, puellæ opportunam operam impedit, quam parens vicini que obsessam arbitrabantur; eam magis oppressa intestino mœrore miserandum in modum exagitari videbatur. Nam post auditam confessionem, precesque adhibitas in agrestium magno cœtu, ac simul post factam exhortationem, de fraudibus cacodæmonum; cum reditum esset, occurrit postridie gratulabundus pater, affirmavitque multò iam melius valere filiam. In arce item cum peruulgatus morbus plerosque strauisset; magnum ex Patris circumuentis cubilia, visitatione acceperere solatium; vbi quodque captiui neuti quam neglecti, sed persæpè informati ipso in carcere; deque religione, deque morum mutatione: atque etiam è pedore & vinculis erepti; vt in eiusmodi calamitate vnicum plerumque refugium esset ad Patrem: cui tamen cordi magis fuit spiritualium absolutio compedum. & factum aliquando, primarius vt quispiam deditus in custodiam, auro sollicitaret cõsiliu Patris; quod recusatum præcisè; ac nihilominus sic fuit



institutus, valdè vt detestari Lutheranos suos inciperet, rediretq; tandem cum dominis in gratiam. Sed cura religionis pietatisq; in Comitibus præcipua fuit, quâ inuitandis suauiter ad religionem subditis, quâ exemplum optimum Catholicæ virtutis præstando, vt ad litanias etiam, quæ sub noctem ad aram dicebantur, libenter conuenirent, & magno sumptu restauratum vetus sacellum, ornandum curarent. ipse quoque Comes circumiret explorabundus, cur ab oratorio sese abstinerent viliora capita, vrgeretq; apud eos diligenter curam conuersionis: Comitissa autem collecto gynæceo in cubiculum, prælegeret è pio quopiam auctore apposita ad captandas animas. Et factum aliquando, vt cum ex pedibus decumberet Comes, aduocaret Patrem, diceretq;: Da, quæso, operam, ne fallat iste candidatus; sed vrge hominem; nec finem antè monendi facito, quàm fuerit confessus. idq; prorsus ex sententia successit. Vt augustior esset filij baptismus, atque ex more Catholico, qui intermissus hic amplius sexaginta annos fuerat; curauit inuitandû Reuerèdissimum Suffraganeum Monasteriensem, chorumq; symphonicorum: postq; solemne sacrificium decantatum, baptizatus ab Episcopo infantulus fuit, magnis mirisq; argumentis lætitiæ. Et per hanc quoque tam idoneam Episcopi præsentiam, diuersis fuit Sacramentum Confirmationis impensum. Sed quoniam chari erant Deo hi ipsi heroës, probata ipsorum virtus haud leuibus fuit tentationibus. nam supra alias calamitates, cum iam in sacram expeditionè Hungaricam cum legione profectus esset Comes; filiolus adè exoptatus, languere subitò grauissimè cœpit, vt iam vitalis penè calor vix periretetur, & actum omnino putarent. Tum verò generosa mater ad eleëmofynas versa ac cælestem opem,

cura-

curabat longam multamque fieri in sacello orationem. neque id frustra fuit: recalescere enim parvulus, ac reualescere paulò post cœpit, bellè ut valeat in præsentia. Factum etiam aliquando, ut acerbissimi afferrentur è natali ditione nuncij, de hostium irruptionibus; quos cum audijt, hoc aiebat magno animo Comitissa: Dominus dedit, Dominus auferet, Dominus reddere potest. neque inter has curas quicquam de ardenti pietate remissum, præsertim festis paulò celebrioribus: ac præcipuè hebdomada sanctiore, & in Saluatoris natiuitate; quæ, accitis etiam cantoribus, qui iucunda modularentur carmina genethliaca ad præsepe, fuit quoque inimicis fidei grata & accepta, ob insolitam lætitiâ: ac rapuit spectatores propositum tugurium Bethlehemiticum, in quo referebatur specimen humillimæ puerperæ, admirandæque paupertatis Christi Domini incarnati.

### *Collegium Hildeshemensense.*

**S**acro sancta Eucharistiæ & Pœnitentiæ mysteria vsurparunt 2312. Plures quàm 200. vel totius vitæ, vel plurium annorum noxas confessione expiauerunt. Quidam superiorum imperio præpediti, quò minus apud nostros sacerdotes peccatorum sarcinas deponerent, nec tamen alios conscientiarum arbitros, iustissimas ob causas, admittere omnino cogitarunt; pia fraude circumueniunt suos, & occasione rei familiaris procurandæ oblata, prius ad nostrum sacerdotem accelerarunt, à quo leuati, expeditiori postmodum cursu ad cætera exequenda properarunt. Feminæ sex impuritatem vitæ nostrorum hortatu, partim matrimonij honestate, partim emisso castimoniam voto commutarunt. Quædam ab impuro Lutherani Euan-



gelij buccinatore ad flagitium sollicitata, acriter restitit, & omnes libidinosi perductoris artes fortiter elusit. Plures varios suæ pudicitiaë laqueos positos, conuenientibus nostrorum documentis instructæ, feliciter declinauerunt. Inter hos adolescens quidam magno animi robore aduersus dæmonem pugnans, cum ad carnis flagitium ab impudicis sollicitaretur, non solum generoso blandimenta animo reiecit; sed & acerrimo hiemis tempore humi, arena corpori supposita, cubuit. Femina puellam, quam virginalem pudicitiaë florē Deo consecrassē cognorat, in filiam adoptauit, adoptatæque pecuniaë summam ad vsus quotidianos necessariam prolixissimè impertiit. Ex hæreseon cœno, nostrorum industriâ erepti 51. Inter hos erat femina nobili loco nata, quam maritus à nostris olim litteris & pietate instructus, secum huc multis milliaribus eo consilio adduxerat vt hæresin abiuraret. grauitè tulit mendacij spiritus hanc sibi prædam ex faucibus eripi, in primis aduersum nos hospitem, apud quem diuersabantur, cõcitat: deinde alios eiusdem farinaë obrectatores submittit, qui Societatis nomen mendaciis profcinderent; aded vt femina à nobis abalienata, grauitè cum marito, quod ad tam pestiferos homines se adducere decreuisset, expostularet: & vehementer in patriam, sine Sacramentorum vsu, reuertendi vrgeret facultatem. Maritus inexpectatis inimici machinationibus consternatus, illam obtestatur, ne à tam sancto proposito, maleuolorum cõuiciis auerti se patiat. sed repulsam passus, & consilii inops ad Collegium aduolat, periculum exponit, & quid facto opus esset, exquirat. suggestum ei, persuadere vxori conetur, vt vel semel alicui ex nostris loquatur, asseuerando, nihil minus, quàm ad religionem, coactum iri; sed liberrimam quidquid postmodum

dum colliberet, faciendi potestatem fore. Admittit conditionem illa, vnicoque nostri sacerdotis colloquio & sinistra de Societate opinio eliminata, & densa errorum caligo discussa, vt promptam se ad doctrinam Christianam excipiendam obtulerit. informata, confessionisque & sacrae communionis Sacramentis munita, magna cum animi tranquillitate & gaudio reuersa sit. Nec silentio prætereundum, quod eius marito contigit. is cum Berlinum celebre Marchiæ Brandenburgensis oppidum transiret, puellam honesto loco natam obuiam habuit, quam malus dæmon subito corripens, funesto spectaculo volutabat. fit incolarum concursus, diuersis diuersas medelas præscribentibus; quidam porcinas adferri sordes imperat, quibus allatis nares obsessæ oblinunt, confirmantes; breui futurum, vt tetro odore immundus spiritus profligaretur. Noster id conspicatus, & partim miserando spectaculo, partim detestanda superstitione commotus, cum elata voce stuporem hominum & insaniam coarguisset, quam celerrimè se inde proripiens ad itineris comitem (qui Catholicus clam inter hæreticos latitabat, & non ita pridem ex Vrbe reuersus erat) se recepit: Agnoque Dei ab illo petito & accepto, dum concitato gradu ad obsessam rursus properat; ecce tibi repentina correptus torpedine subsistere cogitur, nec prius pedem loco mouere valuit, quam mente ad Deum eleuata ardentibus precibus effudisset, & peccatorum veniam flagitasset. Viribus diuinitus restitutis, quod reliquum erat viæ, alacri cursu perficit, & confertam hominum multitudinem perumpens, vsque ad obsessam penetrat, eiusque capiti, excluso omni metu, Agnum Dei adiuuet. Furere dæmon, vociferari, obsecrare eum, vt lapidem molarem, quem capiti imposuisset, dimoueret; sed non exauditus,



donec puella pristinae valetudini restitueretur. Illud, quoque commemoratione dignum, quod precedenti ætate, in his Saxoniae partibus, non sine miraculo accidit. Tribus miliaribus hinc abest pagus, ad cuius templum reparandum vocati aliquot hæretici opifices; qui cum officinam in quadam cõignatione erigunt, sex circiter Sanctorum statuas in cumulum congestas offendunt. Illi ut Sanctis illuderent, vesperi, priusquam domum abirent, per paria Sanctum Sanctamque combinant, & singula paria diuersis locis collocant, adiectis sermonibus inhonestis & blasphemis. Manè ad opus reuersi, animaduertunt omnes statuas pristino suo loco, ut antea, promiscuè positas. admirantur primò, postea ædituum suspicantur auctorem. itaque stomachantes in iconas rursus inuolant, & ut pridie fecerant, per paria disponunt, in eisdemque angulos deportant: & ne qua fraus fiat, abeuntes templi fores diligentissimè occludunt, & claues penes se retinent. Verùm postera die reueratis foribus, vident omnes in suum locum & ordinem redijisse. itaque obstupefacti rei nouitate, ædituorem recitant, ille Curioni; qui licet studiosè miraculum silencio sopire conatus sit, euidentia tamen facti erupit, & iam in ore propè est omnium. Alterum non minus mirabile: Femina hæresi adhuc infecta, diuino, ut credibile est, instinctu, antiquissimam quandam statuam, priuatis in ædibus venerabatur. hanc proteruus hæreticus aliquando conspiciens, effuso despiciebat risu, & contumeliosis insectabatur verbis; sed iniuriam Deus suæ Sanctæ honore compensauit. nam eadem nocte, tres pulcherrimi flores ex arido pariete per asserum rimas enati, ad imaginis vsque pectus pertinuerunt. vidit non solum materfamilias, sed & irrisor, & quam plurimi alij mortales. Nunc statuam nostram  
elle

esse voluerunt. illam, quantum ex habitu & floribus colligere licuit, (certius enim signū, vetustatis iniuria, sustulit) S. Catharinæ Senensis suspicamur. Reuerēdissimus Archiepiscopus Moguntinus gratiam Iubilei suis impetratam, etiam cum nostris communicavit. De eius valore & præstantia dictum pro concione: a peccatorum confessione Dominico corpori communicarunt 300 Ad solemne Sacrum tanto numero confluerunt, vt stupori essent hæreticis, Catholicis gaudio. Nemo tamen, qui cæremonias rideret, inuentus: quin maiestatem, sua modestia silentioque in eiusmodi rebus insueto, potius comprobavit. Monasterij, cuiusdam virgines fœdè inter se dissidebant, sed per sacerdotis nostri operam cum Deo redierunt in gratiam, paci que pristina sunt restituta. Vsus Sacramentorum inter agrestes frequentior redditus & synce-rior. Coronæ item Deiparæ Virgini recitandæ, or- nandi que templa & altaria consuetudo introdu- cta, vel reuocata. Inter eosdem Iubilei occasione, excitatæ iam emortuæ, penitusque sepultæ proces- siones: & Rogationes, piorū desiderio, ad venera- tionem Ecclesiæ Romanæ sunt restituta. Doctrina Christiana domi foris que notabili fructu tradita: superstitiones, & variæ præstigiæ dæmonū subla- tæ: libri hæretici flammis emendati: magicæ artes dissuasæ & impeditæ: fascinaris & erroneis, consue- tis Ecclesiæ benedictionibus, alijs que remedijs uti- liter subuētum. Scholarum laborem discipulorum alacritas, & iuncta pietate eruditio mitigavit. dati aliquot dialogi ita pij ac venusti, vt etiam hostibus laudationem expresserint. Inter cæteros tamē emi- nent Sodales Parthenii, quorum virtus tum aliàs, tum præcipuè illis diebus eluxit, quibus ad hilari- tatem & turpitudinem grassantur impunius licen- tia cæteri. Ciliciorum, flagellorum, pœnitentiarum



ambitio tanta in nonnullis, vt coërcenda potiùs sit quàm incitanda. Quidam Sodalis morbo admodum molesto diuexatus, certum numerum precum ad aram Deiparæ vouet; reddit, & ita confirmatur, vt sibi valetudinem eam polliceatur perpetuam. Pueri verò ob ætatis imbecillitatem a Sodalitii communione exclusi, fœdus inter se, pœnitentiæ Sacramentum Dominicis festisque diebus obeundi, pepigerunt. Aduersarii multi. nostris enim conatibus non tantùm hæretici, qui nos in publicum charitate proximi extractos, grauissimis conuiciis subinde, & lapidibus exagitare consueuerunt; sed etiam non pauci Catholico insigniti titulo pertinaciter restiterunt, & etiamnum resistunt. Non desunt tamen viri & genere & virtute conspicui, qui Societatem omni beneuolentiæ, humanitatis, & amoris genere complectantur. Quin & S. Agathæ patrociniû sumus experti. Festum erat sanctæ Martyris, quam priuatim, ex antiqua institutione, colunt huius loci incolæ Catholici, & nonnulli cereos ad singulos ferè focos incendunt & consumunt, eo consilio, vt præsidio & Virginis tutela, per totum annum vacet incendio domus. Parentamus & nos, & piæ paremus consuetudini. Insequenti die cum vicina domus Canonici fortuitò inflammaretur, nostra igni vel maximè obnoxia, Numine & vento pro nobis stantibus, salua perstitit ab incendio. Verùm quæ hominum in iis, quæ volunt, credendis celeritas est, aduolant hæretici spectaturi incendium Collegii, prædam expectant, fores aperiri imperant, & irrumpunt. Opletur mox vniuersa Collegii area. primus furor in imagines, quas pauculas interiori portæ affixeramus: in cæteram supellectilem mox inuolaturi, si vel igniculus Collegii tectis aut parietibus adhæsisset. Denuntiatur interim periculum vrbis Consuli, qui licet

licet hæreticus, misso senatu, & oclusis portis ciuitatis, ne quid turbarū, se absente, oriretur, equo vectus Collegium ingreditur, & collectam inibi ciuium multitudinem cohortatur, iuramenti meminisset & fidei, flammam extinguere; prodesse, non nocere, cogitarent: cumque verbis & verberibus ad vnum omnes è Collegio eiecisset, ipse postremò cum benevolentia significatione egressus est. Suam erga Societatem munificentiam & liberalitatem duo declararunt, quorum alter Collegio quinquaginta donauit: alter decem coronatorum censum annuum, quo post obitum fruatur, viuus assignauit.

### *Collegium Embricense.*

**A**nnus hic magnam Sociis lætitiā attulit, in sperato P. Prouincialis, cuius visitatione multis annis carueramus, aduentu: quem fuisse Deo cordi, declarauit per intura viatoribus itinera, aditio abitioque incolumis. Exercitiis spiritualibus exercitati & excitati animi ad placandum Deum, vimque spiritus intendendam. Duo è discipulis adolescentes nomen Societati dederunt; plures idem flagitantes, tum ne parentum animi à nobis abalienarentur, tum vt Philosophia præfidiis se instruerent, dilati. B. P. Ignatii meditationibus ad cœnobiticam vitam suscipiendam tres domi nostræ præculi, omnes è Beatissimæ Virginis Sodalitate. Amici, vt nostram inopiam subleuant, multa & varia vel è remotissimis locis subsidia submiserunt, quibus, licet alii debitos prouentus negarent, liberaliter sanè sustentati sumus. Ingenti porro etiā Reliquiarum thesauro, magno Dei fauore, ditati sumus: capitibus aliquot, multisque alijs offibus è S. Ursulae sodalitate: bona parte corporis  
S. Eu-



S. Eusebij Martyris Romani : ossibus nonnullis S. Cuneræ Virginis & Martyris in Batauia celeberrimæ: nec paruo fragmine capitis S. Leboini Confessoris, quæ fermè omnia Ordinis nostri amantissimus quidam è locis vicinis magno studio comparauit, impetrata etiam Nuncij Apostolici ad Reliquias transferendas facultate. Gymnasium lecta iuuentute atque copiosa (vt in suprema classe nunquam tot fuerint) instructum habuimus, cuius opinio disciplinæ non apud Catholicos modò, sed etiam hæreticos valdè celebratur: ex quibus vir primarius cum filium nobis primùm fermè inuitus, diuque matri reluctans, instituendum tradidisset; eiusque domum deinde reuersi modestiam animaduertisset; non illum solùm, sed quotquot habeat, missurum se dixit; etiamsi omnes Iesuitas fore sciret. Ac fuit pulcrum videre hunc puerum inter hæreticos diebus Veneris non solùm carnes, sed oua etiam recusantem: cumque per vim obtruderentur, clam in vestibus abdentem. Alius itidem liberos suos in nostram disciplinam se traditurum affirmavit, quòd videret bonis adolescentes moribus imbui, & parentum obedientiam doceri. Ex discipulis aliqui erroribus infecti, magistrorum commilitonumque cohortationibus, non multò post Catholicam fidem amplexi, magnos in pietate progressus fecerunt: sæpè cum hæreticis acriter certant: sæpè eorum libros flammis mandant. Vsitatum illis est, carnes diebus vetitis propositas, vbi fuerint, aspernari, puerorum feruorem & religionem multis admirantibus. aliqui à scholis abstracti, nec parentum, nec suorum vllò conatu, vt vel fidem desererent, vel contra religionem facerent, flecti potuerunt. Vicini quoque hæretici, qui ante annos aliquot acerbis edictis dititionis suæ iuuentutem Societatis gymnasijs arcuerant, non paulò  
iam

iam mitiores in nos facti, liberiores suis apud nos studendi copiam faciunt; ipsorumque adeò primores, cum castra ad urbem essent, humaniter Collegium lustrarunt. In renouatione studiorum Tobiaë historia præmiorum distributioni præposita, tantam ciuitati spectandi cupiditatem accendit, ut si placatos hominum animos habere vellemus, necesse fuerit eandem postero die repetere. Sodales Beatissimæ Virginis institutis pœnitentiæ pietatisque operibus cum toto anno strenuè vacarunt, tum quadriduo maximè postremo sacri ieiunij, post absolutas in oratorio preces, maiore, quam vnquam, numero in terga sæuierunt acerrimè. FERIA quinta verò Cœnæ Domini, Doctor Theologus Sodalium, cum lectissimis è Cõgregatione, præbito antè prædio, ipsis seruientibus; pauperum omnium Sodalium pedes abluerunt, data singulis in discessu pecunia; at ciborum instruendorum, lanciumque tergendarum primariæ ciuitatis aliquot virgines sibi vtrò curam depoposcerant. CUM in festo Annunciationis Sodales tum primùm publicassent Pontificiam Indulgentiam, multi externi, ea occasione confessi Eucharistiæ mysteria vsurparunt; ipsi autem horarum aliquot biduo supplicatione facta, sollempne suum magna pietate traduxerunt. Ad ciues concionibus & catechismis vtilitatis aliquid manauit: auditi nostri frequentiam visendâ, nec paruo animorum motu, quem confessiones declararunt. sæpè enim accidit, ut post facta à nobis verba stimulis acti conscientiæ, magno sensu homines peccata sacerdotibus panderent. Multi totius vitæ delicta generali confessione eluerunt, multi complurium annorum noxas deterferunt. CUM quidam per nouennium pudendum scelus suppressisset, nõ ferens silentij tormentum, statuit denique inutilem verecundiam abijcere. at quo die propositum

exequi



exequi parabat, affuit cubanti tentator, moras ne-  
ctens. tum ille se voto confirmans, vmbrae astarte  
lecto vidit, his se verbis appellansem: Valebis ergo  
nunc, quoniam me deserere animum induxisti. nec  
cunctatus iuuenis, sacerdotis genibus allapsus, pa-  
uidam mentem confessionis antidoto tranquilla-  
uit. Magnus è peregrinis, quà prouincialibus, quà  
hæreticorum dominatui subiectis, toto anno fru-  
ctus captus est: quorum crebrò primæ totius vitæ,  
crebrò plurium annorum exomologeses exceptæ,  
præclaram nostris hominibus bene merendi, re-  
cteque in Catholica disciplina instituendi mate-  
riam præbuere. Hæresin aliquot reliquerunt. Elu-  
xit in hoc charitas virorum in coniuges, coniugum  
in maritos, prece & hortatu ad veritatis viam inui-  
cem reducentium. Festa Natiuitatis Domini &  
Resurrectionis maxima pœnitentium multitudi-  
ne, piè traducta sunt. In Paschate etiam, inuitatu  
Parochi, ad primariam parœciam duo sacerdotes  
missi, ita pœnitentium turba obruti fuere, vt mul-  
tos cogerentur dimittere. Supplicationum anni-  
uersariarum pietas creuisse visa & hominum fre-  
quentiâ, & pompæ dignitate; in qua præter pluri-  
mas faces, à Sodalibus maximè, prælatas, multa al-  
batorum paria, qui habitus est pœnitentiam agen-  
tium, processere: in quibus honestæ & teneræ ad-  
erant virgines, nudis pedibus, indutæque cilicijs  
cum magna alacritate ingredientes. quin a primo  
diluculo, continens per supplicationis viam agmè  
omnis generis ciuium, quorum multi sine calceis  
solum premebant, supplicauit. Cilicij modò in ci-  
uitate tantus vsus, vt satisfieri id petentibus non  
possit. Ad ægrotos sæpè vocati nòstri; sed maximè  
propter veneficia pellenda eorum auxilium im-  
ploratum; ad quam rem plurimi Agni distributi,  
non in vrbe modò, sed longè lateque per viciniam.

Cum

Cum à multis milliaribus mulier opis petēde causā venisset; indidem non multò post alia cum marito secuta. ita & alijs è locis alij: quod indicium est, non vanam eorum spem fuisse. per hanc etiam occasionem pœnitētiæ & Communionis Sacramenta sæpè post longum interuallum vsurpantur. Puella, quæ gressu suspenso in templum venerat, statim ab exorcismo ambulauit. Adolescens acerbis doloribus oppressus, membrorumque vsu captus post adhibitum exorcismum conualuit. At in honesta huius ciuitatis vidua illustre Dei beneficium extitit; quæ à pueritia ægro ferè semper corpore, bienio tamen proximo tantis cruciatibus per interualla afflicta fuit, vt summam commiserationem intuētibus commoueret, subindeque iam iamque moritura videretur. Sacerdos noster sæpè sollemnibus Ecclesiæ precibus eam lustrauerat: quibus vehementia quidem tormentorum remittebatur; sed tamen circa præcordia pestis venenata residebat, vt sine dolore acerbissimo cibum de die non posset recipere; vnde perpetuam cogebatur habere *Quadragesimam*. Tentauerat humana cælestiaque remedia pia mulier, quæ potuerat, Sacramentisque assuefacta spem salutis non deponebat: tandem ei suatum, vt in Brabantiam ad sanguinem Domini, qui è sacra quondam hostia miraculo stillans, corporale tinxerat, & nunc maxima religione visitur, peregrinationem susciperet. Vbi ad propinquam urbem loco, qui *Boxtel* appellatur, accessit, votum proposito adiecit; statimque tanta fames eam inuasit, vt cum haud procul templum abesset, tamen sine cibo id adire non posset. Voto exsoluto persanata, Deoque immortales gratias agens, domum reuertit, nec referre propinquis ciuibusque suis magnalia Dei destitit. Miles è vicino hæreticorum præsidio nobis coniugem suam stitit, rogans vt illi

seme-



remedium aduersum obsidentem corpus dæmonem adhiberemus. dum nostri explorant rem diligentius, adhibitis quibusdam sacris ritibus; illa se liberam clamat, iamque se omni dolore releuatam. at non videri nostris credibile: grauer illam, virumque separatim admonent, cauerent fraudem vllam componere: Deum non irrideri. confirmare vir, & cæteri, qui aderant, totum oppidum miserabilem feminæ habitum non semel cum horrore spectasse. Ergo de religione instruitur, confitetur, Eucharistia munitur, domum læta sanaque reuertitur: ac deinde per discipulum, qui oppidum adierat, sospitatem gratulans, cereum sacrum flagitat, vt hostis extrinsecus se infestantis iniuriam repellat. Illustrissimi Principis Consularij magnum erga nos hoc anno studium declararunt. Cùm enim Collegij reditus à grauibus aduersarijs interuertèrentur; suscepto innocentia nostræ patrocinio, nostra nobis reddenda sedulò curarunt. Ciuium quoque & prouinciæ multa erga nos extant officia. Cùm aliquando duo è nostris in proximam urbem profecti essent, dici non potest, quibus amoris humanitatisque indicijs sint à primoribus accepti, vt ægrè ipsis negotii sui expediendi copia fieret. Celebre tum his locis cœnobium virginum nostri inuiserunt; vbi obnixè rogauit Abbatissa, ad instaurandam religionem nostri aliquid opis conferrent, quod pro instituti ratione libenter facturos promiserunt: & eorum alter bis ad virgines concionem habuit, post quam Abbatissa statim confessa, magnopere se affectam illâ ostendit. Et cùm distinctis domicilijs virorum illud, virginumque sit cœnobium; viris omnibus, vno tantum superstite sene, extinctis; discipuli nostri quinque, magno pietatis sensu, instaurare illud incepterunt: euenitque, vt sacro habitu à duobus primis accepto, ea ipsa

ipsa hebdomade senex celeri morte opprimeretur, quasi ad id tantum reseruat, dum noua soboles succederet; quæ in ortu suo grauibus statim antiqui hostis petita insultibus, confirmata per nostros, magno animo in religiosam vocationem incumbit. Instantibus deinde vehementer ipsis, reuersus eodem postea sacerdos noster, vtriusque cœnobij omnium cōfessiones excepit, magnoque fructu sermones de Religione habuit. Extremo tandem anno nato pacis auctore, composita controuersa à Capitulo Societati insecta; quæ annum & amplius agitata, cum iugulum libertatis nostræ peteret, felici demum euentu, propitiato continuis precibus Deo, conquieuit. Magnum ea res bonis omnibus gaudium attulit: quod ita & offensio, quæ totam prouinciam turbauerat, sublata est; & reddita facultas Catholicam fidem vno animo propagandi.

### *Residentia Aquisgranensis.*

**S**Chola in ampliorem & habitationi nostræ contiguam domum est translata hanc & cœmit. & restaurauit Senatus; dein Principes, Prælati, atque vtriusque ordinis viri primarij vitreis speculatis, quorum æstimatio est 400. dalerorum, exornarunt. Ad veterem iuuentutem, hac ætate centeni amplius accessere; inter quos Barones, illustres, & nobiles multi: cæteri ferè omnes primatum è vicinis oppidis liberi. Allecti quoque ciuium non Catholicorum filij iam primò; sed quinq; tantum: nec mirum id est tam paucos ad id induci posse, si pertinaciam hæresis cum ciuili odij acerbitate iunctam spectes: quam augent etiam hæreticorum aliorum successus, & si quis veritatem respiciat; irrisus, & cōtumelia; quæ etiam caussa fuerunt, cur



sex tantum ad religionem Catholicam sint traducti. Dedit specimen sui nostra iuuentus primò, in area scholarum data Tragœdia Petro Apostolo, coram Cæsareis legatis : secundò, in foro ad Caroli Magni, data Naboth Iezraëlita. Adiecta est ad duas Grammaticæ scholas, Humanitatis classis, habita à M. Humanitatis luculenta oratione, honorifica præmiorum distributione, præsentibus magna benevolentia significatione, sibi que gratulantibus, ædis primariae clero, & senatu vniuerso. Magna etiam nostræ disciplinae apud diuersæ religionis homines existimatio fuit. nam cum multis cum matrona Lutherana agerët, ne ad scholas nostras filium mitteret, & suam operam ad eum erudiendum promitterent ; permouere eam non potuerunt; & quærentibus, tam tenacis propositi causam reddidit : Cupere se filium rectè institui. E studiosis nostris alter Franciscanae familiae, alter Religiosorum Regularium institutum est amplexus. Larga ab Reuerendissimo Electore Colonienfi est assignata eleëmofyna ; indies etiam varijs donis, hæreticorum quoque, crescit domestica & templi supellex. In proximos hæc ferè profecta sunt: Magistratui in grauibus rebus sæpè consilia salutaria data: restitutiones rerum iniuste partarum factæ: & multis in futurum cautum: & quorundam ereptus error, putantium ciuilibus legibus, quibus annui census permittuntur, etiam vsuras concedi. Nonnulli dissidètes reconciliati. Quædam feminae perditæ vitæ ad frugem reductæ: superstitiones abolitæ: fluctuâtes in fide confirmati. Templis reuerentia, & festis diebus suus cultus per nos restitutus: libri hæreticorum sublatis. In supplicatione, quæ hîc maximo hominum concursu, Dominico corpori celebrando, frequentatur; nostra iuuentus, nouo exemplo, arma passionis Domini-

cæ, maxima omnium approbatione, prætulērunt. Nec defuerunt aduersa ad cautelam. Sparsus in nos libellus magnorum criminum: occultus accusator; sed nec apud iniquos etiam fidē inuenit. Sparsa etiam alia, & multis obfutura fabula, ad aures Christianissimi Regis peruenit; nostrum scilicet concionatorem pro suggestu Regis matrimonium proscidisse, & adulterinum pronunciaſſe. Sed nostram innocentiam omnium ordinum publica testimonia protexerunt, quibus & sua adiunxerunt Cōmissarij Cæsaris: nec hic tantum, ubi nulla fuit, malignam famam, sed etiam in aula Regia compresserunt. Magistratus in nos egregia est voluntas, & in nobis defendendis alacritas. auxit enim apud vulgus opinionem Societatis Commissariorum Cæsaris, vltimo die, quo causas Proscriptorum definerūt, nobiscum familiaritas, Quod cum alijs primarijs, cœnam ipsi ad nos adferri curarint, simul cœnarint; maximè verò Serenissimi Coadiutoris Coloniensis & Leodiensis: qui mox vt urbem ingressus est, vespertino crepusculo cum tota aula ad nos venit, omnibus mirantibus, præsertim cū sequenti die abiturus esset, & plurimis negotijs interpellaretur.

### *Residentia Erfordiensis.*

Sacerdotes duo, qui Erfurti degunt, pro loci ratione, consuetis nostræ Societatis muneribus occupati, concionando, catechismum in schola docendo, Sacramenta Confessionis & Eucharistiæ administrando, infirmos inuisendo, similibusque Christianæ pietatis officijs, tam extra, quàm intra muros, proximis saluti & ædificationi esse studuerunt. nec sine fructu, accedente præsertim tempore plenariæ Indulgentiæ, quæ magna Catholicorum



deuotione & externa solemnitate, à nullo vnquam hîc visa, celebrata fuit. Ad quas vt melius præpararentur, quid opus factu sit, edocti sunt, non solum in publicis concionibus sæculares, sed in varijs vrbis cœnobijs religiosi viri, & virgines, quarum nonnullarum confessiones postmodum exceptæ. Erat vna ex Religiosis, quæ collectis vestibus sæcularibus, ac reculis quibusdam suis, planè decreuerat propositum deserere; sed deprehensa, clandestinum molitur egressum: & adedò obfirmata pluribus diebus perstitit, vt nullorum etiam grauissimorum virorum auctoritate & hortatione flecteretur. Rogatur & noster sacerdos, vt eam conueniat. adit, colloquitur. eadem hora ad eius pedes procidens confitetur, petit tridui deliberationem ad decernendum, an omnino manere velit. docetur, qua ratione instituenda sit hæc deliberatio: eaque tam facta feliciter, vt ab eo tempore valdè sibi gratuletur de vita religiosa. Absoluti ab hæresi 15. Communicantium numerus auctior potius, quam diminutus. Ex remotioribus etiam locis Academiarum hæreticarum, Sacramentorum gratia huc ad nos venerunt discipuli pauculi illic latitantes. Amicorum erga nostros liberalitatem & amorem, præter aliorum beneficia, docuit testamentum quoddam viduæ non opulentæ, quæ adedò suis parcebat bonis, vt alijs famularetur. à qua tamen maior, quam 300. dalerorum pretio ad nos peruenit æstimata hereditas. Hæc amicum quendam nostrum scripserat heredem, sed illo animo, vt quicquid ad eum veniret, daret in vsum nostrorū Patrum: aliter enim non licebat. Spectata igitur egregiè illius amici pro nostris est cura & amor, dum multorum inuidias sustinuit & obloquia; lites etiam coram Magistratu suscipere fuit coactus ad adeundā hereditatem.

*Residentia Altenensis.*

**Æ** Grè admodum potuerunt nostri stationem suam hoc anno tueri, tam diuersi eos exceperè casus. Lactarat Comes mercatores spe stabiliendi tandem aliquando exercitij Catholici: crebrè erant ad ipsum, eum in finem, decretæ supplicationes; adhibitæ etiam intercessoriæ Cæsareæ Maiestatis, Serenissimi Electoris Colonienſis, & duorum Comitum Orientalis Frisiæ, & Petri Ernesti Mansfeldiaci: quibus postmodum accesserunt Serenissimi Regis Daniæ, atque vtriusque Electoris Moguntini ac Treuirensis ad eundem litteræ. neque intermissa varia dona. Summa, omnia humana & diuina media tentata, vt omnino considerent mercatores se voti compotes fore. Verum secus euenit. infregerunt media omnia, turbulenta Calvinistarum consilia: qui cum prouum in nos Comitum animum cernerent, eò tandem ipsum perpulere, vt iniquissimas leges præscriberet, quibus orthodoxam religionem suo in Comitatu se toleraturum affirmaret: proſcriberet verò ex eo prorsus omnem Societatem, quam pertinaciter nimis aliorum saluti, maximè autem teneræ iuuenturis, insidiari arbitrabatur: quamque, etsi toto penè orbe sparsam, nihilominus tam arcto nexu copulatam aiebat, vt vbi-cumque locorum fixerit pedem, iunctis viribus tota simul in aduersarios suos ire videatur. Percellebat hæc sententia Comitum grauiumè amicorum nostrorum animos; quippe qui non aliòs vitæ suæ duces, & liberorum suorum magistros vellent, quàm Societatis homines. quos si obrinere non possent, nihil vltèrius vrgendum censebant. Proinde ardentius Deo supplicatum, mixtæ cum precibus lachrymæ: neque diu dilatatum auxilium. Insecuta no-



Ète, cùm poſtridie de ſolo vertendo cogitaremus, adeò immutatur Comes, vt reſciſſis prioribus conditionibus, æ quiores ſecum conciperet: quibus & Societatem admittebat, relicta ei libertate exercendarum ſuarum functionum, & faciebat poteſtatem mercatoribus coëmendæ commodæ areæ, in qua domum excitarent, vſibus noſtris aptam, qua perpetuò fruèrentur, ſi viam modumque inuenirent obtinendi ſaltem dimidii debiti Hiſpanici: ſi minùs, ſexennio libertas illa hac vice definiretur; quo elapſo penes ipſos ius maneret noui contractus ineundi, vel, ſi id nollent, diuendendi tam loci, quàm domus in eo ædificatæ. Cùm has conditiones vni è mercatoribus, quem vltro ad ſe idcirco euocarar, offerret, aſſerebat, totam noctem ſe in ſomnè duxiſſe, variis que cogitationũ fluctibus defatigatum, eò quòd difficiliorem ſe Catholicorum petitioni præſtitiffet. Vnde & præſens Dei auxiliũ æſtimauimus, in cuius manu ſit cor Regis, & quàm inania ſint conſilia contra Altiffimum ſuſcepta. Nam ferè ſub idem tempus, quo omnes quaſi agmine factò, in nos mendaciorum folles exspirant Caluiniſtæ, fortiùs pedem nos Comitum ſententia figere iuſſit. Extimulauit ſucceſſus Caluini aſſectas, vt & ſuæ perfidiæ ſynagogam exigent Altenæ, nobis, vt ſperant, exitialem. Vſi fuere in eo negotio perficiendo adminiſtro quodam Caluiniano, quem, vt fama fert, fratres ſui Weſaliani rude donarunt, quòd in dicendo vehementior perſtrixiffet eos, qui audito nomine Ieſu aliquid reuerentiæ ei detuliſſent capitis denudatione. Acerba illis mors accidit cuiuſdam mercatoris, qui repentina phreſi ereptus, multarum machinationum ſecum traxit euerſionem. Sed & Lutherani è vicina vrbe iſdem bellum indixerunt, vt nobis tantisper ad ſalutem Catholicorum inducias polliceamur.

Laboratum præterito anno præcipuè in sede nostra tuenda, aliquantulum tamè etiam auxilii aliis tributum. Sex ciurata hæresi, in fidem Catholicam ierunt: 50. supra 100. sacro epulo refecti: à confessionibus seruitum plurimis, quorum nonnulli è remotis admodum locis ad 30. vel 40. milliaria aduolarunt. Transibat hac Comes quidam destinatus in has partes Legatus Imperatorius; qui cum Hamburgi intellexisset, habere Societatem domicilium Altenæ, tantam se inde lætitiâ percepisse fassus est, ac si pretiosum aliquem thesaurum in medio luti reperisset. ab eo enim tempore, quo Praga abiisset, aiebat, se nunquam reperire potuisse locum, in quo òperam religioni dedisset. nunc diuinitus oblatum, eo præsertim tempore, quo Christiano memoria Christi patiētis cordi esse debeat. Itaque confessione peracta, cum tota aula templum nostrum ingressus, omnibus hæreticis & Catholicis stupore defixis, corpori Dominico communicauit. Ipsum templum referebat illi speluncam, quæ triduo Dominicum corpus excipiebat, non tam peristromatum ornatu, quàm positu & structura sua. Exhibuit idem Bethleëniticum tugurium pueris ad id confluentibus festis natalitijs; quorum gaudia vt augeremus, instituumus breuem dialogum: interlocutores eramus nos ipsi, quia deerant discipuli, quibus id muneris demandarem. Referebat Iosephum Frater, qui suauiter cantillans varia munuscula, saccarum, nuces & poma, pueris elargiebatur. inter diuersas diuersi idiomatis odas, inter strepebat testudo, quam nobilis pictor Polonus scitè pulsans, simulq; ad numeros ore modulans, mirum, quàm paruulos oblectarit. Ornauit idem, altare pulcherrima imagine Deiparæ Virginis, cuius latera claudunt Societatis nostræ fundator B. P. Ignatius, & primus Iaponiæ Apostolus Fran-



iscus Xauerius. Puerulus IESVS ex vlnis matris pendens, rosam nomine suo insignem supplicanti porrigit Ignatio. Locupletavit alius templum argenteo calice. Alius, vt à Comite nobis factam potestatem ædificandę domus intellexit; 300. in fabricam assignauit. Vicina monasteria, ad quę subinde officij causa excursum, promiserunt lignorum affatim. Bibliotheca creuit tomis D. Augustini, Cæsaris Baronij, & P. Soarez; quos quidam ex Hispania submisit. Aliunde paupertati domestica prospectum largis eleëmofynis. Et Collegium Funchalēse in insula Madera, benè de nobis meruit, quod in vsus sacrificij subministravit vasculum nobilissimi vini. Pergo ad alia: erant duo fratres Lusitani Catholici, qui natos sibi tres filiolos, nobis per baptismum regenerandos detulerunt: quorum innocuas animas cum ad se euocasset Deus, eorundem sancta corpuscula post mortē repulerant à se Prædicantes Lutherani, hoc solo nomine indigna iudicantes honesta sepultura, quòd ritu Catholico baptizati fuissent. Mittuntur proinde ad matricem, vt vbi animabus ipsorum aditus in cælum patefactus, ibidem & corporibus locus quietis recluderetur. Excipimus tam insontes exuuias, easque sub pomo in horto, eo quo par erat, honore recondimus, pollinctore Fratre nostro, rei familiaris curatore. Prodierunt in funus Catholici, & proscrip-  
tas hinc ab annis iam 70. cæremonias restituerunt. Pœnituit postea barbatos tabulas tantę seueritatis, cum sibi vitio verti viderent etiã à suis, quòd in sepulturã infantum consentirent, quos materna viscera exanimis effudissent, expertes omnino lauacri regenerationis, eamque & consueto cantu atque aris campani compulsionatione prosequerentur. Longè dispari fortuna Anabaptista quidam auctus prole fuit, quam cum sacrilegè sacris vndis  
ringi

tingi vellet, & iure ciuitatis Hamburgensis, & cælestis Ierusalem secum priuauit. Cum enim fidem Catholicam, quam ante annum Altenæ edoctus erat, impiè deseruisset; coactus etiam fuit à senatu, ciuitatem cum suis deserere, vlciscente inconstantiam hominis irato ipso Numine.

## PROVINCIA AVSTRIÆ.



Vodecim supra quadringentos Socij, duodecim Collegia, duas Missiones, quinque Residètijs, & vnam Domum Probationis inhabitant; Viennense nimirum Collegium vnus & quadraginta: Græcense nonaginta: Pragensense triginta quinque: Oloinucense triginta tres: Sellienſe ſedecim: Crumliquièſe quindecim: Commotouienſe octodecim: Nouodomèſe viginti quinque: Labacense quatuordecim: Glacense duodecim: Claudiopolitanum quinque: Albenſe tres: Iudenburgenſem Miſſionem tres, Brumouianam duo, Miſtadienſem quinque, S. Bernardi totidem, Lincenſem tres: Domum denique Probationis Brunenſem ſeptuaginta tres: præter P. Prouincialem cum ſocio Vita ſuncti toto hoc anno 15. in horum locum 37. aſſcripti.

*Collegium Viennense.*

H Abuit hoc anno Collegium Viennense quadraginta ſex perſonas de Societate: quorum quinque S. Bernardus. Ex horum numero ſacerdotes fuerunt viginti & vnus: ex his ſeptem cum quinque Fratribus partim humaniorum litterarum, partim ſanctæ Theologiæ & Philoſophiæ ſunt profeſſores. 7. auditores Philoſophiæ: cæteri rei familiaris



Sacramentum accesserunt: sua etiam non raro corpuscula cilicij, & alij vitæ incommoditatibus pro Christo piè susceptis, afflicti sunt. Vnus aliquis eorum qui nostras frequentant scholas, grauem accipiens plagam nullo suo merito, non post multos dies fato concessurus erat: quod cum satis intelligeret, medicum animæ accersit, ei que semel, sæpius, iterumque vitæ crimina aperit, & curat quantum in se est diligenter, ne quispiam suorum iniuriæ memor, nefarium hominem persequatur. Ad spiritualem profectum cuique nostrum plurimum attulerunt, ex præscripto R.P.N. Generalis suscepta exercitia, quibus sese omnes excoluerunt magno, vt speramus, fructu. Ad eadem admissi alumni quinque: ex quibus tres sacris initiati; quatuorque externi eandem animæ culturâ subiuerunt; quorum vnus diris inquietudinis stimulis vexatus, præsentissimum à diuina bonitate lumen sibi affulsisse, est expertus. Concionatorum labor varijs etiam in officijs, non solum erudiendis populis, verum etiam pueris Christianæ veritatis præceptis imbuendis, carceribus visitandis, calamitosis operâ & consilio subleuâdis, fructuosè collocatus est. Declaratũ id Paschali tempore, quo circiter 5000. S. Eucharistiæ Sacramentum perceperunt, 67. hæresin eiurantes, S. Ecclesiæ gremio restituti sunt. Opportunè laboratum est ab vno è nostris, qui Reuerendissimi D. Andreæ Monostai Vespri-miensis Episcopi postridie morituri, confessionem excepit: nam ille Polonio, vbi Viennam iam iam moriturus venisset, vni ad se è Patribus euocato (huius enim tantum rei gratia venerat) quid in animo gereret, aperuit; se ab incunte ætate Societatis discipulum extitisse, atque idcirco etiam animam in manus eiusdem deponere velle. Ergo, inquit, totius vitæ confessionem facere, sacro Eucharistiæ cibo

cibo refici, & Extrema vnctione adiuuari percipio, vt crastina die ad superos trãseam. Nec fefellit cum opinio: nam Sacramentis munitus, è vita discessit. Non minùs opportunè laborauit alter, qui quinque aut sex infirmorum desperatæ valetudinis confessionem excepit, quos pristinæ sanitati non multò post restitutos vidit. Opportunè laborauit tertius, qui moriturum à desperatione ad spè salutis reuocauit. Sacerdos enim quidam, ingenti corporis animique ægritudine, nulla confessione vicinis Parochis perisapè facta, tranquillitatem mentis impetrare potuit: tali ergo in æstu desperationis constitutus eger, Actum est (inquit) mecum, nisi Viennæ Societatis sacerdos (sacerdotem quem nunquam vidisset aut nosset, nuncupabat) medicinam dolori meo faciat. Postera igitur luce Viennam venit, Patrem accersiri iubet, venientem amplectitur. Ego, inquit, R. P. ad reddendam confessionem huc accessi: in propinquo enim eram, vt desperarem. Amanter ægrum Pater complexus, ad totius vitæ confessionem faciendam hortatur: qua peracta, Eucharistia reficitur, & tranquillitas quaesita affuit. Postero die de facultatibus disponit, partem earum pauperibus, partim alijs ex iure; animam verò seque Deo testamento reliquit. Alijs vel inuitis animæ medicamentum in salutem datum est. Primarius vir aliquis, qui alias nostris non solitus erat confiteri, difficillimo implicitus morbo, Patrem è nostris accersiuit vnum ex omologesis faciendæ causa; rem tamen quotidie differt. interea sæuit morbus, & vnà cum ægro corpore, languor animæ. Pater qui iugulum animæ à dæmone nefario peti videbat, ad viuandum ægrum se accingit; à lectulo nõ recedit, hortatur, orat, vrget, vsque dum victus & confiteatur & communicet. & mox moritur. Haud leuius cum alio est certatum, affixus il-



se iacebat lecto, totis 15. annis à Sacramento absti-  
nens, ipso semet negligente. honesta quædam mu-  
lier clam ægro sacerdotem accersit. aduolat ille, ac  
enim æger nouitate medici offendi incipit; inte-  
rim dum à confessariò patiens præluditur; quid sa-  
cerdos velit, expectat ægrotus: atque vbi confessio-  
nis nomen auditit, omnino reuuit: vbi verò vrge-  
retur, inquit, Confessionem non instituiam . tum,  
Quid ita? Pater. Quoniã, inquit, tempestiuum non  
est. cui sacerdos, Quãdo tandẽ putas tempestiuum  
vt sit? Cras, inquit ille: quod valdè periculosum vi-  
debatur sacerdoti. agit ergo vt expugnet animum  
illius: præit verbis, sequitur æger, vix sentiendo se  
confessionem quam abhorrebat, reddere. tum Pa-  
ter, Satis habeo, inquit, plurã non requiro. Ille verò  
magna animi voluptate, suum à se medicum di-  
mittit, confestimque à morbo recreatur, & postri-  
die iterata confessione, domi suæ communicat.  
Quo tempore Valonum copiæ in Hungariam de-  
scenderunt, Viennæ quatrimum subistite: varij  
per exercitum sparsi erant ægroti; pars ad Danubij  
littus, pars in ipsis castris. ad quos iuuandos profe-  
cti duo, qui diligenter negotium salutis curandæ  
egerunt, eleëmofynis succurrerunt, & xenodo-  
chium illis impetrarunt. Consultè secum miles  
egit. nam quamuis rogatus recusaret, finit se tamen  
à sententiã auelli, ac confitetur tanta cum vi lacry-  
marum, vt eius voluptatis portio in confessarium  
redundaret. In eodem genere quibusdam alijs est  
occursum, qui timore seu pudore integritatem fla-  
gitiosè violarunt. Quidam enim dum integritatis  
seruandæ monetur, sese nihil commoueri finit, do-  
nec ad confessionem totius vitæ generalem facien-  
dam sceletum conscientia conuictus impellitur.  
Eandem viam salutis alij plerique sunt secuti,  
quam similiter deseruerant. Sed quiddam euenit  
mira-

mirabile testibus firmatum. Mutus adolescēs, iam octodecim natus annos, Martinus nomine, vsum linguæ amiserat à 13. annis: nocte S. Nicolao sacra, priusquam cubitum iret, nescio quid de laudibus S. Nicolai herum suum disserentem audit, seque ante somnum Deo & S. Nicolao commendat. Ecce tibi media nocte dormienti muto, puer in somnis lucidus apparet, Martinum inelamat, manum iacentis arripit, & erigit. experrēctus adolescens, collucentem puerum intuetur sibi poculum aureum quod manu gestabat, porrigentem, ex eoque vt biberet imperantem: cui Martinus prima fronte non obtemperat, sed paulò post, comitate pueri. adhortantis vt biberet, atque etiam cogētis, victus paruit. cui puer: Martine (inquit) iura vt quamprimum ad confessionem eas, atque imposterum diligenter ores ac deuotè. his dictis disparuit. Gaudio simul & metu peresus Martinus, capere somnos non potest nisi tardissimè; prima verò luce surgens, iussa & patrata domino suo lingua soluta enunciat, mandata demum addit sibi data, cuncta ordine & distinctè prosequitur. mutum suū herus miratus vna nocte compositè loqui didicisse, nostro confessario sistit: confessarius autem confessionem distinctam excipit, & absolutionem impertit. Licuit videre adolescentes fidei causa acerbè, apud hæreticos agentes, accipi, ad carnes edendas diebus prohibitis, adigi, non tamen vinci, sed fortiter resistendo vincere. licuit etiam videre puellas virginitatem Deo consecrare; & quanta vis esset Reliquiarum. Nam Agnum Dei virgo nobilis nubilisq; Catholico ritu ex collo gestabat eo tempore quo ab adolescente nobili in matrimonium petebatur: cum autem vtriusque in alterum grauis esset animorum propensio, adolescens religionem Catholicam tentandam suscepit. Quam ego (inquit)



quit) te in amicitiam coniugalem exopto, vnum in te si excipio; Papisticam enim te, & supersticiosam cerno, quod nescio quid amuleti ex collo tecum circumferas, atque ideo meus abs te non parum abhorret animus. Hoc ictu labefactata virgo, veritate ne nuptijs excideret; Religionis, inquit, malo iacturam, quam tui amoris: & vt cernas me hoc non ficto dicere animo, en proijcio Agnum, facessat religio, facessat amuletum, vt mutuus noster inter nos viuat amor. & Agnum proijcit in sinum. Serò autem, cum tenebræ incubuissent, virginem videndi, vbi iaceret, Agnum, ardor inuadit. videt illa luminis instar Agnum collucere. ancillæ prodigium matrique narrat; à quibus idem vt visum fuit, omnes vno consilio descenderunt ad Agnum religiosè colligendum, quem muliebris leuitas per contemptum abiecerat: qui collectus ad pristinam suam redijt formam, & sacræ reliquiæ loco conseruari cœpit. Virgo etiã pristinæ religioni qua se abdicarat, restituta est, sponsus verò nefarius è pectore virginis eiectus & nuptiis exclusus. Tandem vim sanctarum Reliquiarum & alia quædam mulier est experta: cui, cum longo tempore à dæmone vexaretur; & ad manus sibi inferendas impelleretur; vnus è nostris Patribus, certas è collo Reliquias gestandas tradit, & sagittæ formam ex stanno factam, quæ cranium S. Sebastiani attigerat, in vasculum ex quo bibere mulier consueuerat, conici iubet. ex quo cum bibisset illa, & alias è collo suspensas haberet Reliquias, his veluti diuinis medicamentis, corporis animique pariter, Diuorum beneficijs & meritis, sanitatem est consecuta. Quædam alia huc annumerari possunt, quæ superioribus addenda fuerant. Inter duos nobiles, grauis quædam controuersia, quæ secum religionis non exiguum detrimentum inducere videbatur, felici exitu composita

posita est. Vnius ægroti peccatorum confessio excepta, eidem sanitatem corporis & animæ attulit. Matriona quædam extincto vteri sui fœtu, videbatur vitam redditura, nisi voti ad B. V. nuncupati, cingulique quod vocant S. Petri, præsentis numine liberata fuisset. Multi generosi generosæque præstita sibi Societatis consueta officia, tam in peregrinationibus quàm in alijs Sacramentis administrandis, gratissima habuerunt, non sine virtutis & promptitudinis nostrorum hominum commédatione. Quin etiam non ita rari fuerunt, qui à pernicioso vescendarum carniū diebus vetitis vsu abducti. Inimicitia graues vsque ad decimum annum extractæ inter primos nostræ ciuitatis ciues, rescissæ sũnt: quorum vnus decem integris annis Sacramentorum vsu se priuauerat, qui vbi ad pristinam reductus est amicitiam, singulari sensu pietatis, tot annis neglecta Sacramenta vsurpauit, Deoque se reconciliauit.

### *Residentia Lincensis.*

**A** State iam elapsa, Patres nostri ex arce, vbi hactenus habitauerunt, commigrarunt in angustam quandam domum, & prius spectantem ad Capellanum Sanctissimæ Trinitatis, assignatam deinde Societati nostræ à Serenissimo Archiduce Matthea. Quæ commigratio vbi fautoribus & amicis nostrorum innotuit, inopiam eorum varia suppellectile & rebus ad sustentationem necessarijs subleuarunt. Multo plures hoc anno quàm superiore, exceptæ confessiones, ex quibus præter reconciliatorum Ecclesiæ Catholicæ, fuerunt generales magni momenti quindecim. In Ecclesiæ verò gremium redierunt circiter triginta: ex quorum numero fuerunt septem, qui seditionis contra Magistratum,



tum, religionis potissimum causa excitata, quasi antesignani & duces habebantur. Horum duo extremo affiendi supplicio, ac diuidendi in quatuor partes, prior septuagenarius, rusticorum seditiosorum, ante quinquennium, Cæsar dictus, & exinde hucusque in custodia detentus, pertinaciter in hæresi perseuerans, tandem triduo antè supplicij diem, veritatis lumen admisit, fideique professione edita, ac sumpta Eucharistia, eius tremendo mysterio reuerenter interfuit. In ipso supplicij theatro medio in foro erecto, vnicum illud questus fuit; non citius se ad fidem Catholicam conuersum fuisse, quò diutius in ea Deo seruire licuisset; elataque voce veniam à circumstantibus deprecatus; hortatus est ad præstandam obedientiam Deo & Magistratui. Nec minori ædificatione atque animi fortitudine idem supplicij genus ob simile delictum in nupera seditione patratum tulit, oriundus Neuburgo ex iuniori Palatinatu, & Latinis ac Græcis literis mediocriter instructus, qui decima quarta die ante mortem in Ecclesiæ sinum se recepit. Atque ubi iam certò cognouit sibi ex decreto iudicis propediem moriendum esse, miti tamen supplicij genere; non solum lætatus est animo vehementer, sed etiam Catholicam se amplecti velle religionem asseueravit. Dictum, factum. Placuit deinde Magistratui, vt illum comitaretur Pater noster ad locum supplicij distitum aliquot miliaribus. Ægris, quantum occasio eius loci tulit, auxilio nostri fuerunt. Illustris D. Capitaneus Ioannes Lobl, postquam tribus penè mensibus ante obitum, accepta prius institutione, horas aliquot ac summam diligētiam in reddenda totius vitæ ratione posuerat; omnibus communitus Sacramentis, relicto insignis patientiæ in acerbissimis doloribus exemplo, nec non data terrenarum rerum veri contemptus, zeliq̄ue ma-

ximi religionis Catholicæ ac pietatis significatio-  
 ne, suaviter in Domino requieuit. Vt filiulus Patri-  
 bus Societatis in litteris & religione instituendus  
 tradatur, serè ac seuerè ordinauit. Debitū quod-  
 dam adhuc in contentione positum quidem, sed  
 liquidum satis, decem millium aureorum partim  
 Residētia nostræ Lincensi, partim hospitali paupe-  
 rum in Greinburg dono assignauit. Iussu Serenissi-  
 mi Matthiæ Archiducis traditum est nostris dere-  
 lictum templum Minoritarum, iam pridem in ma-  
 nibus quasi hæreticorum existens, adeò vt Domi-  
 ni Prouinciales curauerint valuis eiusdem sua insi-  
 gnia appingi, & in fronte describi, *Verbum Domini  
 manet in ætèrnum*. Aliquoties excursus est ad cœ-  
 nobium D. Floriani, habitæq; à nostro Patre con-  
 ciones cum fructu & motione subditorum ad Ca-  
 tholicam religionem. Idem præstitum est in Grein-  
 burg Conuersationibus nostrorum mansuetiores  
 fiunt hæretici, vt iam non vsque adeò à Catholica  
 religione abhorreant, imò vltro nonnulli nostro-  
 rum colloquia expetunt, & ad ea inuitant. Biblio-  
 polæ fatentur, nunquam se plures libros Catholi-  
 corum vendidisse quàm proximè præteritis nun-  
 dinis autumnalibus. Indiebus Rogationum duplo  
 plures quàm superiore anno, supplicationibus in-  
 terfuerunt; maior etiam frequentia in processione  
 Corporis Christi visa est. Ex insolita hominum  
 multitudine, comitantium processionem institu-  
 tam contra Turcas, plurimùm fuerunt consternati  
 hæretici; adeò vt non pauci prospectantes ex fene-  
 stris in hæc verba proruperint, Ecce quantam iam  
 turbam Iesuitæ seduxerūt! Cùm iubileum hic pro-  
 mulgatum esset, & à prandio conferretur Sacra-  
 mētum Confirmationis; admiratus fuit valdè Re-  
 uerendissimus Episcopus Suffraganeus Passauien-  
 sis, & pro miraculo se habere affirmavit, in hac ci-  
 uitate



uitate hæreticâ tot reperiri, qui iubilæi se participes fecerint, & confirmandos se exhibuerint; inter quos fuere senes vtriusque sexus 50. 60. 70. annorum. Senatus ciuitatis reformatus est hoc anno nonnihil; quinque in senatum assumpti Catholici, & cum plures idonei non inuenti sunt, feruentioribus Lutheranis exclusis, substituti sunt tepidiores & sedatiores Lutherani Sicque factum est; vt cum cæteræ ciuitates superioris Austriæ, vnanimiter subscriberet supplici libello ad Cæsarem pro restituendis sibi Prædicantibus, & Augustana Confessione, solum Lincium, quæ Metropolis prouinciæ est, subscribere noluerit. Attestantibus duobus Parochis, maximus sit fructus in superiori Austria, ex euulgatis Tomis opusculorum P. Georgij Scherer, adeo vt scribant se aliquot centenas animas vltra mille ex ijs conuertisse, hortenturque bonum Patrem vt pergat plura in lucem dare. Quidam mechanicus postquam varias prouincias peragrauerat, Lincium appulit, & compunctus ex concione Patris nostri, eodem vespere cum dormitum concederet, rogauit Deum obnixè, vt sibi nocte illa reuelare dignaretur, quinam veri ac legitimi essent sacerdotes seu concionatores, Calviniani an Lutherani, aut Papistæ. Deus exaudit hominis simplicitatem, & facit ei in somnio apparere multos sacerdotes celebrantes Missam, & hostias eleuantes in templo Concludit idcirco manè, Papistas veros esse sacerdotes, & continuò renunciat Lutheranismi, confitetur peccata sua, Eucharistia reficitur. Contractus aliquot vsurarij rescissi, edoctique sunt contractores quid de perceptis faciendum vsuris. Nec desunt hoc loco nostris persecutiones; dum à non paucis patiuntur calumnias & opprobria, quæ æquo ferunt nostri animo, ac bona pro malis precantur & rependunt. Illud accidit memorabile,

cùm nostri & Cæsaris, & Archiducis, & Nuncij Apostolici, & Administratoris Passaviensis tum voluntate tum auctoritate Lincij versarentur, & conciones è suggestu Parochiali habere iussi essent. habuissentque biennium nemine contrastrepente vnquam; ecce instante Pascha proximo, tempore comitorum ac celeberrimarum nundinarum, Dominico die pleno congregato auditorio, iam iam pedem in primo gradu suggestus figentem concionatorem nostrum præcedens Curio à tergo aggreditur, & manu retrahēs, his eum verbis affatur: Non tuum sed meum est hîc concionari. Ad quæ concionator noster admirabundus & tacens abscedit. Ille furore quasi percitus, multa pro concione effudit, quasi nullius planè auctoritate Lincium venissent, & suggestum occupassent. Facto temerario intellectu, citatur Passaviium Decanus, sed fuga sibi consulit: Patri nostro & Domini Nuncij, & Archiducis Matthiæ iussu redditur cathedra, daturque illi potestas denuo à Domino Nuncio, non solùm Lincij, sed etiam vbiuis locorum per totam Germaniam concionandi cum adiecta pœna excommunicationis, si quis eum hoc in munere ausus fuerit impedire. Sic bonus Decanus non Patrem nostrum, sed seipsum, non solùm à suggestu, sed à tota parochia etiam & Decanatu amouit; conuersaque fuit confusio quæ intentabatur, in gloriam & honorem nostræ Societatis. Reuerendissimus Episcopus Herbipolensis, recordatus libelli cuiusdam à Patre Scherer quondam editi, quo propugnabatur Reformatio Franconiæ contra Prædicantē quendam eam impugnantē, misit dono Lincium ad eundem Patrē pulcherrimum calicē, Principis liberalitate & memoria dignum. Ad aptandum suprâ dictum templum vsui & instituto Societatis nostræ, boni quidam amici contulerunt



lerunt statim certam pecuniam, & ad vestiendum chorum in domestico sacello, & fabricanda sedilia, Vicedominus dedit necessaria. Quædam matrona tria vestiuit altaria, & ciuis quidam dedit pulchrum antependium: alijque suum beneuolum erga Societatem nostram affectum subministrandis munusculis subinde testantur ac demonstrant.

### *Collegium Græcense.*

**C**ollegium hoc cùm hæctenus sexaginta, plurimum 70. Socios aluisset, præsentis anno 98. habere cœpit. Quatuor vitam, vt bene ominamur, æternam beatamque postremis laboribus occuparunt: Patres duo, tertius Philosophiæ nouus adhuc tiro fuit. antequam emigrarēt, votis piè repetitis, omnibus etiam ad securè & hilariter obeundum Sacramentis sunt communiti. Primus verò, qui inter hos præcessit, erat P. Ioannes Hazeur vir 30. circiter annos natus, quorum decem in Societate nostra, quâ Theologiæ studio, quâ Poëseos & Rhetoricæ professione (quo in posteriore munere vitæ finem fecit) cum Superiorum approbatione alacriter constanterque absoluit. Vir animi candore, morum integritate, domesticis pariter & externis amatus. Hunc secutus est 6. die Ianuarij P. Cosmas Nicolai, annis plurimis eloquentiam publicè cum laude professus: & non paucis proximorum saluti concionibus habendis, & confessionibus indefessus se impendit. Obibat pauperū nosocomia; quos conquisitis eleëmofynis subleuabat magno spiritu, inibi que dum eorum animos contractis culpis expiaret, & opportunis alloquijs iuuaret, patientiam tolerantiamque suam exhauriendis fœtoribus exercebat. Domos etiam ægro-

rum civium, eo quoque tempore, quo lues pestifera grassabatur, ita sollicitè procurabat, vt neminem spirituali auxilio non interdium, non noctu destitueret, sed omnibus ad mortem dignè Christiano excipiendam fides auctor præiret. Quibus studijs tantopere sibi, cum aliorum, tum maximè egentium voluntates inclinavit, vt humati etiamnum ossibus sæpè sæpius non sine suspirijs tristiquè illius extincti memoria lustralem aquam inspergerent, beneque mortuo precarentur. Tertius cui parentauimus, erat Paulus Alatzkay iuuenis eo ingenio, ea spe, qualem in Societatis Scholastico requireres. Hic in Hungaria præter diligētiam in informanda literis iuuentute probatam, zelum etiam animarum concionando non vulgare ostendit, cum festis diebus celo siue miti, siue tempestuoso, & magnis vt plurimum imbribus & niuibus infesto, per agros prataque sæpè ad medium crus aquis ex imbre collectis stagnantia vada transire coactus, non minus leucam ab oppido itabat, & subditos nostros ab hæresi ad aurum religionis cultum alliciebat. Animam iam proximè redditurus, cum Deo, cum Virgine Matre, Diuis Societatis tutelaribus sermocinationem Religioso congruam coram binis sacerdotibus instituit. Percurrit deinde vniuersa Redemptoris nostri mysteria, eaque omnia veluti in vnum collecta fascem æterno Patri pro occultis apertisque delictis obtulit, & spei plenus ad Christum cui seruierat, demigrauit. Postremus elatus est Stephanus Haumannus, qui cum in medio Philosophiæ curriculo viribus defecisset, opinione celerius è viuorum numero religiosa morte ablati est. Kalendis Ianuarijs Serenissimi Archiduces Ferdinandus & Maria mater, Caroli, huius Collegij primi fundatoris munificentia non contenti, comprobata illius in nos voluntate &

immu-



immunitatibus stabilitis; nouis, certioribus, & ad durationem firmioribus redditibus priuilegijsque auxerunt, quæ tanto numero vetera post se relinquunt, vt integræ fundationi alij satis esse possint. Quam ad rem cum ex Superiorum arbitrio in triclinio adessemus, & summa esset omnium expectatio, ingressi sunt Principes, & vniuersis nobis, vt consueuerunt, humanissimè salutatis processerunt apertis capitibus ad eum locum in quo grandiores Patres constiterunt. Ibi Ferdinandus de suo in Societate amore, in hunc modum est præfatus: Se diu multumque desiderasse, Collegij fundationem à Serenissimis parentibus constitutam augere & locupletare. Cuius rei cum sibi Deus Optimus Maximus magno animi sui gaudio & voluptate fecisset copiam, vt voluntati suæ obsequatur, Collegio se Millestadiensis monasterij dominia, & iura, pluraque alia elargiri, quæ literis præsentibus continerentur. Protulit deinde duplices tabulas in quibus (vt quam maximè Societati cautum esset) ea omnia diligenter conscripta & perpetuis monumentis comprehensa fuerant, cum bullis argenteis graui pondere, Austriaco emblemate impresso pendentibus, easque strenæ loco in manus R. P. Rectoris deposuit: qui deinde, vt par erat, pro tam inaudita in nos munificentia, totius Societatis nomine grates in hanc sententiam habuit: Serenissime Princeps, tanta Serenitatis vestræ ac Serenissimorum parentum in Societatem nostram extant merita, vt iis referendis impares simus; hoc solum possumus, vt ea grata, fideli ac perpetua memoria custodiamus, ijs frugaliter ac piè, ad Dei gloriam, ad Serenitatum vestrarum obsequium, subditorum salutem ac nostram necessitatem vtamur, & assiduis precibus ac sacrificijs Deum propitium ac benignum Serenitatibus vestris reddamus. Cui cum Se-

ienissimus Princeps respondisset, se id probè nosse, neque velle istis finibus suam in nos beneficentiam concludere; incredibili Archiducum & nostrorum lætitia & congratulatione discessum est. Digni profectò Principes, quorum memoria nunquam cogitationibus precibusque nostris intermoriatur, cum præsertim, ut in nos ita benigni esse possent, fortissimè illis contra rerum suarum procuratores dimicandum fuerit. Trigesima prima dies Julij, quæ glorioso B. P. N. Ignatij ad Divos transitu memorabilis est, solemnis hic esse cœpit: plerique omnes sanctissimis Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentis, præmissa etiam corporis diuerberatione publica, & alijs spiritualibus gaudijs, & gratis B. Ignatij recordationi sponte susceptis afflictionibus, ad dulcissimi parentis memoriam sanctius recolendam & exprimendam, in se animum præpararunt. Res diuina in sacello domestico cum organis, & vocibus musicis cum maiestate peracta. Triclinium totum peristromatis & varij generis carminibus excultum fuit. Dies porro illa tanta animorum alacritate transijt, ut B. Ignatium singulorum cogitationibus interesse facile quiuis intelligeret. Ad anni exitum cum orta contra Societatem tempestas R. P. N. Generalem ad communem Sociorum opem implorandam excitasset; is omnium, in communi salute propugnanda ardor eluxit, ut esset nemo, qui Societatis incolumitatē sibi quam maximè cordi esse, per consueta in tali casu Societatis perfugia non declararet. Obtinuit proinde exercitiorū spiritualium vsus tūc temporis in omnibus. Accessit etiam vetus calamitas, & Christianis ceruicibus iam sæpè imminens orientis Tyrannus Turca, qui expugnata Alba regia, ingentem vicinis partibus terrorem infudit. Quapropter ad vsitata his locis piorum arma, quadraginta videlicet



ceterarum periodos precibus continuandas, quæ  
 iterum atque iterum constitutæ fuerunt, tam à  
 populo quam à Principibus concursus est, magna  
 frequentia & religione, ut argumento esse possit,  
 Deum tam enixis suorum votis inclinatum, insa-  
 no illius furori frænum ne longius sæuiret, inieci-  
 se. Conciones ab utroque Ecclesiaste habitæ toto  
 anno acres, maiore etiam quàm solitum fuit, audi-  
 torum auiditate numeroque: quibus & perfectum,  
 ut peccata multis annis tacita, rite sacra confessio-  
 ne expiarentur. confessionem & sacram commu-  
 nionem tanta multitudo frequentavit, quantam  
 prospicere animo poteritis, qui intra vnus alte-  
 rius hebdomadis interuallum ab vnico dumtaxat  
 sacerdote septuaginta supra mille absolutos,  
 culpis intellexerit. Generalium etiam confessio-  
 num numerus magnus. Imminebat proximè futu-  
 rus dies Circumcisionis Dominicæ, quo omnibus  
 Societatis templa rite ineuntibus, delictorum ve-  
 nia, summa cum Indulgentia proposita est. Hac ut  
 frui possent quidam studiosus antea leuioris vitæ, &  
 simul nouo inchoante anno, nouam etiam vitæ  
 rationem ingrederetur, magna cura & sollicitudi-  
 ne, in omnia præteritæ ætatis facta inquirat, ut ea  
 sacerdoti abolenda proponeret. Hæc dum agit, ex  
 improviso lethali correptus egritudine de vita cœ-  
 pit periclitari. Quare salutis spæ deposita confes-  
 sarium accersit; cartas in quas memoriæ causa erra-  
 ta retulerat, per nostrum è pluteo tradi sibi iubet.  
 confitetur: tandem ubi frequenti gemitu & accen-  
 so cordis dolore Deum peccatis suis placauisset, in  
 Epiphaniæ peruigilio munus seipsum cum Magis  
 regibus infanti Christo oblaturus è viuis abiit. Ex-  
 cursus est hebdomada sancta ad castellum, ad pa-  
 gos, tertio ab hinc milliario, celebrata cum appro-  
 batione proximorum diuina officia: habitæ ad po-  
 pulum

pulum cum alijs de rebus, tum verò de Eucharistico pane salubriter vsurpando piæ cohortationes. & Paschalibus festis animæ lustratæ plus minùs trecentæ; inter quas non pauca totius vitæ virus eiecerunt, ad alios etiam, qui propter legitima impedimenta commune templum adire non poterant, sacra synaxis delata. Plebecula hæc agrestis rudis admodum est & inculta, semel dumtaxat per annum confiteri docta: quo fit vt sacerdotes plurimum molestiæ in excipiendis eorum confessionibus tolerare opus sit. Compositæ ibidem animorum discordiæ, subditi dominorū gratiæ, à qua domesticis dissidijs exciderant, restituti: egentibus subsidia liberaliter procurata. Corporis Christi supplicationis festiuitas è nostro templo institutæ, omnes præteritas frequentia, splendore, pietate superauit. Hominum multitudinem explicatam, cum vrbs ambitus non reciperet, (quod hætenus nunquam visum fuerat) vrbe egressum est: armato milite latera viarum præcingente. & quamquam & venti & imbræ tantam pietatem affligerint, populus tamen vniuersus, ipsique Archiduces nudis capitibus primò puluerem copiosum, deinde imbrem etiam pro SS. Sacramenti honore, libenter exceperunt. Fides Catholica in ducentis amplius de nouo hominibus effloruit. Ex his duo Barones cum sæpè multumque cum nostris de religione contulissent, & à veritate quidem expugnati, sub Ecclesiæ fideique iugum raperentur; hominum tamen iudicia, sermonesque, & inueterata erroris vis, ne quod cernerent verum sequerentur, retinebant. Vicit tamen cælestis doctrina, & secundum veritatem sententiam pronunciauit; ambo itaque hæresi, ex præscripto Tridètinæ Synodi eiurata, maiorū se doctrinæ sacramento obligarunt. Ex his alter, cum religionem susceptam Christiāna vita confirmasset, in eos etiam,



etiam, quos in famulatu occupabat, studium conuertit. Non paucis verò in eandem secum fidei conpirationem perductis, occasio se vltro dedit, vt cum Archiducibus nostris continuum iter, ad celebre his in locis templum B. Virginis Ad cellam nuncupatum, susciperet, neque inde amplius ad nos reuenteretur: in ipso enim reditus apparatu in fatalem cecidit lectulum, ex quo à Virgine Deipara ad cellas cæli vinarias, vt ab vbertate domus Dei repleretur, adductus est. Corpus illius in nostro templo in familiari sepulchro, quod iam olim legitimum habuerat, magno Catholicorum mœrore depositum est. Alter verò qui virtutem huius exæquabat, singulari modestia, grauitate, sapientia, religione, Sacramentorum frequentatione, vniuersis prælucebat. Quidam Religionis desertor, anno non vno profugus a Deo quem sacrilegio violarat, exulabat. Is salutari cuiusdam ex nostris sermone ad mentem redijt, & Ordinem ex quo profugerat repetiuit. Iudenburgi concionibus nostrorum perfectum, vt qui elapsis temporibus à sacrificio Missæ se absentabant, rationibus permoti magno numero interfint. Millestadij etiam subditi nostri ad vnũ omnes fidem Catholicam receperunt; inter quos erat quidam genere nobilis, ætate octogenarius, Philippi Melancthonis annis aliquot olim discipulus. allaborauit nobiscum non ociosè quidam parochiæ nostræ Vicarius, qui vnus ipse septingentos ab hæresi reuocauit. Communicantium deinde numerus aliquot centenorum accessione creuit. Præter conciones quæ habentur diebus Dominicis & festis, doctrina Christiana apud rudes & pueros extra cathedrã introducta feliciter continuatur. Introductum etiam est vt omnes matrimonium Millestadij contrahentes vltro confiteantur prius & communicent. In parochijs etiam nostrorum

strorum iuri subiectis, supplicationes publicæ propter hæreses multis annis intermissæ, magna parte reffloruerunt. Binæ artificum tribus in Millestadiensi territorio erectæ sunt, quæ præterquam quòd annuè ad processionem Corporis Christi Millestadium conueniant, & magna solemnitate præter communem patriæ morem accensis cereis, sacram Eucharistiam, terni aut quaterni præcedant, quater etiam annuo decursu pro defunctis socijs Sacrum procurant. Summum altare munificis impensis ante annos aliquot à Carolo Archiduce constitutum, hoc anno auro totum vestitum est. Porticus etiam ex qua nostri rem diuinam hætenus magno incommodo auscultarunt, organi mole sublata è medio, ampliata est. Munera quæ templo referret nostro, in Hispania præsens annus collegit. Margareta Catholico Regi nupta, nuptialem vestem in qua Ferrariæ Pontificis maximi auctoritate, marito Regi in manum conuenit, ab vltima Hispania ad nos misit. Vestis erat auro argentoque texta Attalico ingenio tanti ponderis, quàm mirum est à sexu imbecillo portari potuisse. Et verò, vt munus regiam munificentiam commendaret efficacius, coniunxit aliud, cuius pretium decem aureorum millibus appenditur. Capsa ea est, hexagona cubitali altitudine elaborata hebeno, crystallo, ebore, argento, auro, vnionibus centum quadraginta septem, pyropis octoginta quatuor, smaragdus duobus supra septuaginta. Præterea accepit idem templum vestem aliam argenteam nouæ nupte, velum item sericum lacinijs aureis prætextum. Congregatio Deiparæ Virginis creuit numero, pietate, opibus; ex ea duo iuuenes Deo se in Religione dedicarunt. Inter reliquos Sodales hebdomadaria confessio introducta passim viget. Solemnis ieiunij tempore, semihoram quotidie finitis pomeri-



meridianis lectionibus, ad Deum Christianis calamitatibus placandum, in oratione collocarunt. Quo tempore honorarij Archiducum pueri pietatem suam ostenderunt maximè. Et verò orationes ipsis etiam profuisse quidam illorum suo & periculo, & periculi salute est expertus. In castris versanti, altera iam sagitta mortem illi venturam euestigio nunciauerat. (quippe vtramque corpore exceperat non sine vulnere) quam tertia, quæ veneno tincta fuerat, certissimò attulisset; sed Officio D. Virginis quod secum ad femur gestabat impacta irritò conatù excidit. Id ipse non alteri quàm precibus & B. Virginis præsentì auxilio acceptum tulit. Statos illorum festos dies Serenissimi Archiduces ter hoc anno præsentia quidem illustrarunt; pietate verò sociorum pietatem, ardentem aliàs, incenderunt magis, cum totidem vicibus sacram synaxin maxima Sodalium ædificatione cum iisdem perceperunt, donis denique auxerunt. Ultra hanc veterem iam ætate prouectiorum Sodalitatem cœpit hoc anno noua alia (quæ Cõgregationis Angelicæ Deiparæ Virginis nomen assumpsit) pro ijs quorum animi vt in omnem partem molliores sunt, ita vt à teneris religioni & timori Dei innutrientur, ad omnem illorum vitam plurimùm referre videbatur. Quod tamen vt perpetuum esset, & socij Congregationis suæ initia maiori voluptate meminisse possent, & auctoritate originem tutari suam; in præsentia omnium Archiducum sub patrociniò & auspicio Serenissimi Archiducis Caroli, leges rogatæ sunt prælatæque: quo tempore Sodalibus suffragia ferentibus, vñ cum Archiducibus idem Carolus iam primùm duodennis, cum festo tubarum clangore primus rector est renunciatus. Ille proinde postquam honorè illum admisisset, theatrum ascendit, & in throno confedit. Prodiere  
dcia

dein duo, qui oratiuncula temporis instituta, & tāto ei que primo rectori accommodata, dignitatem gratulati sunt, patrocinium tutelamque implorantes. Qui finita Archidux paucis ea quæ rogabatur pollicitus, propensam in consodales benevolentiam explicauit. Prouolutus deinde ad pedes Illustrissimi Nuncij benedictionem suo muneri & Congregationis incunabilis necessariam, est precatus: qua impetrata, actiunculam de adolescente qui eiurato Christi cultu, cum Virginem Deiparam detestari simul noluisset, per eam filij gratiam iterum collegit, ingenita Austriacæ domui humanitate spectarunt. Idem Serenissimus Carolus cum ex Sodalium fœdere & lege, octauo quoque die de peccatis confitendum, ac sapius pane sacro vescendum didicisset: Si omnibus, inquit, hæc cura incumbit, par est ut, quod ex lege didicerunt, in id etiam meo exemplo ducantur: à me itaque pietatis huius exordium datum videant. magna deinceps in eo morum compositio est secuta. Cæterum cum ob loci distantiam (decimo quinto enim à Græcio milliari cum fratre Leopoldo literis dant operam, separati ab aulica ambitione & varietate, ut solidius in Ecclesiastica grauitate proficiant) officio satis vacare non posset, abiens Vicarium substituit, grauius adhortans; cauere, ne querela aliqua aut iusta neglecti officij reprehensio ad se perferretur. Ab hisce Sodalibus (quorū iam sexaginta numerantur, inter quos Barones aliquot, nobiles plurimi) sacra pœnis Christi hebdomada sepulchra obita: peregrinationes ad furorem Turcicum auerendum susceptæ: quo in itinere rara puerorum virtus enituit, cum Sanctorum vitas inuicem explicarent; sphærolas precarias deuoluerent, preces ad Deum Dei que domesticos funderent, eleëmofynas domi à parentibus impetratas, egenis alacriter diuiderent.



rent. Festum Assumptæ Virginis (quæ celebritas  
 ipsis propria est) pueri animo & pietatis sensu, non  
 puerili peregerunt. Dies etiam Michaëli Archangelo  
 constitutus (quia eius post Deum Deique  
 matrem, clientelæ se totos permiserunt) ingenti  
 cum lætitia & veneratione transit. Eodem die à  
 meridie præsentibus Serenissimis Principibus (quæ  
 etiam solemnè eorum Sacro ac litanijs interfuerunt)  
 ab iisdem datus in scenam prodijt adolescens, quæ  
 dum factò cum bonis diuortio, improborum se  
 moribus & consilijs aggregasset, ab Angelo tutelari  
 alapa cæsus, ad meliorem vitã reuertit. Mira cuiusdam  
 inter illos innocẽtia & candor eluxit. Decum-  
 bebat ille, & grauissimis doloribus immoriebatur;  
 peccati tamen quàm ægritudinis memor magis,  
 cum depositam salutis spem libenter audiuiisset,  
 properè sacerdotem accersiri iubet, qui cum Deo  
 in gratiam restitueret. Verumenimvero quoniam  
 incertã confessarij moram periculum non expecta-  
 bat, Pædagogum (in sacris fortè is erat) rogat, vt  
 confessionem excipiat: peractaque ei confessione,  
 Omnia ne, inquit, videor animi vulnera detexisse?  
 quid ni omnia? Pædagogus sacerdos ait. tunc læ-  
 tus & alacer puer angelicus animam Angelis in  
 societatem suam transferendam resignauit. Illius  
 funus cæteri Sodales, inflammatis cereis profecuti  
 nouo ciuitatis miraculo, terræ mandarunt. Alter  
 negligentior in ijs quæ ex legum imperio ab ipso  
 requirebantur; notatus in errore, monetur, repre-  
 henditur, periculum exaucturationis denuntiatur.  
 Cum ille iudicij imbecillitate ignominiam non  
 apprehenderet, tam seueram sententiam contemp-  
 sit. Sed verò, vbi post dies aliquot, conuētum est,  
 & Sodalium vna voluntate sancitum, consultum  
 pronunciatur: exhorret puer, & in genua prouolu-  
 tus grauissimis verbis tantam seueritatem à se de-  
 preca-

precatür, omne aliud iudiciũ certissima cum emendatione accipere paratus. flexerunt efficaces illius gemitus Sodalium animos, & societatem illi impostherum confirmarunt. Sed quia tam insperata voluntatis conuersio cogitationem eorum & spem decepisset; interrogatus est, vnde illi tam subita fuisset propositi commutatio? ibi retulit, se noctu dum somnum interrupisset, Virginem specie humana augustiorem ornatu regio fulgentẽ prope lectulum aspexisse. Nullum quidẽ illa verbum loquebatur, inquit, sed tamen eam imis sensibus infudit lætitiã, quam ne cogitatione quidem concipere satis possum: & quia contemptam à me societatis iacturam memineram, moueri me hoc spectaculo sentiebam, vt ad eam porto frequentandã supplex fierem: obtuli me dein B. Virgini, firmiter statuens, nunquam me cõtra honorem illius quicquam designaturum. atque hæc causã est tam enixæ petirionis. neque profectò inanis fuit visio: ita exinde socios exemplo cœpit ædificare, vt veterem infamiam penitus aboleuerit. Scholæ nostræ numero, ingenijs, eruditione nihil prioribus annis concesserunt: florentiores etiam videres. Dramata plura exhibita. Vt maiore vestiũ ornatu olim dari possint, thesaurum comicum nostrum Archidux Ferdinandus vestibus, quæ ad duorum millium florenorum pretium accedunt, locupletauit. Doctoralem Theologorum cathedram tres conscenderunt. Academicas illorum concertationes Serenissimi Ferdinandus & Maximilianus; solemnem verò inaugurationem cum illi, tum alij complurimi omnium ordinum nobilissimi viri honestarũt. Atque vt impostherum maior doctorum hominum copia ex hac Vniuersitate educi possit, Serenissimus Ferdinandus ædes aliquas pretio à ciuibus coemptas, in pauperum studiosorum vsu commutauit,



mutauit, habitatione tam commoda, quàm ad exterioriorem aspectum magnifica, instructaque suis impensis: qui locus à fundatore Ferdinandæum est dictus. Serenissima mater, cum hæctenus duos ex nostris Carolo & Leopoldo liberis, ad ecclesiasticam grauitatem, & literas manu ducendis aluisse Iudenburgi; tertium hoc anno impetrauit. Vir qui dam grauis, conturbatum & auersum animum nobis secutus nomen nostrum apud Sedis Apostolicæ Legatum, ipsumque Archiducem detulerat: quo cognito R. P. Rector priuatam tantummodo denunciationem ratus, facile negotium composuit. Sed verò, quia postea libellum illum plurimum manus peruagatum intellexit, publicam à Serenissimo Principe & Nuncio Apostolico defensionem petijt, impetrauit, instruxit. Hic aduersarius metu percussus (præsertim cum Ferdinandus cognitam nostrorum integritatem haberet, ab eoque non obiter defensum nos iri certum esset: eodem enim tempore Princeps nuncio dixerat, Ego illis non patrocinarer, qui mihi oculi pupilla sunt chariores?) coram Ferdinando, matre Serenissima, Nuncio, & alijs nobilibus, ad quos facti notitia permanerat, restatus est, se inconsiderato animi impetu scriptum illud effudisse; petere proinde vt concerpatur, obliteretur; extinguatur; deinceps se bene sentire, loqui, & scribere de Societate velle, quam antea semper adamasset. Reconciliata dein interpositis dextris gratia (quam ab eo tempore multis argumentis declarauit) optatus tragædiæ finis impositus est. Eorundem Principum beneuolentiæ argumenta illa esse quoque possunt; cænationes & prandia, vel communia in triclinio, vel priuata cum certis Patribus: quæ omnia cum temperantia & religiosa modestia sumpta fuerunt. Carolus etiam & Leopoldus, diuersis temporibus, per hebdomadas ali-

quot in nostro Collegio hospitati sunt, eo maximè  
 consilio, vt ne, dum parentem, fratres sororesque  
 reuiderent, desertos iam olim sæculariũ mores re-  
 sumerēt, & superbo fastu atque splendore modera-  
 tam vitæ rationem corrumpent. Iidem summis  
 precibus impetrauerant, vt autumnalibus schola-  
 rum ferijs Millestadium animi causa proficisci li-  
 berum esset. Quorum præsentia Carinthis admi-  
 rationem, Millestadio verò & toti Societati ma-  
 gnam auctõritatem illis in locis peperit. Zelus in  
 Catholicam religionem in Archiducibus nostris  
 nequaquam intepuit. mirantur plerique & præser-  
 tim hæretici, amissa abhinc biennio, & præterita  
 ætate irrito conatu oppugnata Canisia, nihil de  
 constantia in extirpanda hæresi Ferdinandum re-  
 misisse; cùm tamen illius zeli frænum, vicinum  
 Turcam existimauerint. quin nouis eam legibus  
 persequitur & euertit. Sanxit hac ætate, ne aliquis  
 ex subiectis sibi Dynastis vllum qui Catholicam  
 religionem non amplecteretur, ad familiare obse-  
 quium adhibeat. qui refragabitur periculum for-  
 tunarum adibit. Illud memorabile & posteritati  
 commendabile est: domum peramplam vel veriùs  
 splendidum palarium, quod in hæreseos propaga-  
 tionem proceres hæretici ad Concionatorum, Præ-  
 ceptorum, Scholariũque domicilium ædificau-  
 rant, in sacrum Deo sacrarum virginum mona-  
 sterium cõuersum esse. Fundauit illud Serenissima  
 mater, quæ ad religiosam illius gubernationem  
 nihil, etsi frustra, desiderabat aliud, quàm vt nostri  
 Patres curam acciperent. In prouincijs autem Sere-  
 nissimi Ferdinandi, aliqui pertinaciores hæretici,  
 bonis diuenditis aliò commigrant. quorum tamen  
 in locum plures indies veniunt Catholici, vt ciui-  
 tas hæc nunc plena populo celebris euaserit, ma-  
 gnaque in ea mutatio sit consecuta.

quotidiani  
sermo-



sermones nunc hunc, nunc illum nobilem, ciuem-  
 que conuersum ferunt : quo fit vt nostrum tem-  
 plum hominibus omnium ordinum, qui sacris in-  
 tersint, abundet. Quibus tamen omnibus ipsi Prin-  
 cipes ad virtutes & pietatem Christianam suo ex-  
 emplo prælucent, partim publicè, partim priuatim :  
 singulis penè septimanis confitentur & communi-  
 cant. In quadraginta horarum precibus, Serenissi-  
 ma mater, & filia, elapsum communiter, quàm alij  
 soleant, tempus orando continuant. Ferdinandus  
 demum in partem laborum, quibus & perpetuis  
 negotijs penè obruitur, sex horis flexis humi geni-  
 bus Deum precando inuitat. Serenissimus Bauariæ  
 Princeps Maximilianus 14. Iulij cum fratre Alberto  
 huc appulerat, vt à Ferdinando Catholici Regis  
 nomine vellere aureo donaretur. Interea aliquo-  
 ties Collegium humanissimè inuisit, ipsoque die,  
 quo in Equitum numerum referri cum conuene-  
 rat, in domestico sacello mundatis animæ maculis,  
 communionem à sacerdote nostro accepit: quo die  
 studiosi nostri pluribus carminibus & elaboratis,  
 templi parietes texerant, quibus ei augustum ho-  
 norem congratulabantur. Interfuit dein dramati  
 de D. Alexio: quæ historia ita placuit, vt Bauari  
 spectatores affirmarint, se tanta actorum dexteri-  
 tate, & pari voluptate numquam actionem vidisse.

### *Collegium Pragense.*

STatio Pragēsis hoc annò Socios 40. numerauit,  
 sacerdotes vt plurimum 18. reliqui, præter quar-  
 tuor scholarum magistros, & septem Philosophiæ  
 Theologiæue studiosos, in re familiari fuerunt  
 Adiutores. Diem sanctè clausurunt duo sacerdotes.  
 Societatem ingressi septem; diuersas Religiones,  
 vndecim. Nauata gauuiter proximis opera: infir-

mis in primis tam in vrbe quàm in nosocomio degentibus, quorum confessiones audita: SS. Eucharistiæ viaticum prouisum: moribundis verò non rarò ita subuentum, vt qui aderant præsentibus, haud dubiè vitæ melioris desideria conciperent, & infirmi ipsi mortis imminentis timore consternati, ad extremam necessitatem fortiter patienterque subeundam animos resumerent. Iuuenis arte magica ad obscæna se pellici sentiens triduana primùm sese maceravit inedia: verùm cùm illa nondum satis extincta libidinis incendia præsentiret, nostrum cui noxas aperire consueuerat, adiit, eiusque consilio ita adiutus est, vt & artis nefandæ conatus eluserit, & corporis lasciuiam facilè compresserit. Quidam ab integro septennio ita vitio cuidam fuerat addictus, vt interea nec templa, nec sacra frequentaret. hic igitur morbo correptus nostri sacerdotis monitu cum Deo in gratiam, secum autem ad meliorem frugem rediit. Nobili virgini dolore capitis & totius corporis imbecillitate laboranti, præsentibus remedio fuit aquæ lustralis haustus. Idem præstitit adolescenti hæretico, qui cùm cephalea grauiter vexaretur, Catholicæ matronæ suggestionem aquam è templo nostro petiit, qua cùm leuiter caput tinxisset, adeò repente dolor abscellit, vt ipsi etiam, qui aderant, hæretici lustralis aquæ vim maximè commendarent. Tres rei quo minùs pœnas in se decretas darent, nostrorum intercessione factum est. Inter diffidentes non rarò per nostros reconciliata gratia. Vicini sanè adeò capitali odio sese prosequabantur, vt ad manus procul dubio venturi fuissent, nisi per nostros placati fuissent. Plures virgines Christi thalamos ambientes vna loci hætenus ab illis arcuit angustia. Proposita sanè per literas monasterijs illarum desideria, sed vndique responsum



sum plena esse omnia: ex quo factum ut septem & eo plures virgines à Religionis ingressu retardarentur. Cæterùm illæ proposita perurgent, & ut sui voti compotes fiant, non tam verbis, quàm piis moribus contendunt. Gymnasium nostrum auditorum multitudine hoc anno maximè floruit, Laurea Philosophica donati 17. egregij iuvenes, inter quos facilè Princeps Illustrissimi Apostolici Nuncij nepos ex Seminariæ Ducibus oriundus Actum Nuncius ipse & plurimi alij perillustres viri cohonestarunt. Autumnali renouatione datus est, & cum plausu exceptus Iephthe plurimis ac optimis spectatoribus. Tragœdiam excepit promotio studiosorum, in qua diligentissimis quibusque decreta præmia, quæ pro eo quo in bonas litteras fertur amore, curauit Illustrissimus Carolus à Liechtstein. Pauperibus, captiuis, pupillis & viduis nõ consilio tantum, sed etiam re pro necessitate nostris curantibus subuentum. Patricius qui sese voto peregrinandi Romã absque alio viatico, quàm quod mendicato collegisset, cum voto satisfacere suo diutiùs fortè, quàm par erat, cunctaretur, à B. V. identidem etiam plena luce monetur ut promissa seruet. Itaque ex Hungaria Pragam, inde Romam habitu peregrinantis pecunia in pauperes distribuenda portexit adiutus. Sodalitium Italicum domum coëmit, in quam miseri milites & egeni, quorum non pauci in publicis plateis expirabant, recepti curarentur. Quæ res omnium oculos exempli bonitate ita in se conuertit, ut spes sit propediem futurum, ut valetudinarium in eum finem in quem domus illa comparata fuerat, exciteretur. Ægri verò qui in illam domum hactenus recepti; vel sanctè diem clauserunt, vel sanati non animo minùs quàm corpore, caritate sibi exhibita prædicanda laudandaque satiari vix possunt.

Mirum autem quantos Sodalitium ipsum in pietate progressus in dies faciat. In Ecclesiæ Catholicæ gremium hoc anno repositi supra 155. nostrorum operâ, præter 800. Smezêses, qui hæresim Hussiticam sub sacro calice dubio procul occultabant. Cæterum quoniam multorum conuersiones multum admirabilitatis habuerunt, non otiosum fuerit pauculas fusiùs explicare. Virgo nobilis nata hæreticis postea tamen factis Catholicis, à prima ætate auia hæreticæ tradita fuerat. Hæc illam prauis opinionibus totos quindecim annos ita imbuerat, vt nihil à magistra discipula distaret. Nostri parentes officij subinde commonent, rogantque ne miseram miserè perire velint. Interim auia moritur, cùm demum locus admonitioni fuit. Puellam ergo Calviniano non postremi nominis commendatam Wratislaviæ Pragam continuò reuocant. Hic illa nostrorum hominum conspectum refugere, vitare alloquium. Vita interim decessit soror sexennis, quæ melioribus formata legibus cùm sub extremis precibus minisque vt resipisceret cum sorore vehementer egisset; etiam illi post mortem ingenti splendore radians apparuit, & valdè inclamans monuit, ne tam stultè suæ salutis summam negligeret contemnerétue. His igitur tandem excitata fidei magistrum poscit, accersitue è nostris. res agitur, & de Sanctorum cultu, qui puellæ potissimum inuisus, acriter disputatur. quem cùm illi noster probasset, manus dedit, & magno suo parentumque solatio peccata ritu Catholico expiauit, & SS. Eucharistiæ mysteria suscepit. Quæ res famulum de religione Catholica nimis diu frigideque cogitantem ad perficienda cogitata valdè permouit. Puella Lutheri venenis imbuta Calvinianam deinde dominam sortita fuit; sub qua breui tempore adèd promouit in per-

fidia,



fidia, vt iam in Eucharistia præsentem Christum negaret: quod cum intellexisset matrona Catholica, suavit, vt ipsa Deum sedulo precaretur, vt sibi veræ fidei lumen impertiret. paruit illa: quod tam bene cessit, vt cum fortè Sacrum spectaret, Christum infantis splendidissimi specie fulgentem in Eucharistiæ SS videret mysteriis. Alia non contenta sese Catholicis adiunxisse, perfectionis insuper Christianæ consilia complexa est. Matrona nobilis ad Catholicos nuper conuersa grauibus adeò morbis tentabatur, vt illius salutem medici desperarent, illaque de meliori vita cogitans sacrum postulare oleum. Exomologesi itaque præmissa inungitur, mox præter omnium spem melius habere cœpit. mirantur hæretici, maritusque qui coniugi iam opinione sua defunctæ lachrymis parentabat; vt primùm illam vnctione peracta respirasse cognouit, ad Catholicos transire constituit, nec à prædicanda sacra vnctionis virtute deinceps cessauit. Alia conscientia terroribus agitata cuiuspiam è nostris peccata confiteri decreuerat. verùm pro illo duo obtruduntur illi hæreticæ factionis Magistelli: quorum alter cum confessionem ad salutem minimè necessariam doceret, alter generalem saltem sufficientem assereret, neque piè satis de SS. Eucharistia sentiret, tantum abest vt exulceratæ mentis afflictiones lenirent, vt vehementer etiam illas incenderent. illa nempe in furorem insaniamque penè decidit: à qua cum ex interuallo respirasset, sacerdotem nostrum accersit, doceri petiit, edocta peccata detexit. Nobilis adolescens ad Orthodoxos transiturus ingenti conscientia angore sollicitudineque vexabatur: verùm ab his tandem liberatus cum in morbum iam conuersus incidisset, cum primùm Sacramentis Eucharistiæ Pœnitentiæque munitus fuisset;

non solum animi viribus auctus est, sed etiam quas perdidit corporis diuinitus recepit. idem porro domum profectus ita fratri, hæreticoque prædoni satisfecit, ut palam in ruborem utrumque dederit. Alius item genere nobilis à nostris Catholicis aggregatus hæreticæ matri omnia tentanti, ut Lutheranum ientaculum è vita migraturus cænaret, ad extremum vsque spiritum fortissimè recusauit, pieque ac catholicè discessit. Concionatoris hæretici filius à nostris Catholicus non ita pridem factus, in platea publico à sicario transfigitur. Ille vulnus fore letale sentiens, sacerdotem nostrum poscit, peccata pandit, sicario iam capto veniam impertit, nostrum rogat, ut se Catholicum mori palam contestetur, moxque illius manui osculum figens sexta post acceptum vulnus hora in fata concessit. Hungarus re & genere Comes Pragæ negotij sui causa venerat, quid multis? A nostris Catholicus factus non solum ex Tridentina formula hæresim abiurauit, verum etiam promisit se simulatque ad suos reuerterit, daturum operam ut 6000. & eo plures subditi sui Catholici quoque fierent, & quæ templa non spernenda in ditioe sua haberet, ad Dei cultum ritu Catholico peragendum restaurarentur. Idem recepit se facturum nobilis à nostris conuersus, in cuius dominatu parœciæ sunt circiter octodecim. Alius qui sedecim annos hæreticæ factioni sacerdotis operam nauarat (quod mirum videri potest) tandem resipuit. Alij denique in auita religione nutantes confortati, quod vno duntaxat exemplo notemus. Filiam Catholicam mater Picarditica ad suorum synagogam clanculum abduxerat. id quod ubi rescuit frater, discipulus noster, in synagogam volat, sororemque, matrem, & auiam tam grauibus castigat verbis, ut eas frementes secum redire domum



compulerit, auctorque deinde fuerit, ut parens Catholicus filix suæ salutis impostero cautione prospiceret. Animum peccatis expiarunt hoc anno apud nos si non plures superioribus annis, vix certe tamen pauciores: qui totius vitæ errata recenserent & qui perperam antea sæpe diuque factas emendarent confessiones, non pauci. Quidam qui virtutem omnino desperarant, ad eam sectandam, & præcepta diuina seruanda ex hoc potissimum & SS. Eucharistiæ Sacramento vires collegerunt. Non nemo laruis stimulatus non prius quietem reperit, quam facinora sacerdoti nostro detegeret. Male parata nonnulli quoque reddiderunt. Mulieres à turpi vita reuocatæ quatuor. Puella variis domi fatigata molestiis, tecta conscenderat, ut se præcipitem in plateam daret; sed enim cruce prius se consignans, ad eò mutatum animum sentit, ut sui perdendi cõsiliu deponeret. Rursus eòdem conscenderat armata cultro, ut sibi violentas manus afferret. sed, ô diuinam clementiam! ecce tibi in ipso assensu culter remittitur, & vagina vacua in sacco reperitur: à quo permota tandem fraudes inimici detexit, & confessione facta, nihil amplius loci tam perniciosi consiliis reliquit. Alium vxoris eò desperationis adduxerat improbitas, ut laqueo sibi fauces elisurus foret, nisi noster illum à tam funesta sententia dimouisset. Impeditum præterea ne Catholici cum hæreticis nuptias facerent, priusquam in veram religionem fidemque coalescerent. Ad extremum licet hætenus annis singulis peregrinatio ad S. Iuanum, non sine magno fructu suscepta fuerit, hoc tamen anno singularis, seu frequentia, seu vtilitas spectetur, extitit. Eò namque non plebs tantum, verum etiam optimi quique tanta pietatis significatione, confluerunt, vix ut narranti fides habitum iri videatur. Tan-

tum enim abest, ut itineris molestiæ pietatis feruorem imminuerent, ut præ spiritus dulcedine, quam litanis hymnisque spiritualibus decantandis percipiebant, corporis lassitudinem minimè sentirent. Totam plerique noctem in precibus & diuinis laudibus traduxerunt. Quadringenti aut circiter exomologesi noctu præmissa magno animi sensu diuinis epulis refecti. Nonnulli in ipsius Diui spelunca missis erroribus Ecclesiæ sese adiunxerunt. Redeuntes porro domum eundem, quo abierant, ordinem sub crucis vexillo terni cantantes tenebant, eo pietatis exemplo, ut qui verè pij essent ingentem voluptatem perciperent, impij verò vel erubescerent, vel magnum dolorem spectando caperent.

### *Collegium Olomucense.*

**N**Vmerus hoc anno nostrorum fuit plerumque triginta trium. sacerdotes vndecim: in ijs duo Casuum & Controuersiarum Professores, tertius Logicæ: magistri humaniorum sex: scholastici octo: Coadiutores octo. Ad meliorem vitam transijt P. Iodocus Brant Flander, annorum in Religione viginti trium. Hic, cum ad professionem compararet se, acuta feбри correptus, pridie obitus in lectulo iacens, Canonicis aliquot, ordinisque senatorii viris præsentibus, vota quatuor Professorum emisit: vitæ simul & probationi suæ finem imponens, probatus omnino vir, zelo animarum æstuans, qui cæteris disciplinis excultus, in humanioribus literis excelluit, vtilemque in ijs operâ nauauit. Omnium spiritus per exercitia spiritualia sub autumnalium vacationum tempus fructu non pœnitendo renouatus est. Res familiaris adiuta eleëmofyna trecentorum dalerorum ab Illustrissimo Cardinali  
à Dic-



à Dietrichstein benignè collata, ad prædij ædificationem. Ædes vna Collegio adhærens cum incommodo, quæ multis annis impetrari à ciuitate non potuit, hoc anno coëmpta; altera propediem accessura, pari cum vtilitate gymnasij. Studia floruerunt aucto numero, auditorum supra septingentos, è quibus Societati duo, alijs verò Religiosis Ordinibus sex, nomina dederunt. Duo etiam exercitijs in concepta Societatis vocatione confirmati. In omnibus singularis aduersus fidem obseruantia: argumento esse potest adolescens annorum quindecim, qui vt fidem eximeret hæretici obtreptatoris iniuriæ; gloriosum duxit excepto graui in capite vulnere, hæreticum inuasorem pati. Spectata etiam est Sodalium B. Virginis charitas, qua in instituentis hæreticis, quâ in perducendis ad nostros, vt ab eis docerentur. Conuictus etiam frequentia multum creuit. & fuit vir nobilis, qui ex alio regno quatuor filios Olomucium adduxit, vt inter conuictos collocaret. Sacerdotes inde prodierunt quatuor. Data de more scena & præmia sub reuocationem autumnalem, cum approbatione non vulgari. Extra scholas etiam res bene gesta: centum quadraginta septem (præter eos qui in Missionibus) à perfidia, vel manifesta, vel palliata per calicem, ad sinceram fidem traducti absolutique sunt: in quibus adolescens Baro, spreto parentum hæreticorum metu, si resciri ab eis contigisset. Fuit & in his opifex, opificio & peruicacia in hæresi Lutherana insignis: qui cum non sine infamiæ nota vitam in sceleribus traduxisset, mores cum fide, non absque specie miraculi commutauit. Nocte enim quadam varijs impetitus terculamentis, interulatum tantum linea coopertus, è stratis se proripit: definitum circulo cubilis medium occupat: & in eodem vestigio stricto gladio pernox agit, identidem &

nostrum

nostrum confessarium, & confessionem metu periculi ne abduceretur, in clamans. Manè ad confessarium abductus, cum alioquin ad rem loqueretur nihil, confessionem instanter petijt: ea verò prudentissimè peracta, postquam sacra etiam synaxi, lachrymis à confessario impetrata, communitus est, lætus domum reuertit. Nocte autem proximè sequente impos mentis factus, ergastulo includitur: vbi grauibus diaboli tentationibus, sibi etiam ad suspendium obiecto fune, exercitus, susceptorum, vt speramus, Sacramentorum vi, paucos post dies & sibi restitutus est, & de diabolo triumphauit. Iam Deo gratus viuit; illud in maximis ab eius liberalitate in se profectis beneficijs ducens, quòd vel sopita tantisper rationis luce, fidei lucem quæ supra rationem est, aspexerit. Hoc demum anno penitus amandati, auresque negatæ in confessione ijs, quibus aliquando iustis de causis indultum fuerat, iuxta conditiones à Sede Apostolica requisitas, vt sub vtraque specie Venerabile Sacramentum in parochia sumerent. quorum plerique ab inueterata consuetudine discedere, quàm nostros deserere confessarios maluerunt. Progressus sperantur indies maiores: Cæsar enim indicta exilij pœna, vetuit quemquam è ciuibus, concionis, aut Sacramentorum causa ad Lutheranos Ministros, qui circum ad duo milliaria in aliorum dominijs commorantur, adire: eoque etiam nomine complures bonis diuenditis, solum vertere iussi sunt. Amoti etiam à senatu, publicisque Magistratibus qui supererant in ijs hæretici: quamuis ætate, auctoritate, opibusque primi. Denique sancitum ne ius ciuitatis vlli deinceps detur, nisi Catholico. Quæ omnia pluraque similia, ipsi hæretici in nos referunt auctores; haud magnopere hanc inuidiam detrectâtes. Quamquam ea laus Cæsaris pietati, &



prouinciæ Camerarij, Illustrissimi Ladislai Berkæ,  
 qui mandata Cæsaris exequitur, incenso religionis  
 studio, tota debeat. Vulgata ab hæreticis per Boë-  
 miam & Austriam latè fama est, causa religionis è  
 senatu plures, & Iesuitas magno numero trucidatos  
 Olomucij fuisse. Solatium videlicet malis suis  
 querunt ex conficta vindicta: cum pacatissima fue-  
 rint omnia, tamen plures hæretici respectu fidei,  
 diu in custodia delituerint, nec nisi datis vadibus  
 dimissi sint. Iam erga Catholicos par consistit no-  
 strorum industria, & respondit fructus; qui sæpè  
 maior est, quo minùs externi plausus admiratio-  
 nisque habere videtur. Multi per confessionem in-  
 signiter adiuti: cuius quanta esse debeat religio suo  
 malo didicit mulier, quæ ob malè factam confes-  
 sionem, desperationis stimulis, spectriq̃ue horren-  
 di aspectu alloquioque primùm diuexata, deinde  
 iterùm ac tertio dira phrenesi correpta, quoties ni-  
 mirum accersito confessario, Sacramentum delu-  
 sit: denique ritè confessa, postridie cum admira-  
 tione suorum, sana surrexit è lectulo. Illud quoque  
 beneficium confessionis fuit, quòd quidam præti-  
 gijs mulierculæ, persæpè hirci dorso ad milliaria  
 quindecim transportari solitus, Parochi sui consi-  
 lio suasuque nostro homini peccata confessus,  
 liberatus est. Profuit alijs adhibita B. P. N. Ignatij  
 fusa ære effigies, ad profligandum è domo infestum  
 cacodæmonem: qui meridie capræ specie viseba-  
 tur; noctu autem edito strepitu, domesticos terri-  
 tabat. Nam ex ea domo quidam nostrum sacerdo-  
 tem consilij causa adiens, nummum cui ea inerat  
 imago retulit; cum mandato, vt in præcipuo quo-  
 dam domus loco eam appenderet. Paruit ille, do-  
 musque ex eo tempore immunis reddita est, com-  
 mendantibus serui Dei virtutem, qui beneficium  
 acceperunt; sacrum autem pignus reddere detre-  
 ctan-

stantibus. E vicino pago rusticus, cui liberi omnes comitali morbo extincti fuerant, pro filiola reliqua in viuis seruanda sollicitus, nostrum adiit: à quo similem accipiens Beati imaginem, eius beneficio præter spem omnium filiam conseruauit: gratias cum vxore Deo egit, mysteriis sacris in templo nostro ritè susceptis. Mulier Lutherana infantem grauer ægrotantem in templo nostro ad aram D. Annæ accensa more Catholicarum feminarum candela Deo commendauit, votumque pro eo fecit, si cõualesceret illaturam se illum in D. Annæ celebrem ædem. concepto voto infans conualluit. Miraculo fidem facit matris secuta conuersio, quæ voti rea, reluctante quamuis fremèteque marito hæretico, promissum explet, sistitque D. Annæ filium grata pro beneficio, religiosa pro voto. Alia quædam impurum spiritum, qui sæpiùs mariti defuncti specie adrepebat ad latus decumbentis, supposito per domesticos, de consilio vnus Patris, sub cervicali agno cereo, à se abegit. Maius illud, quòd homo qui sese animo simul & corpore deuouere diabolo constituerat, à pessima molitione reuocatus est. Coniuges duo & animo & corpore ampliùs quàm per annum abiuncti sumpto vnitaris symbolo Eucharistia, per nostros cõiuncti. nonnulli etiam à sacrilego thoro retracti. Sub Paschales ferias rogatu procerum sacerdotes duo missi sunt, quòd apud illos Societatis munera obirent. Ad quartum milliarium, solemnè peregrinationis die, ad sacram Diuæ Annæ ædem, sacerdotes tres, concionis & confessionum causâ profecti, non quòd erat lucis tantùm, sed integram etiam noctem audiendis pœnitentibus impenderunt, fructu non modico. Venit illuc virgo à primis annis in hæresi educata: quæ cum cogitationem aliquam de Catholica fide antea suscepisset, haud dubiè S. Spiritus



tus instinctu, deque ratione id perficiendi agitarer animo, monetur in somnis, adeat Diuæ Annæ templum (festum aderat postridie) ibi ipsam edoctum iri doctrinam veritatis. Ad hæc subridens illa: Nunquid ego aut ibi vnquam fui? aut S. Anna cælo veniens, se mihi præbebit viæ ducem? Sanctam Annam nescio, & locum templumque eius ignoro. Hæc effata, oculis subiectum videt iter vniuersum. templa & pagos obuios: quin etiam supplicationis ordinem quam in eum diem Illustrissimus Cardinalis Episcopus Olomucensis, Olomucio ad eum locum decreuerat: quo spectaculo capta se ituram recepit, sanctè promittens, si rem ita comperisset, Catholicam fidem se complexuram. Venit, itaque rem comperit, apud sacerdotem è nostris perfidiam deponit, Ecclesiæ, & Christi corporis particeps facta. Vt si somnium tantum fuerit, certè fructus somnij verus, vereque salutaris extiterit.

### *Missio Brumouiensis.*

**N**Onnihil etiã per nostros homines foris actum. Boëmus Dynasta cum præter expectationem ampla quidem ditio, sed, vt ferè sunt reliquæ in Morauia, hæreseos infecta labe, adauctus esset; pro suo erga auitam religionem, quam antè quadriennium susceperat zelo, tantisper etiam peregrinationis Lauretanæ quam adornabat consilium distulit, quoadusque Deum pro Deo deserens, subditorum sibi animos antiqua fide excoleret. Ad eam autem rem, non alios quàm nostros adiutores adhibendos ratus, vix tandem duos, sacerdotem & socium impetrauit. Initium reducendæ fidei datum, ab hæreticis Ministris expulsis: qui quatuor omnino erant in tota illa ditio, oppidis duobus & triginta pagis insigni. Neque verò magnum fuit

in iniquis illis inuasoribus extrudendis negotium. Edicto enim proposito, vt intra triduum excederent, tres quidem solatio exilij, religionis causam prætexentes, se non inuitos cedere præ se ferret: quartus vt pili suam se facere religionem ostenderet, non nisi extractum per capillos cessurum, variè iactare. Vanitatis argumentum fuit mutatum facile consilium: cum vt capillis, quibus iam imminabat lictor consuleret, ne pili quidem suam se facere, excedendo probauit. Exactis Ministris, nihil antiquius habitum, quàm vt polluta sacra munderentur. Id autem vt eueniret felicius, Dynasta, nostro tirone assumpto comite ad D. Annæ trium milliarium interuallo distantis, vel ipsa Diuæ solemnitate, quæ tunc agebatur admonitus, suscepit. Vbi ad demerendam Diuæ apud Deum Deique matrem gratiam, præter largam in pauperes distributam stipem, expiatis confessione peccatis cælesti pane refectus est. Inde maioribus etiam flammis ad restituendam fidem succensus, vbi domum reuertit, oppidorum atque pagorum templa, miserandum in modum profanata, cum nostris obiuit. Mirum quàm tot sacrilegiorum horrenda species, quæ passim visebatur in templis, bonum Dynastam affecerit. Ergo non solum restaurandis, sed etiã ornandis, omni que sacra suppellectile instruendis templis, est à domino collata pecunia: mandatum insuper vt quidquid in eam rem desideretur, non desit. adeò nullis impensis parcitur, vt per instaurationem sacrarum ædium, ædificium spirituale illis in locis assurgat. Expiatis de more sacris ædibus, vt debita mysterijs conciliaretur veneratio, in earum vna, quanto maximo fieri potuit apparatu, noster sacerdos operatus est sacris, non sine symphonicorum atque tubicinum grato concentu. Post Sacrum ad frequentem multitudinem  
oppi-



oppidanorum & paganorum, quam Dominus per edictum exciuerat, de dignitate Ecclesiæ concionem habuit: ea omnium approbatione, vt suos præ illo Ministros nihili duceret, & verò Patrem etiam in pretio & honore haberent. Concionem excepit solemnis gratiarum actio, Hymno, *Te Deum laudamus*, solemniter decantato, tanto omnium sensu, vt nullus non interioris lætitiæ qua gestiret animus, manifesta signa proderet; plurimi etiam præ gaudio illacrymarentur. Ipse præ cæteris Dominus, lætitijs sibi torus incedere videbatur. Denique totus hic actus solemnii supplicatione conclusus est; Sacerdote nostro populum, quem præteribat aqua lustrali aspergente, de vase, quod pone Patrem ipse Dynasta, singulari & pietatis & Christianæ submissionis exemplo deferebat, vt minister. Atque hoc fuit instaurandæ his in partibus collapsæ iam religionis initium: quod & in oppidis per Patrem, & in pagis per socium, tradendorum fidei Christianæ capitum quotidianus vsus excepit eo prouentu, vt propensissimi videantur omnes ad fidem, vt ipsi vocant, Romanam. Auxit hanc in animis illorum propensionem, vtroque in oppido innouatus senatus: & decreta data, vt senatores & Parocho obaudirent suo, & ad reliquorum exemplum ipsi in primis diuinæ rei adessent, & vt nemini inter se habitandi facerent potestatem, quem non testimonio Parochi, Catholicum esse constaret. Eodem spectauit mandatum, vt scholæ quæ in vtroque oppido ruinosæ erant, deijcerentur, nouæ & prioribus commodiores, excitarentur. Vt autem constans esset toto anno literarum vsus (hactenus enim hyeme dumtaxat oppidanorū paganorum-que liberi frequentabant ludum) delecti non minus decem orphani, qui sumptibus Domini alantur ad ludum. Et alteri quidem ludo Catholicus

moderator impositus; in altero idem qui antè fuerat, quia conuersionem pollicetur, relictus. Hæc ferè sunt quæ primis ex illa Missione datis litteris, ex hac semente, spem fecerunt messis copiosæ.

### *Missio Vissouiensis.*

**V**issouiczium Morauix oppidum, vnà cum annexis vndecim pagis, ante septem hos annos obuenerit Domino: qui iam olim Viennæ in nostris scholis, ex hæresi ad fidem conuersus, nihil hætenus æquè curauit, atque vt non solum consors thori, lectissima mulier, sed & oppidani pagani que sibi subiecti, sexagesimum iam annum aberrantes à fide, reducerentur. Et verò cum animaduerneret subditorum saluti, ipsa eorum priuilegia de libertate religionis, à prædecessoribus Dominis accepta, officere; totam curam ad euincendum vxoris Lutheranz animam conuertit: vt ea conuersa, liberos etiam quinque in fide Catholica educare posset. In eum finem de consilio vicinorum Dominorum, nequicquam alijs tentatis medijs, duos è nostris, sacerdotem & socium, à Patre Prouinciali impetrauit: eo euentu, vt non solum vxor reducta sit, sed & subditi, suspensis tantisper Cæsaris auctoritate priuilegijs, ad fidem inclinati. Res autem sic gesta. Vissouiczium nostri sabbato ante Dominicam primam Auentus pertigerunt: & sequenti die populo vel ipsa nouitate sacrorum isthic iam sexagesimum annum intermissorum illecto, Sacrum à Patre celebratum tanta multitudinis, quæ ex sacrorum ignoratione procederet irreuerentia, vt stantes atque sedentes, etiam dum sacra cleuaretur hostia, ad officium interpellare oportuerit. Sacro interfuit cum vxore & liberis Dominus, sicut & concioni, quæ post Sacrum habita, ea  
Spiritus



Spiritus S. gratia, vt ex eo tempore Domina, numquam amplius hæretico Ministro aures præbere sustinuerit; quem tamen alias tam auidè audiebat, vt etiam ter in die declamanti, vacare non fastidiret. Habita sunt hæc prima Sacra, in sacello reliquo, ex magnificentissimo quondam templo, tumultibus illis Boëmicis à Ziska destructo: Id verò sacellum ab prædecessoribus suis hæreticis Dominis, non solum omnibus sacris monumentis eiectis, sed & introductis ad stabulandum venaticis canibus, imò & conuersione in secretum secessum, quàm indignissimè pollutum. Dominus, & zelo religionis, & fundatorum templi, qui inibi sepulti iacebant, pietate motus; expurgauit, & in formam templi redactum, imaginibus, alijsque templorum insignibus, exornauit. Non prætermittam quiu recitem miraculum, quod in violatione huius sacelli circa Seruatoris Crucifixi effigiem accidisse narratuit Dominus. Inter cætera enim veteris religionis monumenta, quæ fuerunt in eius sacelli violatione eiecta, fuit Christi de cruce pendentis effigies, in ligno sculpta: quæ cœcis ad exurendum data, tantum abest vt arserit, vt potius tribus continuis diebus, in igne relicta, guttatim sudarit. In hoc ergo sacello ab aliquot iam annis perpurgato & exornato, Pater noster primus operatus sacris, & Domina & subditorum conuersioni dedit initium. Ex eo enim tempore priuatis colloquijs ita cum Domina actum, vt proximè sequenti Christi D. Natali die, vnà cum liberis maioribus & gynecæo, cæteraque familia, peracta confessione, sumptaque publicè sub vna specie Eucharistia, magno mariti animi sensu & voluptate, Ecclesiæ Dei nasceretur. Sed verò quàm accedentem ad Deum præparare se ad tentationem oporteat, exemplo suo Domina recens conuersa docuit. Nam vt taceam Ministri &

Dominorum Dominarumque illam visentiũ importunas inconstantia in fide exprobrationes; certè molestissima videri potuit delicatæ mulieri visitatio Dei de cælo, ea ipsa hebdomade, qua primũ communicauit, grauissima se corporis ægritudine inuisentis. Vt enim tolerabiles essent cruciatus, quos tamen grauissimos toto corpore experiebatur, adeò vt nusquam consistere, nullam quietis partem capere posset; certè recens conuersæ mulieris, & necdum consolidatæ, non nisi graue accidere potuit, insultantium sibi, se visentium hæreticorum voces in tantis cruciatibus exaudire. Ægritudinem hanc mutatæ religionis pœnam esse; cum in eam statim à mutatione inciderit, quæ antea Lutherana, semper vicens & florens fuisset. Adfuit verò ita afflicta Pater noster, & quâ prohibendis importunis interpellatoribus, quâ pijs colloquijs cum ea miscèdis, eius animũ sic crexit, vt & peteret ab omnibus veniam, quos aliqua inconstantia significatione in tantis doloribus offendisse videri poterat, & repetita confessione atque communionem, etiam ad grauiores dolores, imò & mortem in fide suscepta oppetendã, se paratam diceret. & certè quod præ se tulit, re ipsa præstitit. Nam cum eadem penè hora post repetitam communionem, grauioribus quàm antea doloribus incesseretur, & constantiam ipsa in fide tenuit, & elusis vexationibus quibus impetebatur à suis, eos ad fidem pro qua suscepta videbatur affligi, exhortari non destitit. imò verò vt suam aduersus fidem obseruatiam, atque in ea constantiam etiam posteris testatam faceret, ipso ægritudinis tempore, quæ in semestri ferè spatium excurrit, sacra supellectile templũ ab illa omnino vacuum suis sumptibus instruxit, & exornauit. Iam verò liberata cum prouentu tentatione & ægritudine, fidem quam suscepit, operibus



bus pietatis in pauperes munificè colit. Dum verò salus Dominæ procuratur, non est neglecta subditorum. Nam in primis obitæ Ecclesiæ tum parochialis oppidi, tum filiales duæ pagorum, & expurgatæ; in quibus aliqua sed exigua veteris religionis monumeta reperta. Et verò rusticos simplices aliena potiùs malitia, quàm sua voluntate aberrare deprehendentes nostri, de ijs reducèdis per debitam institutionem, sategerunt. Et quoniam eorum instituto præsentia Ministri plurimùm videbatur officere, actum vt pelleretur. Pulsus autè hoc modo. Parœciæ quam vocant collatura, quæ erat in oppido, in Illustrissimum Cardinalem Episcopum Olomucensem à Domino est translata. qua accepta dat Illustrissimus ad Prædicantem litteras, vt ad diem dictam, sibi, tanquam legitimo suo Prælato, se sistat; ad senatum, vt suum in ea re ius non impediatur; ad Dominum, vt auctoritate sua negotium promoueat. Prædicans, Prædicantissimâ suâ, quæ nec cedere, nec sisti Prædicantem volebat, timidior, cedere parœciæ maluit, quàm Illustrissimo se sistere. Ergo cum Dominus, auctoritate Cardinalis vrgeret negotium, Prædicans post duos dies excessit; graui animorum in populo excitato motu. Vt enim auditum de discessu Ministri, oppidum eiulatibus, omnis generis hominum personate, concursus omnis ætatis & vtriusque sexus ad parœciam fieri, vt sese ad vltimam in insequentem diem profanam cœnam præpararet: quæ etiam partim peracta, partim ipso discessu impedita fuit. Demum tamen curru euectus est Prædicans, effundente se totius oppidi multitudine ad comitatum illius: qui vt partibus suis non deesset, in speciem quidem ad constantiam in Euangelio, re ipsa verò, vt euentus docuit, ad tumultum multitudinem prouocabat. Nam regressa in oppidum multi-

tudo templum init, & decantata nescio qua cantilena, illud spoliat; inde parœciam lustrat & lustratam, itidem vt templum occludit: postea furens in pratorium ruit, ibique depositis quas abstulerat ex templo rebus, in forum descendit: & publicè contra Dominum, vt violatorem priuilegiorum, consultat. Consultationis is fuit exitus, vt Vicecapitano prouinciæ deferretur Dominus, tanquam qui antecessorum priuilegia violaret. Habet enim oppidum ab prædecessoribus Dominis, ob signatum pluribus sigillis priuilegium, vt quemuis excepto Romano admittere, & ad recipiendum Romanum Pastorem, cogi non possit. Iure verò patriæ cautum, vt antecessorum priuilegia successores inuiolata seruent: atque ita quidem vt ab usu hæreticorum ius in iniuriam trahentium, & dentur sacrilegè priuilegia in iniuriam fidei, & quæ sic data fuerint æquè sacrilegè, ijs quibus data fuerint seruentur. Hoc itaque iniurioso fidei prætexto iure, suas apud Vicecapitanum contra Dominum querelas deponunt, & suum sibi Ministrū vi priuilegiorum poscunt restitui. Interea cum Illustrissimus de abitu Ministri certior factus est, dat vnas ad Patrem literas, quibus ei onus Parochi pro tempore imponit, alias ad senatum, vt Patri atque legitimo Pastori obediat: acceptis litteris Pater, cum potestate parœciam occupat, & Pastoris in ea munera obit. Oppidani verò ex suis amplius centum ad Vicecapitanum ablegant Brunam, litteras protectionis impetrant, quibus mandatum Domino, vt & priuilegia subditorum seruaret intacta, & dimisso nouo priorem Pastorem restitueret. Legati re, vt existimabant, benè gesta, læti reuertunt, & ex itinere ad Prædicantem exactum deflectunt. Cum is abesset, Prædicantissam fausto hoc nuncio beant: ad eò vt impotens sui mulier, se non contineret,



tineret, quin Vissouiczium vsque excurreret, spectatum, quàm pudendè Pastor ab petulantibus hædis extruderetur ouili. Sed cassa spes ampliùs infelicem affixit. Nam cùm senatus exhibitis priùs Domino Vicecapitanei litteris, Patrem & suo, & Vicecapitanei nomine per missos ad illum quatuor senatores, ad excedendum vrgeret; nihil aliud responsi tulit, quàm cessurum libenter Patrem, si à suo legitimo Magistratu, vt est parœciæ impositus, ab illa cedere iubeatur. Magistratum autem suum cui obaudire debeat, nec Vicecapitaneum esse, nec senarum, sed Illustrissimum Cardinalem. Approbavit constantiam Patris Illustrissimus, & datis ad eum litteris, quas, si per Vicecapitaneum ad excessum vrgeretur, opponeret, in parœcia constabiliuit. Oppidani & sua ipsorum sponte, & vicinorum hæreticorum instinctu, cùm se nihil profecisse aduerterent, rursus legationem ad Vicecapitaneum adornant, orantque vt se non deserat, & sua priuilegia tueatur. Verùm cùm Vicecapitaneus quidquid ageret proficeret nihil; eò quòd Dominus reiecta in Cardinalem collatura parœciæ, totum hoc negotium à se in Cardinalem reijceret; impetrarunt à Vicecapitaneo, vt illis præfigeret diem, quo in iudicijs publicis experirentur iurè cum Domino, an ille collaturam priuilegiatam in D. Cardinalem trāsferre potuerit: addita monitione, vt pendente lite cum oppidanis reliqui subditi, in fidei libertate, iuxta priuilegia relinquātur. Dum ergo lis in hunc modum pendet, Pater nihilominus cum socio, tam in oppido, quàm pagis annexis, probi Parochi munus obiuit: quod non ex fructu solùm, sed & maximis in eam rem per semestre impensis laboribus, constare potest. Distributis enim in noctem & diem laboribus, sub vesperam quidem pagos obibat: quòd alio tempore disten-

tos laboribus rusticanos homines, ad disciplinam  
 congregari non posse videret: antelucano verò  
 tempore, ad oppidum reuersus, post celebratam  
 Missam, totum se vel baptizandis infantibus, vel  
 sepeliendis mortuis, vel catechizandis rudibus &  
 similibus pietatis officijs, impendit. Tantos autem  
 & tam continuos labores ea abstinentiæ commen-  
 datione susceperunt nostri, vt eum ferè pernocta-  
 rent in pagis in multam noctem catechizandis rudi-  
 bus occupati, non nisi bis toto semestri cœnati  
 sint: ideoque & Apostoli & Apostolici viri vulgò  
 audierint. His verò laboribus, qui in præsentì  
 responderint fructus, exigui non fuerunt. Nam re-  
 tenta possessione parœciæ, alias duas Ecclesias,  
 quas filiales appellât, in pagis reconciliarunt: vsum  
 signi S. Crucis, qui in ludibrio erat, induxerunt;  
 cruces ad pagos singulos, & in vijs publicis, testi-  
 monio reuocatae fidei, & memoriæ Passionis Do-  
 minicæ, erexerunt. Docuerunt Angelica salutatio-  
 ne, Catholico ritu, Deiparam salutare: dedocue-  
 runt omittere ex oratione Dominica petitionem  
 sextam, malè doctos ab Ministro, qui omittendam  
 diceret, eò quòd Deus intentator malorum esset, &  
 neminem ipse tentaret: ter quotidiebus salutandæ  
 B. Virgini æris campani pulsum restituerunt: ritus  
 Ecclesiæ in administrandis Sacramentis, potissimùm  
 verò matrimonio atque baptismo, & rerum diuer-  
 sarum sacris benedictionibus, inuexerunt: suppli-  
 cationes non sine grato concentu, populi & senio-  
 rum approbatione, qui se pueris eadem fieri solita  
 dicerent, per campos & agros susceperunt: festa &  
 ieiunia intermitteri solita, statis diebus seruanda  
 persuasuerunt. Illud etiam circa festa vtiliter insti-  
 tuerunt, vt in pagis & ante & post meridiem, non  
 minus, quàm si ad Sacrum & Vesperas conuenien-  
 dum esset, pulsaretur: & in templo orationes &  
 canti-



antilenæ sacrae, præcinente a dituo, haberentur. atque hoc semel in pagis susceptum, etiam nunc constantet seruat. Denique habito ad oppidanos atque paganos quotidie de officio Christiani hominis sermone tantum effecerunt, vt in toto dominio religio Christiana vigeret: tantum, quòd pendete lite, SS. Eucharistia, & Sacramentalis Pœnitentiæ vsu inducere non potuerint. Etsi enim continua illa semestris spatij cura, pagos omnes etiam ad hæc Sacramenta Catholico ritu suscipienda induxissent: adèd vt dicto & accepto in imminentem maiorem hebdomadam diè, singulos pagos per vicos hæc Sacramenta obituros expectarit Pater; malorum tamen hominum consilijs, & verò etiam Ministri exacti, qui eos ex vicinia identidem reuisebat, & pane profano pascebat, exhortationibus, & denique etiam Dynastarum quorundam certa pollicitatione, futuræ, auctoritate publica, ad festum S. Georgij mutationis Parochi in Lutheranum priorem, res tota inuersa est. Cùm verò etiam post festum S. Georgij non reuocatus esset Lutheranus Minister, Pater exprobrata inconstantia paganis, interrogauit eos, quid causæ esset, quòd qui animo essent Catholici, atque adèd ijs quæ à se dicerentur assentirentur, fidem tamen quam probarent, non palàm, vt condixerant, profiterentur. Illi suæ inconstantia nullam aliam obtenderunt causam, quàm vel metum, vel spem mutationis Parochi, quo mutato, mutandam ipsis iterum religionem. cum autem ex Patre intelligerent, nunquam amplius in eam parœciam Lutheranum intrudendum Ministrum, collatura in Illustrissimũ Cardinalem translata, quò suam aduersus religionem Catholicam propensionem ostenderent, & verò se id quàm maximè optare dixerunt: nihilominus tamen lite necdum decisa, quoad reliqua

quidem Catholicos se esse, communionem tamen sub vna specie se non suscipere. Igitur cum res eo loco esset, vt post conuersionem Dominæ, & aliorum 80. nec cum oppidanis, nec cum paganis, nostri lite pendente vltius profecturi quidquam viderentur; soluta est hæc missio, Patri nostro in parœciam substituto sacerdote Catholico, qui quæ Pater tam in oppido, quàm pagis laudabiliter introduxisset, operâ conseruaret suâ, quoadusque causa decisa, maior bene gerendi spes affulgeret. Et licet post nostrorum discessum magnopore timeretur ne pro subditis contra Dominum in iudicio pronunciaretur, fauentibus in eam rem potentioribus quibusque Dominis hæreticis; de consilio tamen cuiusdam magnatis Catholici actum per nostros vt causa ab tribunali prouinciæ transferretur ad Cæsarem, felicissimo euentu. Cæsar enim re intellecta, pro sua aduersus religionem pietate, Commissarios vt vocant deputauit, qui ad iudicia prouinciæ euocatos subditos, & ad præstandam obedientiam Parocho, & pendendas illi decimas, suæ Maiestatis nomine cogèrent, & ipsum autographum prætexti hætenus de libertate religionis priuilegij, Pragam à sua Maiestate Cæsarea examinandi deferrent. Spes est certissima fore, vt non solum hæc istorum priuilegia, sed & plurium aliorum subditorum, quæ à Dominis hæreticis magno religionis detrimento, recens post istam controuersiam, etiam auctiora in odium religionis data sunt, rescindantur omnino: atque ita nostri laborum suorum susceptorum cum in institutendis huius dominij subditis, tum in hac controuersia promouenda fructus vberrimos referant.



*Collegium Sellienſe.*

**A**Luit hoc anno Collegium è noſtris duodeuiginti: ex his oſto ſacerdotes. Vita exceſſit vnus Iacobus Vitus, omnibus Sacramētis rite communitus, qui fabricæ opera in Collegio exercuit, boni exempli & multi laboris Frater; ſperamus eum ſibi in cælo diuitem mercedem accumulaffe. Ad Societatis tirocinia admiſſi tres: interea dum noui Collegij fundamenta iacerentur, antiquæ habitationis, quæ accedentibus pluribus perſonis anguſta nimis & incommoda fuit, aliquot cubicula & hypocauſta ſunt adiuncta. Auſpicato primus literarum ortus illuxit; ea enim iam diſcipulorum acceſſio facta eſt, vt hoc in oppido ampliùs 400. numeraremus. Facile ex his primordiis conii cere licebit, hinc noſtros in erudiendâ iuuentute operam non perdituros: flagrat enim diſciplinæ ardore Vngara pubes, & libenter ad earum emporium vbi poteſt concurrit. Verùm ecce, dum felice auſpicio hæc geri prima fronte videbantur, gymnaſium, quod iam multa & clara nobilitabat iuuentus, menſe Maio, dum floretet omnia, peſtilentiæ cōtagione diſiectum eſt, Patres & fratres ad Thurocenſem Reſidentiam abierunt. Sellix relictæ duo ſacerdotes, cum quatuor è noſtris Adiutoribus, ad ſeruandam domum & ægros ſolandos, Commigrarunt vnâ grandioris ætatis ſtudioſi aliqui in eūdem locum, vbi cum commorati fuiſſent inſtituebantur vt loci commoditas dedit. ad finem tamen lectionum inagiſtris ad alia Collegia proficiſcentibus, diſcipuli quoque aliò conceſſerunt: vix paucos fouemus, ſed ingenio atque pietate præſtantes: ſperamus tamen fœda hac lue abeunte priſtinam celebritatem reſtituram. Noſtros in-

ret

rer fœdam pestilentiam commorantes, singularis prouidētia Dei protēxit. correpti eo morbo sacerdotes & Frater vnus, nostrorum tamen diligenti, maximè verò cœlesti cura incolunitatem receperunt. Alius verò qui etiam pestiferorum confessiones excepit, diuinis fatus remediis à lue immunis euasit. Incolarum mille plus minus hoc virus interemit. Nihilominus ea in oppido hominum frequentia superest, vt vix pestem ibi grassatam concīceres. Nunc autem sopita iam lue, quotidie reditum meditamur. Dum hæc fœda contagio hominum corpora depasceret, nos plenas animarum id temporis segetes demessuimus, atque in horreum Christi inueximus. Laboratum est tum domi, tum foris variis in locis. Confessiones domi exceptæ sunt circiter mille & quingentæ: ex his autem vniuersæ vitæ maculas deleuerunt ducenti. Ab hæresi liberati ampliùs centum & viginti. Reperiti perimulti, ætate iam decrepita, non longè à sepulchro distantes, qui septem, decem, & viginti annis, aut etiam nunquam sua facinora apud sacerdotem expiarunt, plures qui eadem in confessione sæpiùs repetito sacrilegio celarunt. Quædam persona cum in grauissimis sceleribus multos annos ageret, sæpiùsque confessionis Sacramentum obiret, nec tamen nisi leuiora recenseret, sæpiùs sacrilego ore Sanctissimum Christi corpus è sacerdotis manibus acciperet, à Deo benignissimè admonita, lecto affigitur. Verum nec sic correctæ, sacerdotem quidē accersuit, sed priora facinora nouo sacrilegio auxit, celauit omnia: sed peritissimus medicus, contra tantam morbi vim fortiorem medicinam adhibuit, terrorem incussit, ad portam mortis deduxit. ibi cum iam in vltimo exitij periculo sic constituta esset; ecce per quietem videt à parte capitis astare quendam (dixerim Angelum tutorem)

tahbus



talibus egram alloquentem, Vide, confitearis sincerè tua grauiſſima ſcelera ne ſine integra confeſſione moriaris. Quod & fecit, magna doloris & contriti animi ſatiſfactione, atque cum anima ſimul corpus curauit: nam ſtatim omnibus obſtupeſcentibus conualuit. Similia extiterunt trium aliarum perſonarum exempla, quæ graui morbo cùm laborarent, atque ante oculos mortem obuerti cernerent, ſacerdotique conſcientiæ vulnera aperirent, animo medicinam fecerunt & corpori. Vna tertio, reliquæ etiam paucis diebus incolumes à lecto ſurrexerunt, beneficium vni cōfeſſioni tribuentes. Nobilitate & diuitijs celebris alia perſona timoribus quibuſdam dæmonis exagitata, pro ſpirituſali remedio ſuum hæreticum Prædicantem acceſſit: afflictam abſque ſolatio à ſe expedit dicēs, Tale remedium nullum eſt mihi. Hic igitur cùm ſpes omnis ceciſſet, iter aliò vertit, ad nos ex ſuis fundis non modico ſpatio pedes contendit, meliores medicos requirit; inuenit; anteactæ vitæ confeſſione turbatum animum tranquillat, hæreſim abiurat, ſe diuino paſtu confortat, atque cæleſti voluptate perfuſa ſe nouam vitam agere credens, domum repedit. Fuerunt plurimi qui taciturnitatis velo in confeſſione ſua commiſſa texerunt, timoribus & conſcientia ſclerum ſtimulati, tandem ſincero & magno doloris affectu ſacrilegam animam ſacerdoti aperuerunt, & timoribus & ſtimulis expediti, ad ſua redierunt. Super eſt illuſtre, quod in hunc locum referatur exemplum. Vir quidam venerandus, cùm multorum annorum ſenex, Turcarum ſubditus in inferiore Vngariæ parte, procul ultra Budam degens, cùm nunquam Romanæ Eccleſiæ limen exceſſiſſet, ac nullum multo tempore præbyterum, cui ſuas animæ noxas exponeret, nanciſci quiuiſſet; tandem orta fama accepit Selliz eſſe ſacer-

sacerdotum copiam auitæ fidei & sanctæ (vt ipse aiebat) vitæ. excitus hac opinione bonus ille senex, magno itinerum interuallo, sed maiori confessionis desiderio, Selliam accelerat. Strigonij iam intrat campos, sollicitatur feruentis animi studium. notius quidam, ad quos fortè diuertit, suadent ne lassus se longiori labore conficeret; vicinum eiusdem fidei sacerdotem monstrant, haberet in promptu quod tanta molestia quæreret: rogant, instant. verum in sua sententia firmum nullis rationibus à suscepto proposito amouët; Sinite me, inquit, Selliam ad sanctos pergere sacerdotes; anima mea ibi vult cõquiescere, atque sic iter suum persequitur, vsque ad definitum terminum. Quò cum ipsa feria sexta maioris hebdomadis peruenisset, recta in templum diuertit, vnum è nostris Patribus accedit. posteaquam omnem conscientiam confessione magno animi sensu explicasset, tanquam alter Simeon, vir grandis æui; exclamare in templo iugenti gaudio, defluentibus per genas lachrymis cõpit, inquit, Domine hoc à te, hoc ex toto corde, hoc à multo tempore petebam, iam libenter moriar; ecce Domine Deus tibi animam meam cõmittò, tibi eam accipe, si ita iussum fuerit. Hæc ipse, qui ita resolutus deinceps perpetuò in nostro templo fuit, Deum laudibus & gratijs venerans. Cùm nostri se in excipiendas confessiones impediunt, sit vt multa scelera ex animis euellantur, multorum vitæ corrigantur, & ab imminente exitio vindicentur. Nami matrimonia corriguntur; familiæ ad honestam vitæ rationem inducuntur; pecuniæ illicito quæstu sollicitatæ debitoribus remittuntur, inanes obseruationes & superstitiones tolluntur, iræ, odijque incendia restinguuntur, egeni & debiles stipe collecta, afflicti consilij subleuantur, moribundi curantur, supplicio affiendi diuinis Ecclesiæ præsidij



dijs præmuniuntur, ad patientiam in tormentis, ad constantiam in pietate accenduntur. Fuit qui implacabilis in inimicum suum fureret, nec vllis precibus suorum à peruersa vindicandi voluntate diuerti posset. nostri Patris monitis ita se ex inimicitijs in gratiam recepit, atque si nunquam læsus à quopiam fuisset, & elutis ritè sordibus, sanctissimoque epulo percepto pacatus domum redijt. Illud etiam hoc loco inferere lubet, ex quo sacrarum reliquiarum vis elucescat. Mulier quæ difficultate partus laborauit, & cruciatus diuturnos pertulit, auxilium spirituale à suo confessario petijt; accepit thecam sacrarum reliquiarum, atque confestim puerum enixa est. Concionum & Christianæ doctrinæ in nostro templo traditæ, est vberimus fructus. Prima nobilitate eximius parens sed hæretica labe fœdatus, charissimum sibi filium, literarum causa ad nostras scholas direxit; sed veritus ne consuetudine nostrorum orthodoxam doctrinam hauriret, callidè eum in diuersa Collegia distraxit, sperans eum posse tali ratione studiorum classes omnes percurrere, & prauæ religionis animum conseruare. Sed frustra ille contra diuinum consilium suas artes tenuit: nam adolescens ille Selliz concionibus permotus vnum è nostris, cum quo de religione conferat, vtrò accedit. dubijs abunde solutis, ad exomologesim instructus, ad quam cum se tribus diebus præparasset, quarto quo rectè Viënam abducebatur, totius vitæ maculas confessione eluit, & sacro viatico se muniuit: sicque prius in Romanam Ecclesiã, quàm Viënam redijt. Duorum, hæreticæ fidei militantium Haidonum (vt vocant) diuersa prodire exempla. Alter postquam de rebus diuinis dicentem in templo audiuisset, cælesti lumine illustratus, annorum omnium culpas agnouit, exposuit, & Catholicis castris nomen dedit.

dedit. Alter etiam quòd pro more contra ebrietatem multa è suggestu dicta, ebriorum mores expressi, turpitudines, & pœnæ apud inferos imminentes declaratae essent; mox vt pedem templo extulit, intra cœmeterij adhuc septa cõtumelijs diuini verbi præconem proscidit, socios ad œnopolæ cellam pertraxit, temulentus equum conscendit: denuo in foro ante popinam ex qua vinum prompserat, in sacram concionem multa probra vomit, vnaque in altum quasi insultans, securim iaculatus, delapsam dum capere nititur, pollicem manus acie findit, atque omnino perdit: sic meritas temulentæ linguæ pœnas eadem die persoluit. Iam qui foras animarum causa discesserunt, ne ij quidem inanes redierunt. Facit enim tum illustrium virorum contentio, tum animarum summa necessitas; vt multa lustremus oppida, multos concurreremus & obeamus pagos. Atque imprimis nostram operam expetijt pientissimus Præsul Nitriensis, & nostri studiosissimus Franciscus Forgatz. ablegatut ergo Nitriam vnus è Patribus cum Fratre socio. Ibidem conciones magno audientium fauore, admiratione & fructu sunt habitæ, confessiones exceptæ, animi ad Catholicam religionem inclinati. Euulgata epistola hæretici præconis, contra quædam fidei Catholicæ dogmata, à nostro confutata est scripto, vt hætenus hæreticus Prædicans ne hiscere quidem sit ausus, magnæ licet inter suos opinionis. Magnificus quoque Dominus à Molar Austriacus, Commorienfis, præsidij supremus præfectus, quemadmodum & superiore, sic hoc anno vnum è Patribus pro confessionibus impetrauit. Huius operâ Baro Boëmus, qui hæreticorum consuetudine, nunc Pikardi, nunc Lutheri factionibus militauerat, ad Romanam Ecclesiam, suos errores palam & hæreses damnans, se contulit, cum ingenti



ei multorum, præcipuè verò magnifici D. à Molat admiratione. In eodem loco ab hæreticorum prædore vindicatum est templum & ritu nostro lustratum. Pijssima porro magnifici coniunx, sacra veste, qua altare prætextitur venusta satis, nostram ecclesiam donavit. In noua arce, siue Viuar, duo Caluinij pestifera opinione correpti, salutaribus mysteriorum medicinis sunt restituti. Alijs in oppidis atque pagis messis non fuit diuersa. In generalibus porro regni comitijs, duo è nostris sacerdotibus fuerunt; auditæ ab ijs non pauca confessiones, habita frequenti magnatum & nobilium, cæterorumque concursu concio, cum applausu Catholicorum, stupore hæreticorum. Thema propositum erat, summum Pontificem Vicarium Christi non esse Antichristum. Sermo conuiuiorum illis diebus præcipuè celebrabatur de argumentis contra aduersarios, quæ plurima erant, allatis, effectumque vt Pontificem nec esse, nec posse Antichristum dici, facile cõcederent. Concesserunt hinc quoque in Illyriam Zagrabiam vsque, graui & spiritali negotio exciti duo Patres. gratissimus ibi nostrorum aduentus accidit: nam postquam concionibus diuini verbi semen mandatum esset, is confestim fructus erupit, vt multis horis, ad magnam corporis lassitudinem vniuersæ vitæ culpas exponentibus aures accommodarint, magno cum populi solatio; eò quòd circa illa loca sacerdotes, licet Catholici, à multis nihilominus annis ritum veræ confessionis, quo speciatim noxæ enumerantur, intermiserint, hæreticos imitantes, populo non approbante, magna cum animarum iactura. vbi si per mensem data fuisset potestas morandi, (quod populus summè contendebat) integræ confessionis gratia amplius sex millia, vt illi referebant, ad expiandas omnium annorum labe confluxissent.

Fuit ijs in locis persona quæ malè vehementibus scrupulorum aculeis accipiebatur, propterea quòd graua peccata suo Parocho cui non fidebat, celauerit, repetitis antea ctæ vitæ confessionibus, exoluta in lachrymas, & gemitus resoluta tandem læta conqueuit. Alia quæ aliquot annis cacodæmonis operâ victum procurabat, partem sui corporis ei deuouendo, nostrorum occasione pœnituit, consilium mutauit, & flagitio expiato vitam correxit. Noster sacerdos cùm parentem ea in missione inuiferet, quòd spirituales gratias, pro filiali amore referret, sollicitatus est à parente ad defectionem, promisso Episcopatu in Vngaria à Cæsare operâ magnatum impetrando: sed non minùs prudenter, quàm fortiter filius restitit, multis rationibus parentem à sententia diuertit, & graui oratione ita commouit, vt ad extremum parens in filij amplexus & oscula profluentibus lachrymis rueret, eumque ad sanctam perpetuamque constantiam hortaretur, se precibus, filiolum curæ illius commendaret. Idem sacerdos sororem, Lutheri falsis opinionibus corruptam restituit, & Sacramentis comuniuit. Hæc in Missionibus. Ad maiorem discipulorum nostrorum profectum, piam Deiparæ Virginis Congregationem instituinus 13. Februarij, præsentente pientissimo & nobilissimo Antistite Nitriensi, qui in album hunc quoque inscribi voluit. post diuinum sacrificium, & totum negotium Deo piè commēdatum, post carmen & orationem Præsuli recitatam, solemnī ritu more aliarū Sodalitatum, & Rector Congregationis & Assistentes suffragijs fratrum sunt electi. Pomeridiano sole in area scholarum, magna frequentia populi datus est in theatro Damascenus. Sodales ergo, licet primo ortu pauci, virtutem colere, pia opera exercere, fructum metere incipiunt: namque præter voluntarias



luntarias macerationes, quas inter priuatos parietes suscipiunt, publicè etiam sabbato magno ad Seruatoris nostri sepulchrum flagris acriter ternis vicibus in sua terga sæuierunt. Spectaculum erat incolis hætenus inuisum. processerunt fratres longo ordine per forum saccis induti, ad templum, manibus flagella gerentes, vno crucifixum præferente. concurrabant vndique homines tanquam tragædiam spectaturi, multò etiam magis attoniti cum flagrorum ictus & strepitus in nudis tergoribus audiuerunt. Nec solum hi tirones in dura corporis disciplina constituti, sed aliùs virtutum radices in animis agunt, prauos affectus eradicare, conscientia maculas sæpiùs eluere, cælestem panem suscipere, se mutuo inflammare, proximis exemplo prælucere, salutis suæ prodigos à sceleribus auocare discunt. Factumque est eorum operâ, vt nouem ex Haidonibus, ad sanio rem mentem & salutarem confessionem sint adducti. Est enim studiosis frequens occasio cum eisdem piè agendi. delectantur & ipsi nostra litterarum palæstra, & exercitationibus, tum priuatis, tum publicis libenter intersunt, licet nil eorum quæ dicuntur, intelligant, actionibus tamen, mirum, iuuenum quantum delectentur. Est & illorum in nostros propensus animus. Accidit, vt hæreticus in templo nostro, futilibus verbis, sacros ritus carperet. non tulit has voces Haidonum præcipuus, aggreditur irrisorem, clauam vibrat: sed hic istum persequi prohibitus à circumstantibus, alter verò confusus portam quaesuit. Sed ad nostros redeamus. Pro Sodalibus duobus, pestis veneno infectis, Pater Congregationis Præfectus à reliquis summè contendit, vt pro incolumitate ægrorum preces funderent. placuit obsequi, studiosè fuis precibus morbum ab vtroque abegerunt. Minorum verò discipulorum gens in

Scholis edocta nixis genibus orare. hoc domi cum exercent, parentes dicere solent, suos filios sanctos esse, discuntque à filijs Deum rite orandi modum.

### *Residentia Thurociensis.*

**A**B ineunte anno vsque ad Maium quinque sacerdotes, quatuor Coadiutores aluit Domus Thurociensis. Deinde Sellia peste corrupta, ex Collegio quinque Patres, & sex Socij accesserunt, qui ad extremum annum in hoc perfugio vitatae, cum aliquot alumnis Collegij munera Societatis obiere. Vnum periculosius deiectum non minus sacrificia cum orationibus, quam pharmaca erexerunt. In nouitium duo missi: vnus alumnus sacerdotio ornatus, parochiæ Varalliësi præfectus. Visitati crebrò infirmi, doctrina Christiana per pagos tradita. Sermones ad populū quatuor in templis, festis & Dominicis diebus habiti, fructu cuius non pœniteat operarios. Populus in Paschate totus, frequens alijs solemnioribus festis in sacra communionē visus est. Cingulo S. Petri (vt vocant) mulier partus difficultate liberata. Nonnullæ virgines locupletes sponso repudiarunt, ne non Catholicis nuberēt. Quidam suis vlulatoribus valere iussis, nos causa salutis & sacrorum accedūt. Quin etiam maritalæ crucem Christi laudibus humanis præferunt, & contempta suorum ignominia, per Patres nostros cum Deo gratiam ineunt. Fuit, quæ suos deseruit, vt vitam inter subditos nostros in Catholica religione finiret. Vndecim Catholicam fidem amplexi: totius vitæ maculas deleuerunt 26. Inter quatuor familias discordiæ sublata. Famulus herum nobilem à Catholica fide se auocantem valere iussit, atque ad nostros se contulit, ne fidem Deo datam violaret. Virgo hæretico nuptura con-

filium



filiū nostri sacerdotis secuta, Catholico nupsit. Sæpius viris primarijs, amicisq; Societatis expetētibus excursus. aliqua præda nobilis ex faucibus dæmonis erepta, confluentibus ad Sacramenta populis, & molestè ferentibus quòd Patris opera diutius frui non liceret. Cuiusdam loci Dominus à Parrocho vehementer dissentiens in gratiam cum eodem reductus. Virginem ab infantia in hæresi educatam, nec herus vir magnificus, nec hera cuius famula erat, nec mater, nec amici, vt Catholica esse vellet, vllis rationibus permouere potuerunt. Et sacerdoti multis argumentis instanti se malle cum Lutheranis, aiebat, apud inferos esse, quàm cum Catholicis in cælis: ob eam etiam causam Catholicum sponsum, fide iam data obstructum, deserendi propositum habebat. Et cum arroganter bene momentibus responderet, fortem ictum à domino in facie accepit. Eo dolore & ignominia percita adhuc magis sese obstinatam exhibuit. Furentem iudicasset. Denique post multas suas lachrymas, flexa pijs monitionibus, obstinatum animum deposuit, Lutheranisno valedixit, vitam confessione purgavit, Catholico sponso nupsit. Dum hæc scriberentur sepultus est adolescens in cœmeterio parochiali. is aded tenaciter fidem & mores Catholicos quos ante aliquot annos apud nos hauserat, inter Lutheranos retinuit. vt licet pluribus annis apud eos habitauerit, nunquam tamen adduci poterit, vt eorum templa frequentaret. Templum nostrum Sacramentorum & officij diuini causa, magno milliari emenso solitus est adire: & si fortè id præstare non licuisset, domi suæ in angulo tam diu flexis genibus orabat eo tempore, quo sacrificium apud Catholicos fieri meminerat, quoad finitum id esse post horę spatium sibi persuasisset. læsa grauiter valetudine in monte sustollendis trabi-

bus, matrem vt se ad oppidum nostrum deferri curaret, exorauit. nulla enim ratione se Lutheranis cōmunicaturū affirmabat. Aduectus Varalliam confessione peccata expiauit, Sacramenta diuina Corporis Christi & Extremæ vnctionis accepit, excessit è vita lætus. Non defuere quæ pateremur aduersa. Octo vicibus transeunte partim peditatu, partim equitatu copioso, ditiō nostra Thurociensis afflicta est: cū subditis etiam nos non parua damna passi. Lites nonnullæ nostris intentatæ nostrorum operâ pacificè compositæ, Ager non contemnendus ab annis 80. alienatus, pago Sellienti iure recuperatus. Plurimis pauperibus benignè factum, eis præsertim quos mendicare publicè puduit. In panem quotidie distributum ad fores egentibus Lucknæ (genus est mensuræ maioris) plurimè frumenti expensæ; festis solemnioribus & 40. horarum orationis tempore 100. etiam libræ carnis, & 4. capræ consumptæ. Omnibus bene factum. sed præcipuè nostris è Transyluania calamitate redeuntibus, vt ipsi recreatos se ex multa iactatione faterentur. Duo ex his hæserunt Thurocij: quorum alter sacerdos in itinere vulnus à prædone in latere dextro tam periculosum accepit, vt etiam commiseratione Calvinistarum & officijs exceptus sit. Alter verò dum res Societatis qua potest ope defendit, hyberno tempore belli causa à Collegio Claudiopolitano exclusus, inedia, frigore, aquis, niuibz inter tot ærumnas agrè vitam retinuit: denique inter hostes Turcas, & Tartaros securius, quàm inter suos gentiles, Dei beneficio versatus est, donec sedata belli procella ad socios tutè se reciperet. Pagus est Salka duobus miliaribus magnis distans à Domo Thurociensi Societati subiectus. Lutheranam fidem hætenus tenuit; ei parochiæ Lutheranz frequentatione interdictum, & vt

Catho



Catholica religione formetur, nō rarò diebus Dominicis eò sacerdos mittitur. Rustici tametsi ob diurnam consuetudinem Lutheranismi, ægrè adducti vt nostros audirent, & quidam audaciùs obnitentes seueriore castigatione impuls; spes tamen est, sacello erecto, cuius materia iam comparatur, vt & ipsi Salkenses, & vicini non pauci Ecclesiæ restituantur. Templum nostrum crucibus & vexillis, ad solemnes supplicationes, Diuorum imaginibus, & nomine IESV politè illustratis, ornatum. Præter hæc aucta pluribus supellex templi.

### *Collegium Commotouiense.*

Collegium Commotouiense aluit è nostris hoc anno personas decem & octo: Patres septem, magistros tres, reliquos ministeriis domesticis destinatos. In territorio hoc nostro Dei benignitate aliquis est fructus spiritualis collectus. Et certè si nullus esset omnino alius, non contemnendus esset Catholicæ religionis his aridis in locis conseruatio. nihil enim hæreticorum audacia perficere potest eorum, quæ miris modis & artibus machinatur, sola nostrorum præsentia deterrita; nonnulla tamen nostrorum industria Dei benignitate apparuit. Hæresin eiurarunt quatuor supra viginti, inter hos quidam annorum centum, qui ex ipso viuo adhuc Luthero hæreseos venenum hauserat, nostri Patris instructu eiecit. Præter concionem ordinariam quam vnus è nostris in templo parochiali facit, de more ad tres pagos excursus diebus Dominicis Sacri faciendi & concionis habendæ causa. Confessiones de tota vita auditæ quatuordecim præter fratrum Congregationis B. Virginis. Ad sacram communionem, præter studiosos, & rusticos in pagis, quorum frequens fuit nume-

rus, aliquot supra centum adierunt. Quidã à communione & cõfessione à 20. annis abstinerat, semper expectans quamnam tot religiones finem habiturã essent. hic in graui morbo ad veram fidem & Sacramentorum vsum nostri sacerdotis adhortatione permotus est. Supplicatio corporis Christi in duobus pagis postliminiò reducta, magno incolarum gaudio, ritu nimirum quo olim ante hæresin inuectam celebrata fuit. Effectum vt Catholicus ciuis pauperes in hospitali cibo potuque reficeret. Odium inueteratum inter socrum & nurum & filium extinctum, & amor pristinus accensus. Vnus è nostris ad sacrarum virginum confessiones excipiendas vocatus, à duobus milliaribus. Collegium nostrum vnã cum pauperum contubernio Princeps Brunsvicensis inuisit. Prius ad nos quàm ad hospitium à curru venit, diutiùs apud nos quàm in ciuitate moratus, de religione cum Patre Rectore multa perhumaniter contulit. Reuerendissimus Archiepiscopus Pragensis campanas templi parochialis consecraturus, & sacram Confirmationem & ciuibus & studiosis nostris impertiturus, diuertit ad Collegium nostrum, cum Illustrissimo Nuncio Apostolico: vterque carmine & musico concentu exceptus in domo pauperum, in qua 120. aluntur studiosi. In sacello illius domus primum Sacrum fecit Illustrissimus Nuncius, Indulgentias 350. dierum Congregationi inchoatã dedit, item pecuniam ad scamna in sacello construenda. In nouellam illam Congregationem inscribi ipse primus voluit: post ipsum Reuerendissimus Archiepiscopus. Fratres illius Congregationis triginta sex sunt pro initio. in festo S. Catharinæ præuia confessione generali, & sacra communione solemnè ritu professionem fidei Catholicæ emiserunt: atque primariæ Romanæ Annunciatæ B. V. Mariæ acceptis



ptis privilegijs & confirmationis litteris à R. P. N. Generali, & Præfecto primariæ Congregationis sunt aggregati. Studioforum nostrorum pietas & studium in literis sumit indies incrementa. Eruditionis specimen præclarum dederunt in festo corporis Christi exornando tum orationum, tum carminum multitudine ac varietate. Peregrinatio ad B. Virginem Grupnensem hoc anno solito fuit celebrior confitentium & communicantium frequentia, & maiore nobilium aduentu. Magnificus Dominus regni Præfectus Christophorus Popelius à Lobcouitz vexillo centum daleris comparato, familiæque Lobcouicianæ insignibus adornato nostrum ibi templum Deiparæ sacrum condecoravit. Idem ipse cum alijs quibusdam Dominis centum daleros, ad facta tecta dictæ sacræ ædis conseruanda donavit.

### *Collegium Crumlouienſe.*

**H**Oc anno pauciores solito fuimus, xv. nimirum: sacerdotes vi. ex quibus vnus est præceptor; alij præceptores non sacerdotes tres: reliqui denique domesticæ rei administri. Floret gymnasium Crumlouienſe, postquam deserto suo ludo magistri hæretici Mæcenatem secuti, ciuitatem purgarunt; quorum non solum discipuli, sed ipsa etiam notabili numero scamna, in scholas & potestatem nostram commigrarunt: illa adeò cathedra, vnde Lutherani buccinatores toto quinquennio populum dementarant, nobis Cæsaris Commissariorum beneuolentia, quasi quoddam expulsæ perfidiæ trophæum, cessit in vsum gymnasij. Porro pietatem omnium mortalibus alioqui satis spectatam, ipse immortalis Deus, qui facit mirabilia magna solus, visus est in vno approbasse, atque eam

per hunc in ceteris nostris discipulis magis inflammasse. Gabriel Wecker puero annorum circiter xiv. nomen erat. primas hic tam in tertia, quàm in media classe Grammatices (nam eò vsque recens pertigerat) semper obtinebat, cum magna admiratione atque æmulatione equalium; nec posteriores ex probitate referebat. ergo quoniam placita fuit anima illius Deo, incidit in lethalem morbum. Sacramentis munitus, in ipso mortis articulo quiritari primùm cœpit, atrum quendam canem adesse, rogare afflictim vt expelleretur. Sacerdos noster qui cum circumfusa iuuenum corona adstabat, etsi nihil viderent, adpersit tamen omnem circum locum aqua benedicta. Tum ille gratulans depulso cane: Ecce autem, inquit, adest Virgo, & gestat per-elegantem puerulum, qui me ad se inuitat. mox manibus (quas alioqui morbo confectas sustinere vix poterat) obuiam exertis videbatur identidem quiddam velle captare ac velut prehensare, ac vicissim iam hilari renidenti que vultu; iam rursus sollicito & lachrymanti; Veni ergo, veni, veni, dicere. Sic postquam aliquantisper, quasi colludens & secum colluctatus fuerat, tandem formatis in amplexum manibus, & ad pectus suauiter adpressis, iucundissima fronte, En, ait, iam teneo, iam habeo, iam possideo. nec mora, simul hæc dixit, simul in omnium aspectu expirans animam Christo, vt speramus, dilectam reddidit. Corpusculum elatum est, magno carminum & epistolarum licet extemporalis apparatu, que certatim pro se quisque, virtutibus defuncti affatim materiam præbentibus conscripserat. Schola verò in qua summum postremò gessit magistratum, eidem aliquantò post seorsim, in creatione noui Magistratus, summa totius gymnasij approbatione, recensitis ac dilaudatis eius moribus, parentauit. Verùm in curandis suorum

fune-



funeribus, itemque peregrinationibus, cum litania ad vicina templa, per æstiuos recreationum dies suscipiendis; alijsque id genus pietatis officijs præcipuam, vt solet, laudem obtinet Beatissimæ Virginis Sodalitas. Duo hinc ad diuersas Religionum familias se transtulerunt. Hæc ferè domi, nunc prodeamus in publicum. Mutatio Domini huius Crumlouiensis ditionis nõ obscuram peperit animorum commutationem in ciuibus, in ijs præsertim qui à nobis & religione Catholica fuerant alieniores. nõ defuerunt illi quidem suis rebus: mox enim atque Commissarij Cæsaris capessendi dominij causa huc appulerunt, prius quam sacramentum subiectionis posceretur, per supplicem libellum rogant, liceret illis libertate conscientiarum, vt loquuntur, frui: sed cum reiecti non sine iniuris fuissent, atque etiam ipsi inter se dissentirent (erant enim partim Hussitæ, partim Lutherani, partim Picardite) tandem caput tollere non potuerunt, adlaborante strenuè vno è Commissarijs, antequam certus Capitaneus constitueretur, vt nullos cætus occultos cogere possent, veteresque Catholici ritus sensim in consuetudinem reducerentur. Alter quoque Commissarius Dominus Georgius Heideilius veteris Pragæ Cancellarius, eodè vesperè quo huc peruenit, cum se ex arce Crumlouensi à collegarum cœna clam subduxisset, Collegium nostrum familiarissimè inuisit, nobiscum cœnauit, atque inusitatis prorsus officijs omnes nostros excepit. Postridie autem ex collegarum communi consulto publicos carceres ipse, comitante Senatu Crumlouensi, adiuit, vinctos dimisit: pauperum deinde tum studiosorum, tum cæterorum contubernia, xenodochia seu nosocomia visitauit omnia; vbique munificas dilargiens Cæsaris nomine eleemosynas. Quo nomine, bonique auspicij causa solcm-

solemnes postridie Deo gratiæ actæ, quibus tamen hæretici interesse noluerunt. Ab hac Domini re-  
nouatione primo sabbato, audiri cœperunt prisco  
more, pridie festorum æra campana ex arce Crum-  
louiensi, quæ ibi habentur multa, magna, liquidissi-  
moque sono seu potius concentu: ea multos annos  
ingratorum ac triste Catholicis silentium tenuerunt.  
Tum artificum Sodalitia, quæ vetere instruto suū  
quodque sub alicuius Sancti patrocinio habet va-  
riis in templis altare; id à situ vindicare, cereos dum  
diuina peraguntur accendere, & alia id genus mu-  
nia reuocare iussa. nec licuit non obtemperare. Im-  
primis autem princeps literatorum S. Cathariæ  
Sodalitas, prorsus collapsa, erigi quasi de integro  
cœpit, conquistis quæ iam vix sciebantur Soda-  
lium nominibus: apud quos fundatione ac legi-  
bus Sodalitatis perlectis, multæ denique veteres  
propositæ ac innouatæ, si quis ad conuentus & ca-  
nenda solita sacra vel non veniret vel tardaret. Da-  
ta item opera vt senatu ciuico pestilentiores hæ-  
retici mouerentur, atque in eorum locum integer-  
rimus quisque legeretur. At maximè omnium po-  
puli studia ad reducendam postliminiò pietatem  
incitauit, traditum concionatori nostro Germani-  
co nouum S. Elisabethæ templum, quod aliquot ab  
his annis ab hæreticis capaci eximiaque forma ex-  
structum, hætenus Imperatoris mandato prohi-  
bitis Lutheranis Prædicantibus clausum perman-  
ferat. Concionabatur noster in angusto quodam  
apud ædem maximam (in qua Boëmica item à no-  
stris fit cōcio) sacello. inde igitur pridie Idus Quin-  
tiles composito agmine per medium forū ad istud  
quod diximus nouum templum migratum est: ac  
lustrato interim aqua piaculari, & S. Spiritus breui  
inuocatione loco, cœpta concio, tanto auditorum  
numero, vt plures locus capere non posses foris et-  
iam



am ad ianuam vergentem in plateam multitudo  
 atè se effunderet. quam frequentiam duo fecerunt  
 admirabiliorem; primum, quòd de migratione vix  
 se quicquam certò pridie sciebat concionator,  
 sedum vt populo denunciata fuerit: deinde quòd  
 eadem frequentia, deinceps perpetuò constans in-  
 frequentibus concionibus hodieque perseveret; nò  
 ne spe copiosæ messis quæ in dies maturescit. mi-  
 rum enim in modum nostrum collaudant con-  
 cionatorem, ita vt illum præferant ipsis Luthera-  
 nis, quos olim hîc audierant, concionatoribus. id  
 ue faciant ex animo, siue necessitate quam sibi  
 incumbere timent, in virtutem versa; nostrorum  
 quidem valdè ambiunt priuata multi colloquia,  
 instruique velle passim dictitant. Nam publicas  
 conciones, ex illa tanta quæ superiori dominatu  
 nullum omnino templum adibat colluie, nemo  
 iam inuenitur tam perditus qui non sedulò fre-  
 uentet. Longè item quàm alias frequentiores co-  
 cionestarunt tum ipso die festo, tum sequenti Do-  
 minico annuam per forum & publicas plateas cor-  
 poris Christi supplicationem: eam verò exorna-  
 at recitatum à discipulis nostris, pium quod-  
 dam ac breue drama. Carmina quoque, emblemata,  
 ænigmata, & id genus ingeniorum, ex vna Hu-  
 manitatis schola fœtus, tanta copia, ornatu ac va-  
 rietate sunt affixa, vt eo quidem loco nulla Rhetor-  
 icæ iactura à popularibus sit animaduersa. Sunt  
 antiqui Crumlouenses incolæ, qui dicant, ab an-  
 tis xl. augustiori pompa, maioriq̃ cœtu, nun-  
 quam huiuscemodi supplicationem visam. omnia  
 nim opificum sodalitia comparuerunt vexillis ac  
 ereis in longis inauratis hastilibus prælatis, ipsi  
 erò pulchrè composito ordine procedebant: qui-  
 bus omnibus ipsa cæli solito serenior facies visa est  
 irridere. Atque vt par fructus in vicinas quoque  
 circum

circum pagorum & oppidorum parœcias sese effunderet, peropportunè à Reuerendissimo Archiepiscopo Pragensi, consequendæ Indulgentiæ plenariæ per summum Pontificem concessæ causa, huc Crumlouium tanquam ad metropolim & Archidiaconij sedem pro festo Assumptionis Beatissimæ Virginis indicta est totius territorij panegyris. Quamuis autem Dominus Petrus Wok de Rosis, alijque nonnulli vicini Dynastæ ditionum suarum Parochos, ad Crumlouensem alioqui Archidiaconatum spectantes, aliò minaciter ad eundem diem conuocarint; iique timentes ne quod periculum adirent, parendum sibi existimarint; tantus nihilominus hominum numerus, vtriusque sexus sub sacris signis, ducibus duodeuiginti Imperatoriæ ditionis Parochis, cum cantu ordinatè procedentium huc confluit, vt turbis sese prementibus, & à summa æde vsque ad forum omnia complentibus, neque aditus, neque exitus in templo aliquando pateret. Sanè tantam hominum multitudinem, nemo meminit vnquam Crumlouij apparuisse. Quàm autem sponte, nemine licet inducente aut cogente, sola animi in prisecam pietatem propensione impellente id ipsum faciant, luculentè patuit per totum mensem Octobrem, quo tempore ad ædem Deiparæ Caiouensem immensa prorsus hominum vis, ex vltro suscepto voto, singulis quaternis sabbatis, alii semper atque alij ventitabant. Inter quos plurimi visi sunt, ex hæreticorum Dominorum ditionibus, qui que, dum hæreticus rerum ac locorum hic potiretur, propter occultos exploratores & non obscuras vexationes, hanc peregrinandi à maioribus traditam consuetudinem per plures annos intermiserant; nunc licet tui domi non sint, ad audendum tamen plusculum, satis causæ rati sunt se habere, quòd locus quem petunt, meliori iam esset



esset sub tutela. Sacra omnia claudit concio, quam quidem nostri habent eodem tempore duplicem, Germanica videlicet & Boëmica lingua; tanta populi attentione, vt attonitorum similes, nunquam de concionante oculos deponant. Orandus est Deus vt hæc tam albescens messis in horreum eius quàm primùm inferri possit. nam adhuc exiguum quasi primitiarum manipulum retulimus: quippe à Lutheranismò de quibus constet conuersi dumtaxat xiv. ab Hussitis, & (quod nõ longè inde abest) ab vtriusque speciei communionem, ad vnus tres & sexaginta: in his integræ familiæ fuerunt. Confessiones, præter multas plurium annorum correctas, generales totius vitæ ampliùs ducentæ exceptæ; non nostrorum tantùm discipulorum, qui eas ferè omnes sub tempus plenariæ Indulgentiæ fecerunt, sed externorum. Matrimonia illegitima emendata: gratiæ reconciliatæ tum inter coniuges, tum inter alios. verbo, nullum officii nostri munus intermissum. Nam & exercitijs B.P.N. Ignatii excultus nõ nemo. Præter hæc carceres visitati, indeque vni libertas impetrata: agris autem præsertim tenuioribus, nullum ferè est alibi quàm apud nos perfrugiam, non solùm pro medicina animorum verùm etiam corporum. Recensenda supersunt duo miraculi loco habita. Ciuis quidam Crumlouiensis indignatus concionatorem nostrum Dominica Palmaram in carniem voratores inuectum esse; cum pro foribus suæ domus Collegia vicinæ constisset, nullum finem maledicentiæ, & refutandæ illius concionis nostri Patris, summa cum vociferatione, nemine licet contrà respondente, faciebat. Epilogus declamationis ille fuit: Quandoquidem dicitur vobis Iesuitis cæterisque Papistis vsque ad hæc ægrè est, quòd nos Lutherani carnes hoc tempore comedamus; vt vobis hoc multò etiam ægrius

egrius ac molestius accidat, illa ipsa quam vos omnium dierum maximè obseruandam ieiunio censeatis, sexta feria maiori ego in cœmeterio ad summi templi vestri valuas me collocabo, ibique vestram in gratiam, in omnium vestrum intrantium atque exeuntium frequentissimo conspectu, vt vobis pallefcentibus & frustra freudentibus dentes amplius pruriant, & oculi magis doleant, opimam aliquam assaturam iucundissimè epulabor. Videbo quis me vestrum prohibere audeat? Dixit, & abiens se illa oratione Iesuitas egregiè vltum esse putabat: cum interim nescientem & infelicem præsens diuina vltio, in ipsis vestigijs insequitur. Rediens enim domum pestilenti febre ipse, ac duo eius grandes natu filij eadem nocte corpiuntur. Tenuit affixos lecto morbus, quotidie maiori cum cruciatu ingrauescens, totos illos sanctæ hebdomadæ dies. cum dies Parasceues Dominicæ venisset, quo se miser carnes liberè comesturum publice iactabat, vix spirare liberè poterat: agebat enim toto illo die miserabiliter animam. Filius autem natu maior, & ipse ad extremum adductus, iam mentis impos per phrenesim, è propinquo lecto identidem patri occinebat initium cantilenæ celebris, qua vulgò Lutherani in producendis suis ad sepulchrum funeribus vtuntur, apostrophe quasi per sarcasum in patrem flexa. Quid multa? illucescente sabbato sancto mortuus est pater, nec ita multò post filij æquè in malitia pertinaces, extincti. Primatis Crumlouiensis vxor admodum religiosa, atque à teneris Catholica, ingrauescère ætate (est enim maior septuagenaria) diurno que & graui morbo, ad extremum adducta est vitæ discrimen, Sacramentis ad felicem exitum munita. Collegij infirmarius (cum eius opera in tanta medicorum his locis inopia roganti amicissimæ Societati



cietati familia negari non posset) omnem in pi-  
 matrona iuvanda diligentiam adhibuit. sed fru-  
 stra, pertinaci vi morbi omnia superante aut re-  
 spuerit. Quare tandem id, quod erat necesse, admo-  
 nuit ancilam, ut a solo Deo iam opem imploraret,  
 ac in tanto vitæ periculo Christianæ fortitudinis  
 memot, se ad ultimam illam luctam, piis votis ac  
 precibus quoad posset commendaret. Hic illa for-  
 tē confiteta apud ipsam coronam Beatissimæ  
 Virginis, cum ancilla B. P. N. Ignatii arca; obmu-  
 re flagitare coepit, ut illam coronam ipsi daret mu-  
 tuo, promittit se restituendum, aut si moretetur,  
 commendatum in suis ut quàm primum redderēt.  
 dat noster, ac simul iudicat cuius illa esset depen-  
 dens effigies, recenset etiam nonnullas quas hoc  
 tempore Deus per B. P. Ignatium operari dignavit  
 passim in orbe sanctitates. Ne multis concipiant  
 exenarratione Fratri fiduciam. Noster rediens  
 domum renunciat eodem vespere P. Rectori ubi  
 suis sollicitas peccatorias reliquisset, narrat egre  
 in crastinam superstituram. Postridie cum peca-  
 re innotuam, aut certo momentum se tueretur,  
 reperit comedentem, libentem, ambulantem nul-  
 las, imo sine medicinis requirētem Deo & S. Igna-  
 rio Loina gratias agentem in iusto, liberis, ac tota  
 familia tanquam super-ia divina gaudentibus &  
 congratulantibus. Rogata quomodo convalesceret  
 Mor, inquit, atque orare coepitque B. P. Ignatiū  
 invocare, suavitè ut dormire, evigilans cum sume  
 vigeret, cibum poposcit, ita deinceps contrahente  
 melioratio: laus Deo & Sancto Patri vestro Ignatio.  
 Voluit deinde v. san & res gestas B. P. Patri cognos-  
 cere, quare allatus est eius vitæ Germanicæ con-  
 scripser liber, quem avidissime insensit. Ex te inter  
 Catholicos divulgata, magnam consecuta est om-  
 nium congratulatio, eorum periculum, qui quod

tunc primùm cognitum est) in quotidianis præcibus solent eundem B. P. cum cæteris Sanctis inuocare. Sacra Cæsarea Maiestas pensionem Collegij mille ducëtorum, quæ aliquanto tempore impedita fuit, ex Crumlouiensibus vectigalibus solui mandauit. Pons est magna arte ac sumptu sine vllis sublicis flumini Muldurix qui Collegium præterfluit impositus, à mœnibus ciuitatis, subiectum amplum ac peramœnum hortum nostrum Collegio coniungens. Huius pontis clauis statim post mortem fratris Fundatoris Illustrissimus Petrus Rosentis, cum primùm cœpit rerum hic potiri, nostris creptas, in potestatem ciuium tradiderat: nec vllis precibus toto hoc decennio quo Crumlouium possedit, adduci poterat, vt eas nostris redderet. Ferendi ergo fuerant singulis noctibus ciuitatis apparitores, qui hastis armati, atque Collegij penetralia necessariò vltro citroque transerantes, tum pontem clauderant, ac manè rursus referabant: idque non cum nobis, sed plerumque quando ipsis commodū erat. Ab hac seruitute Imperatoris clementia nos statim exemit. imperatū vtique Crumlouienti senatui, vt nulla interposita mora clauis Patribus restitueret: prorsus indignum esse, vt quibus ius aperiendi regni cælestis Deus credidisset, de clauibus oppidi diffideretur. Venit ergo ipsemet Primas, ac multis verbis hanc Collegij iniuriam in superiorum temporum necessitatem deriuans, senatusque ac populi Crumlouiensis studia Collegio prolixè commendans denique clauis tradidit. Rei sacra supellex aucta est quoque hoc anno, calice insignis magnitudinis argenteo atque inaurato, cum omni calicis apparatu, egregiè acu picto.



*Collegium Nouodomense.*

COntinuit hoc Collegium 27. Socios; octo nimirum sacerdotes, præceptores tres, auditores Rhetoricæ nouem, & qui domestica obeunt munia 7. Conciones ad populum duabus linguis habitæ, Boëmica & Germanica. Doctrinæ Christianæ rudimenta diebus Dominicis sub vespertinas preces exposita. Hæresi deposita fidem Catholicam, & vnus speciei vsum amplexi sunt ad 25. Totius vitæ maculas Pœnitentiæ Sacramento eluerunt nonnulli. Æger desperata, ob tormina, & sanguinis ultra 15. libras è naribus emanantis copiam, valetudine, postero quam epulum diuinum sumpserat die conualuit. Feminam hæreticam quod abstemia esset, caryophyllis, zinzibere, & id genus aromatis refocillari oportebat, quoties vel pauxillum speciei ex profano calice suo sorbillatura erat, quod speciem vini omnino ferre non polleret. tandem eò auenturæ deuenit, vt eius loco aquam ex fonte baptisani porrigi sibi peteret: verum à sacerdote nostro instructa, vnus speciei vsu contenta calici valedixit. Nosocomijs & ceteris humanata est opera. & Catholico iudei, qui sinituendi causa quendam hæreticum sibi verbera necemque intentantem casu interfecerat, contra hæreticorum omnem eum ad supplicium rapiscanum conatum vita, patrocinio & auxilio nostrorum obtenta est. Et quia ciues nostri vel Hussitico calice deuentati, vel Lutherana rabe infecti ex animi suam miserabilem purissimi agni perceptione commutare nolunt; ferijs Paschalibus excursionem ad finitima loca instituta, consuetis Societatis nostræ ministerijs ibidem obeundis non sine fructu eximio strenuè

adlaboratum est. Illud præclarè accidit, quòd cum ciues de Parocho nobisque, quòd eos contra Synodi Basileensis pacta calicis & sacri post mortem loci vsu immerentes priuaremus; prolixo apud Illustrissimum Dominum libello supplici conquesti fuissent; luculenta per nostros responsione conscripta, & publicè coram senatu, primarijsque ciuibus ab eorum syndico homine hæreticissimo prælecta insigniter mendacij conuicti & rubore suffusi fuerint. ostendebatur nimirum ipsos, quòd carnes Quadragesimæ tempore vorent, festos dies opificijs suis temerent, hæreticos codices lectitent, Missæ sacrificium paruipendant, cæremonias rideant, Papam Antichristi loco ducant, & id genus plura committant, longissimè à Basileensis conuentis abesse; ac ideo non iniuria seu canes à sancto participando excludi. Ex plerisque templis, quorum patronos agimus, libri, cantusque hæretici amoti sunt. Grammaticæ & Humanitatis classibus hoc anno Rhetoricæ professio vnà cum seminario humaniorum literarum Societatis nostræ Crumlo- uio accessit; quod vt gratum Illustrissima funda- trix, filiusque sibi esse ostenderet non solùm primæ lectioni adesse voluerunt, sed etiam consuetis pro- uentibus 400. annuos daderos adiecerunt. Progres- sum in literis discipulorum drama triplex com- mendauit. Die Veneris Sancto dialogismus An- gelorum ad sepulchrum in templo D. Mariæ Mag- dalenæ Christi mortem plangentium, non laudem tantùm actoribus, sed & piam commotionem la- chrymasque spectantibus attulit. Sacris Corporis Dominici ferijs Rhetores Poëtæque templum pa- rochiale partu ingeniorum suorum vario, vndique ad stuporem multorum vestierunt. Sodalitas B. Vir- ginis hoc anno inter Scholasticos inchoata, & Ro- manæ aggregata, magnos facit in pietate progres- sus.



sus cuius rei argumento fit, quòd octavo plerique die conscientia suæ maculas expiare, & cilicina veste, ac diuerberationibus carnem suam asperè tractare consueuerint. Grauiissima controuersia quam intricatum defuncti Parochi Nouodomensis testamentum Collegio huic pepererat, auctoritate Reuerendissimi Archiepiscopi Pragensis feliciter composita est; & in eum, qui nos ceu raptores bonorum alienorum procaci lingua prosciderat, carcere animaduersum fuit. Filia fundatricis sacrum vestiarium casulis argenteis duabus adauxit. Quatuor equi à Magnifico Domino Collegio attributi sunt, qui fabricæ necessaria conuehant. Tres agri prædio suburbano contigui coëmpti sunt.

### *Collegium Labacense.*

**A**Nno hoc Collegij Labacensis Socijs 14. numero, non tam laborando quàm aduersa ferendo enitendum fuit. Ita omnia morbidis hominibus plena, vt integro biennio pestilentia vix tot ediderit funera, quot primum huius anni semestri. tantum mali vel citius solito incidentis frigoris intemperies, vel militum ex obsidione Canisæ redeuntium contagium attulit. Miserrimum Itali milites præbebant spectaculum: plurimis digiti, per multis pedes computruerunt ex frigore. Horum fœtorem in nosocomio nullus ferre poterat: pretio magno qui curam eorum gereret, vix habebatur. quotquot cum ijs agebant vel mortui sunt, vel extremum mortis adierunt periculum. E nostris duo fuere destinati tum animæ, tum corporis auxilio; alter sacerdos incolis, militibus Frater Italus: sacerdos enim Italus non habebatur. Ex hac publica calamitate, nostros vix vllò tentatos morbo plerique mirabantur. at verò quo seriùs ad nostros perue-

dit, eò pertulit grauius. Nam frater, qui Italis iu-  
uandis occupabatur, moxque reliqui sensim mor-  
bo tentantur, quatuorque nobis è viuis eripiuntur.  
Ex quorum numero cum vnus extra Collegium  
moreretur, summus Abbatis cuiusdam & Præposi-  
ti in hominis Societatis ornando funere, amor &  
studium eluxit. Tres tantum intacti manserunt; ex  
septem reliquis aliqui vix omnino euaserunt. Hanc  
ob causam multæ nostrorum fuere mutationes &  
profectiones, non tantus quoque noster labor, ne-  
que oprati manipuli, quam cuperemus; non tamen  
omnino nullus. Nam & communia, vti confessio-  
nes audiendi, concionandi, docendique officia ri-  
te peracta (nisi quòd studia superiorum scholarum  
duobus circiter mensibus intermissa fuerint.) Du-  
plex drama exhibitum est: quo maximam nostris  
scholis discipuli nostri opinionem conciliarunt.  
Ecclesiæ Catholicæ per quatuor è nostris confessa-  
rijs non pauci ex Lutherana lue sunt restituti; vnus  
ex ijs triginta absoluit, alter vltra quinquaginta. in  
quibus duo nobiles viri; & honoratiores ciues non  
pauci. Nec dubium est, etiam alios ab alijs duobus  
Ecclesiæ conciliatos confessorijs. In solempni Sacro-  
sanctæ Eucharistiæ supplicatione quanta fidei Ca-  
tholicæ facta sit accessio videre fuit. Nam præter  
frequentiam supra priores annos maximam, tribus  
opificum certatim sua vexilla restituere, pingere  
& ornare contenderunt, coronisque singuli redi-  
miti suo quique ordine & loco, singulari cum mo-  
destia & leni quodam pietatis incesserunt. quod  
in ijs, qui prius blasphemias in Venerabilè Eucha-  
ristiam iaciebant, cum gaudio spectare fuit. Partu-  
rienti summo in discrimine constitutz, agnus ce-  
reus à nobis missus saluti fuit. Rei porro familiari  
& fundis hoc anno non modica facta est accessio:  
ædificij enim trientes duo superstructo recto penè  
sunt



sunt perfecti, & scholæ quidem ibi haberi cœptæ; inhabitatio verò, ne valetudinis ob nouitatē sabiremus periculum, in aliud tempus dilata est. Ad ædificationem Serenissimus Archidux Ferdinandus contulit quinque florenorum Rhenensium millia. Eiusdem fundatoris optimi dono, & nostrorum studio prædium nostrum, fundis 2000. florenorum pretio, est auctum. Hæc pauca gratis hic annus tulit, plura procul dubio allaturus, si per ægritudines nostrorum licuisset.

### *Collegium Glacense.*

Vixere hoc in Collegio hoc anno vt plurimum 14. ex quibus 8. sacerdotes, duo magistri, 4. Coadiutores. Nostrorum feruor & zelus cum aliàs, tum eo in primis enituit tempore, quo R. P. N. literæ de necessitate, qua Societas nostra pro tempore varijs in regionibus premitur, prælectæ sunt: mox enim certatim sui collectionem, & id genus alia consueta pietatis exercitia expetiuerunt. Impetratum est tandem hoc anno à S. C. M. diploma in optima forma, quo fixum & in perpetuum ratū esse vult, quidquid siue iuris in hoc Collegium & huic annexa bona, siue priuilegiorum nobis traditum & concessum est. Conciones in nostro templo habitæ sunt singulis Dominicis & festis: & Dominicis quidem etiam Christianæ fidei institutiones à prandio traditæ fuere. Confessiones in Paschate exceptæ domi forisque circiter 706. ex quibus de tota vita fuere 158. Ad sacram synaxim eodē tempore accessere circiter 250. Ex hæresi emerfere 15. ab vtraque ad vnam traducti 2. Sacramentum Extremæ vnctionis, quod in his partibus iam penitus extra consuetudinem positum erat, denudō introduci cœptum est, habitis nonnullis in huic finem

concionibus. Confirmationis item Sacramentum, cuius iam perpauci, ijque vix per nebulam amplius recordabantur, à Reuerendissimo Pragenſi, pluſquam quingentis perſonis non citra magnam multorum admirationem & gaudium, ſumma hominum frequentia collatum, totumque tempus pomeridianum in id vnum collatum eſt: aded vt ipſemet Reuerendiſſimus fateretur ſe lachrymas cohibere nõ potuiſſe. Diebus Rogationum ad ſupplicationes publicas more conſueto proceſſum eſt, & tertio quidem die ſubditi noſtri ex pagis, erectis vexillis aduentabant, admirantibus & frementibus licet hæreticis. Idem factum eſt die Corpori Chriſti ſacro, cui proceſſioni ſubditi etiam ex pagis hæreſi infectis, interfuerunt. Succellit cum quiete, licet pridie eius diei voces tumultus certiffimi fuerint ſparſæ. Reuerendiſſimus Wratſlavienſis mira in nos animi inclinatione propender, id quod ipſe tum verbis, tum eleëmofynis ſatis largis, non ſemel declarauit. Sed & ipſi Canonici Wratſlaviēſes ſingularem in nos perſapè declararunt beneuolentiam. Braumouia (cœnobium id eſt quatuor leucarum interuallo ab hoc loco diſiunctum) nouus Abbas inſtitutus eſt, altero iam ſenio conſeſto deſoſito: qui mox, vbi ad gubernaculum acceſſit, omnem curam cogitationemque in eo deſigere cœpit, vt auitam religionem, iam ſerme penitus collapſam, reſtitueret. noſtrum auxilium & conſilium ardentè expetiit. eam ob rem proſectus eſt ad illum Superior noſter: quem tam amantè accepit, vt præ gaudio à lachrymis ſibi temperare non poſſet. Leuinenſibus impetratus eſt à Superiore Parochus orthodoxus, deieſto altero, qui viginti propè annos ibidem exegit. Erat ille quidem ſacris ab Epifcopo Catholico legitimè initiatus, ceterum ſolo nomine Catholicus. Nam ſine ea, quæ in aurem fit,

pecca-



peccatorum exomologesi homines ad sacrosanctam Eucharistiam admittebat, & quidem omnes sub vtraque, sub vna nec vnum sanguinem non ex calice sed cochleari propinabat, & si cui præ cæteris honorem ac benevolentiam præstare volebat, bis cochlear porrigebat. Catholici variè ab hæreticis exagitari, omne suum refugium post Deum in nobis constituere: malueruntque nonnulli duos pati carceres, & iniustas exactiones sustinere, quàm liberos suos apud illos salutaribus vndis expiari. Nobilis quidam Catholicus coëmit libros hæreticos, nobisque tradidit. Consuluerunt nostros in casibus quibusdam grauioribus circa matrimonium, etiam ipsi hæretici ciues præcipuarum in hoc Comitatu ciuitatum, & resolutione accepta gratias egerunt. Ratione lignorum, quæ iure communi tam prædio nostro, quàm subditis debebantur, fuit nobis controuersia cum præfecto sylvarum Calvinista: missique sunt tandem Praga isthuc Commissarij, quibus in mādatis datum est, vt eundem ante omnia de gradu deijcerēt, ac tum prius, quæ vtrinque afferrentur, audirēt. quod & factum est. Nec alibi nostris occasio exercendæ patientiæ defuit: nunc enim exhibitati, nunc irrisi, nunc scommaris petiti sunt. Insequebatur quidam duos ex nostris vtraque manu strictū tenens cultrum: eosdē omnino iam neci apud se destinabat, sed serius venit. tandem captus est & in carcerem cōtrusus, ac prius post nouem hebdomadas ex eodem, nostrorum intercessione emissus, cui iam alter successit grauiorem ob culpam in quendam Parrem admissam. Agebatur multum de oppignorando hereticis Comitatu hoc, idque studio hæreticorū, vt vel sic Catholicam religionē stirpitis euellere possent: sed nostri è contrā strenuè sese opposuerūt, modisque omnibus egerunt, vt res successum nō haberet.

*Domus Probationis Brunensis.*

**A** Luit hæc Domus hoc anno è nostris maiori ex parte ad 80. omnes sanos & incolumes: ex his veterani fuere septemdecim, sacerdotes quinque, reliqui scholastici, ac domesticis subsidijs destinati. vnus autem è murarijs nostri templi, templo absoluto, se ipsum in templum viuum Deo, in Societate nostra, consecrauit. Societatis auspicijs dato nomine militare cœperunt 37. in ijs vnus sacerdos, omnes indolis ad frugem spiritualem egregiæ. Preter hos tertiarij numerantur 7. ex quibus sacerdotes quinque: transmissi vetò ad varia Collegia hoc anno omnino 39. Classes quinque humaniorum studiorum vltra 300. habent ingenuos adolescentes, qui non infrequens hoc anno bonæ spei specimen ediderunt. Ex his ad Christi castra commigrarunt sub DD. Bernardo ac Brunone militaturi quatuor sacerdotes tres creati. Conciones per nostros binæ habitæ, vna Germanica, altera Boëmica, magno cum ciuium, tum vicinorum concursu. nec iteriles extiterunt conatus. Ab hæresi ad Catholicos transire hoc anno 100. Vltraquistæ octodecim ad communionem sub vna specie frequentandam adducti. Sublatus vsus calicis publicè hætenus in ciuitate permitti solitus, nostris interuenientibus, ac negotium non leui brachio vrgentibus. Confessiones ac Sacramentales Communiones, longè hoc quam superioribus annis fuere frequentiores. Generalem totius anteaactæ vitæ exomologesim vel fecerunt vel reperierunt 87. Operæ in concionibus præclarè positæ præmium haud obscure constitit, ex restitutione quidem malè partæ pecuniæ ad 6800. dalerorum. Duo quoque turpi concubynatu expediti. In supplicijs ad eundis reos nostri

ad



ad constantiam confortarunt magno vel puniendorum bono, vel spectatorum approbatione. Liberatio è carcere ac gladio qui vix a ceruicibus aberat, ad nostrorum intercessionem concessa. Illustrissimus D. Cardinalis à Dietrichstein nihil hoc anno de prælara sua in Societatem nostram beneuolentia remisit. intra domesticos nostros parietes, commentationibus spiritualibus spiritum recollectit, & ad futura annauit: sexcentos daleros in fabricam Collegij numerari curauit, & diuersis vini ac piscium eleemosynis tenuitatem rei familiaris nostræ adiuit. Primarij prouinciæ proceres nõ vulgari nos beneuolentiæ significatione prosecuti; visitando benenolè, de spiritualibus cum nostris ac grauissimis de rebus suis, magno cum fructu tractarunt sæpius. Serenissimi Scitiæ Archiduces Ferdinandus & Maximilianus, qui Praga redeuntes, nostri ergò de via deflectere, huc diuertere haud grauati, vnà cum Illustrissimo D. Cardinali Olomuceusi, alijsque Baronibus in refectorio nostro prandium nobiscum sumpserunt: nec nisi salutis singularim nostris abeuntes, multum ex hoc loco ac conuiuio spiritualis consolationis hausisse se testati sunt. Patochi duo spiritualibus B.P.N. Ignatij commentationibus eruditi, non pœnitendum sancti sui otij fructum rerulerunt. Religiosi per plures, præsertim Carthusiani, mutua de rebus suis cum nostris communicatione non sine eorundem consolatione edificati. Eleemosynis diuersis hoc anno aduti sumus in ædificium templi nostri absolendum. ad summam mille quadringentorum septuaginta nouem circiter dalerorum in pecunia numerata. Peluis argentea inaurata cum suo gutturio, in curandam templo nostro lampadem argenteam, antependium altaris textili auro confectum donata. Res domestica haud obscuro diui-

næ providentiæ signo facta recta nobis hoc anno  
 stetit. Animaduersum id palàm est in quodam no-  
 stro pago, cuius mediam partem cum fulgur con-  
 sumpsisset, nostrum tamen prædium in medio pa-  
 go situm reliquit intactum. Baro quidam Picardus,  
 piscina sua fundis nostris damnum non contem-  
 nendum inferebat. igitur impetrata à Cæsare com-  
 missione præter alia, ducentos viginti daleros in  
 præsentem pecunia, pro damnorum refusione, nobis  
 hoc anno numerare coactus est: quam pecuniam  
 in duas piscinas, duobus nostris in pagis parandas,  
 conuertimus, nõ paruo huius Domus emolumen-  
 to. Simili quoque Iuris beneficio Senator Brunen-  
 sis, qui ferrarium quendam ex templo nostro, licet  
 nondum consecrato, per licitorem capiendi auctor  
 fuerat, à nobis audaciam deprecari, nobisque satis-  
 facere coactus est: cui quidem nisi Societas iniu-  
 riam condonasset, grauis à senatu imminere ani-  
 maduersio, tum exigente facto, tum Illustrissimo  
 Cardinale, qui beneuola communicatione nostra  
 velut sua zelatus, ea auctoritatis suæ pallio ubique  
 tuetur. Finita est hoc anno templi nostri fabrica, ad  
 quam huc vsque vltra tredecim dalerorum millia  
 in pecunia numerata sunt impensa; præter mate-  
 rialia antiqui templi sanè multa, præter trabes at-  
 que asseres, pro tecto nobis donatos, aliaque multa  
 quæ sex dalerorum millibus facile æstimatur. Por-  
 ro dictæ pecuniæ pars plusquam tertia à piæ me-  
 moriæ Magnifica D. Helena de Thouar, eiusque  
 testamentarijs nobis est assignata: residuum ex va-  
 rijs piorum eleëmofynis est conflatum. Ergo tem-  
 pli inaugurationem benignè in se suscipere digna-  
 tus est Illustrissimus D. Cardinalis à Dietrich-  
 stein. quo verò solemnitas hæc apparatu splendi-  
 diori maioriq; tum nobilitatis flore, tum populi  
 concursu celebraretur, Illustrissimo D. Cardinali,



cæterisque Magnificis Dominis ac amicis nostris, visum fuit, eam in tempus iudiciorum provincialium differre. Quare die præstituta 22. Septembr. in amplissima Baronum Nobiliumq; provincialium corona, maximaque populi frequentia, ingenti omnium satisfactione solemniter peracta fuit. Adiecit Illustrissimus concionem, in cuius incitarii cursu ac seruire excommunicationis diploma in vsurpantes vel inuadentes Ecclesiastica bona legi mandauit, cum execrationibus, maledictionibus, ac cæteris id genus censurarum Ecclesiasticarum fulminibus in simili causa vsurpari solitis: qua re vulgari idiomate, per Illustrissimum explanata, ingenti omnino omnes auditores stupore ac horrore conterriti sunt: nonnulli quos fortè paulò durius hæc palpabant, propè obrigescere animaduersi. Sacrum Episcopali pompa secutum est, cuius musica suis instructa symphonicis haud defuit, omnia fructu ac consolatione nostra præcipua. Consecrationem prandium secutum est, quo Illustrissimum D. Cardinalem, aliosque tam Catholicos quam hæreticos provinciarum principes ac Barones ad sexaginta in refectorio, scutellis domesticis ritu religioso donauimus. Illustrissimus D. Cardinalis & Magnificus D. Capitaneus provinciarum, nouo modo, aulae præfectos domi nostræ egerunt: statione enim ad portam domus interiorem occupata, selectos tantum Barones ac Nobiles ad prædium admittebant, famulorum caudam, acceptis ex tempore baculis, omnino aditu submouebant. vnde factum est, vt solo domestico nostrorum ministerio, toto conuiuij tempore principes Baronesque vterentur. Conuiuium adornabat oratio latinè per sacerdotem nostrum habita, qua de caeremoniis dedicationis imperitorum elucidationi, hæreticorum, quales non pauci intererant, cõfutationi dis-

sertum

ferrum est. Post bellaria adolescentuli angelico ornatu ad Dialogum conuiuas non ingrata fictione inuitarunt, & itum est excipiente mensam theatro, vbi data Dagon destructio, & Arcæ fœderis per Dauidem receptio, deductio ac exaltatio. Res acta haud vulgari spectatorum ædificatione ac plausu: instituti quoque nostri ac industriæ in formandis ad pietatem, doctrinam actionemque adolescentibus præclare positæ, approbatio simul & collaudatio consecuta. Et votis nostris fauisse visus est Deus: cum enim tum præcedentibus, tum ipso destinato die, tempestatem aër iterum atque iterum patturijset, nonnullique procrastinandum extimescerent, secundo tamen cælo tam diu vsi sumus, donec Epilogus spectatores dimitteret, pluvia abeuntes deduceret, ac prolixè prosequeretur. Tertio postmodum die dictæ magnificæ D. Helene de Thonar funus, pompa magnifica, in templum nostrum, sed relictuum, illatum est, quod expectatione cõsecrationis hætenus dilatatum fuerat. Magna tum hieroglyphicorum, emblematum, carminum vis in medium proposita. Pallum apparatus interstinxit Dialogus è re nata datus, angelorum, luctum familiaribus, quos aliquot è nostris discipulis heroinarum schemate sustinebant, abstergentium, miro applusu exceptus. Concio ac exequiæ celebritate quam plurima paractæ, satisfactionem maximam tum omnibus, tum magnificis D. Testamentarijs præfatæ Domina attulerunt. Nec dissimili studio in S. Ioannis Baptistæ Natiuitatis Vigilia à nostris M. D. Sub camerarij Sigismundi à Dietrichstein fœnus fuerat exornatū: qui cum duobus filijs in templo nostro, quantis nondum consecrato, deducentibus Illustrissimo D. Cardinali, atque è prima prouinciæ nobilitate, ingenti concursu populi sepultus, primus nouam sepulchrorum



chorum nostrorum contignationem dedicarat, temporaria quidem mansione in nostris cryptis accepta; donec Illustrissimus D. Cardinalis ex destinato, gentilicium sepulchrum, in quo cum suis ipse, secundum facultatem ab admodum R. P. N. Generali concessam, recondendus esset, in hoc ipso templo excitavit. Verum haud minor animarum fructus in Octava recolenda, quam in ipsa solemnitate dedicationis extitit. occasione præstitit summa S. Sedis Apostolica ac Illustrissimi D. Cardinalis liberalitas: hic de concessa sibi a Summo Pontifice potestate, ac privilegio singulari, Indulgentiâ plenariam per modum iubilæi omnibus in templo nostro dicta Octava communicaturis imperijt, supplicatione solemnî in Cathedrali templo ad nostrum indicta, quam omnes civitatis Religiosi, ac cuncti propè ciues religiose obierunt. Post concionem Reuerendus D. Abbas Oïrouiensis Sacrum in Pontificalibus fecit communiōne frequentari. Eo quoque die proposita hieroglyphica in copia, agalmata, variumque officinæ poetica; parergon, cum præfati festivitati, tum benefactorum memoriæ, spectatorum animos atquè ac oculos abundè detinuerunt. Templo absoluto versæ curæ ad domus huiusce fabricam, cuius quartæ parti initium datum ex liberalitate Illustrissimi D. Cardinalis, qui totam domum funditus extruere suscepit: nec tenui progressu in muris eductudis scalisque duabus ædificandis laboratum est. Adolescens quidam hæreticus adhuc, annos natus duodecim, cum aliquando deducente parente, (viro inter suos honestissimo) flumen per pontem transiret; ecce tibi simul cum equo cui insidebat præceps in subterlabentem fluvium collabitur. & sese fore quidem & equo gurgitibus hausto, diuque sub aquis merito, spes omnis consilii adempta parenti,

tenti iacturam edebat spectatulum non se filio,  
 quem vomitibus quasi molliet exceptum quam-  
 vis turbido calere, & lo mirus splendor detepid-  
 eret, & multum, adesse que vita maritima splendi-  
 fima, que natio si eodem viam per 17 annos pal-  
 fia luam aqua deduceret, & ex vasis educto ra-  
 miam offerret, & eminentis salicis, nec tanta res fuit,  
 nullo enim sub aquis accepto incommodo, micum  
 didum? post aliquantum intervalum euectus,  
 oblatum solum in cenare se miraturus illius tam deu  
 beneficio sustentator, donec suam in p nauigio de-  
 letus in iugum venisset. Nam venie, & illi anoni,  
 nostrorum infirmita & instructione in Catholi-  
 cus, animusque pauis post illi societatem adiun-  
 Sed ecce cum Mars irabebat, in Nemines in-  
 dulsetis. Nam & Mobs, & voratione valore nulli,  
 copijs Principis cuius tam sic, in conuento militum  
 accingebat, ut illi nulli opponere solentent,  
 & adoleferent in non tam a militi quam a lamina  
 abdoissent. Mox ipm & Princeps & integer il-  
 lius exercitus instructione ad vnam delent, nono  
 inoni quam ale no subitus eras, nisi arare pe-  
 dem sculisset, manifestissime demonstrant. Nec  
 tamen adhuc vagabundus in veni licentia minus  
 ad priora vocationis condia se receperat, cum ab  
 hostibus in itinere captus, presens sibi discrimen  
 iussu diuino potius quam humano tulisset statim  
 presidio liberatus in minere videbat. Tum in eo-  
 ro cœcipientibus oculis paululum apertis, solent  
 respicere inciperat, sub quo *caelis homo* (17 de  
 Prophetia) *ad vnam piam* sed in vltimis eoa noffuz  
 impatiens, ad suas sese reuelat remigebat. Inol-  
 ann tamen voluit Deus, tergru crantem eam se-  
 btis inuadit, & vsque ad vice desperationem tribus  
 mensibus grauitet exercet, donec in mentem venit  
 vocatiu propè obliterata, ipseque offerre se cepit,



si cum Deo in gratiam rediret, sanitatem quoque redituram. Erectus hoc instinctu, voto se Societatis nostræ ineundæ, si sanitatis fiat compos, astringit. & apparuit ex medicina morbi origo: rato enim habito per Deum voto, quasi per infirmitatis lictorem condicto, eadem nocte viribus æger aded solidari cœpit, ut tertio postmodum die depulsa feбри, sanus & incolumis è grabato exiliret. Tum voti reum se ostendens, admitti ad nos vrget: sed dum nescio quas trahit moras, & imprudēs parentē inuisit, nil propius abest, quàm ut matrimonia libus cippis illaqueatus, in statuam salis reuertetur; sed vicit Domini dextera, qua faciente virtutem, & scilicet accedente egregia candidati nostri contentione, omnibus diffractis ergastulis retinaculisque ad nostros tandem quasi per aquam & ignem traductus euolat, ubi accuratis nostræ Societatis medijs certius in dies vocationem diuinitus stabilire conatur. Quindecim in locis traductis ad superiores annos colonijs catechismus à nostris habitus, auditoribus pluribus, & maiori cum spe ac fructu quàm vnquam. Iniuriis autem nostros affici plurimis in itinere, & tanquam otiosos, nigros diabolos, & lupos prosciendi ab hæreticis infrequens non fuit. Taceo quoties niuibus ac glebis serio appetiti in vimbram patientiæ subire compulsi sunt; intentatas ab hæreticis quos fors in via obuios dabat secures: à militibus verò gladios, cum seuera palliorum exactione ac pecuniæ; bombardæ etiam pectori adinota. Leniebat interim fructus non contemnendus huiusmodi difficultates, auditores, ut dixi, quàm plurimi beneuoli, ac magis quàm antè ad diuinam sementem parati. Promouebant quoque studium nostrum Domini pagorum temporales, iudices officialesque, tum multarum, tum carcerum propositione. Vnde factum est

vt non solum pueri puellæque magna copia, sed viri quoque ætate iam grandes, & in suis pagis auctoritate ac officiis præcipui interessent, suo exemplo ac mandatis pueris benefaciendo præirent, puerilis institutionis inter canos bene patientes essent, nonagenarii etiam per nostros in medium proposita repeterent. Præter Christianæ militiæ tirocinium, vel ex Euangelico themate vel ex tempore currente, vel ex re nata, ex allatis funeribus cadaueribusque adhuc inhumatis, præsentibus salutare cohortationes fiebant, magna audientium approbatione, compunctioneque. Odiã inde nonnulla sopita. mulieres veneficiorum suspectæ, consiliis sanioribus imbutæ, bona fama vti cœpere. De hæreticis ad Catholicos decem circiter traducti, pluribus injecta religio vt à nostris edocere sese curarent. quod feliciter cessit. Sed præcipuè grata erãt quàm plurimorum adolescentum, ad celebrandas scholas nostras assumptio, quo vel primùm Deo simul & Musis initiarëtur, vel certè ab hæreticorum Iustis vbi cum lacte nutricis impietatem imbibeant, euocarentur. Ad abstinendum carnibus quadragesimali ieiunio nõ pauci persuasi, qui congratulabundi postmodum publicè nostris asserabant, nunquam se facilius Quadragesimam decurrisse: scilicet piscis boue leuius natat. In Sacramentis obeundis solemnioribus anni festis, vsus excrebuit in ipsis etiam pagis, vberiusque pollicetur emolumentum ista nostrorum hac in parte contentio. Ad sacram exomologesim nonnulli, qui sæpius quidem apud suæ Euangelicæ farinæ pistores communicarant, nunquam tamen ritè confessi, ijque ferè viri annis graues accessere. Quidã illatis in animũ ex nostrorũ cohortatione aculeis, discedentes nostros præstolatus, fatetur integris quindecim annis sanctæ Confessionis integritati se defuisse:



fuisse: quid sibi agendum foret. consulit, iubetur in posterum exuere verecundiam, & sacrilegio toties violatam ab ipsis quindecim annis confessionem repetere, persuadetur ac edocetur. A communione sub vtraque specie abducti quatuor, in his vnus cum diu mente ab ea abhorruisset, tandem manus dedit: qui gustatis, vt verisimile est, Catholicæ communionis primitijs, nostris octauo die de more redeuntibus, magna gaudij ac gratiarum præfatione præmissa, tum verò primum se credere quæ de communione sub vna specie edisseruerunt, palàm pronunciauit, nosseque se quid inter temulentas hæreticorum potiones & sobriam Catholicorum synaxim intersit. qua ex re non mediocri e loco ædificatio consecuta est. Nec valentibus modò sed & ægris nostrorum opera leuamento fuit. Mendicis quidem, alienigenisque in via iacentibus inedia ac frigore consumptis quæsitâ non semel per nostros mendicatò tegumenta, stragula, cibaria. Alijs omni præsidio destitutis ac in fimo agrè se mouentibus, (res misera) cingentibus aliquando puerulis, amicè quæ poterant impetrari præstita solatia, inquilinorum admiratione ac congratulatione non exigua. Hoc in genere istud non prætermittendum videtur. Redibant nostri peracto catechilino, dum feniculum sub ciuitate comperiunt capite tenus in fimo sepultum, sed & à multis pueris circumseptum. hic enixè nostros obtestari, sibi vt confessarij copiam facerēt, se tertium iam diem sine cibo sine potù sub dio traducere, frigoribus immensis conflictari, præsentiscere imminentem sibi ex hoc ergastulo migrationem. Nec mora, domum nostri aduolant, adducitur sacerdos, conducitur hypocæustum eleëmofynis à Patre corrogatis (neque enim ægrum admisit nosocomium) traha senex deuchitur, refocillatur, confitenti operam

dat Pater, altero die viatico communit, tertio piè & religiosè defungitur æger. Quo ex facto nescio num magis nostrorum pietas & Studium in oculis ciuitatis spectaculo fuit, an hominis cum extremis periclitati felicitas, cuius nouissima sibi cordi esse in tempore opportuno ostendit. Cæterum non in pagis ipsis minor in ægros occasione catechismi deriuauit utilitas. Plures per morbos corporis, animæ vulnera consolidarunt; plures ad Sacramenta velut ad anchoram sacram nostris auctoribus confugerunt: quod nonnullis præter occultam quam sperauimus animæ salutem, manifestam quoque corporis reuexit sanitatem. Constat nostros ad hominem ægrotum, super vxore mortua simul consolandum, simul propriæ salutis atque adeò discriminis sui commonefaciendum accitos, ei sanctæ communionis percipiendæ animum, cooperante Deo, cum spe sanitatis attulisse. quod ille monitum cum lubens accepisset, communicauit; & quidem actutum paulò meliùs, deinde certis velut gradibus ex toto conualuit: qui hæctenus gratum se Deo, nobisq̃ memorem exhibet, & Dei quidem beneficium, nostrorum consilium, magnificè de prædicare non cessat.



## PROVINCIA BELGICA.

**B**ELGICÆ Prouinciæ labor & fructus in Socios 521. diuisus. Louanij 52. Tornaci 76. Audomaropoli 37. Duaci 40. Antuerpiæ 31. Leodij 35. Traiecti. 18. Gandau 19 Brugis 19. Valēccenis 22. Contraci 19 Ipris 17. Insulis 25. Montibus 25. Winoxbergi 11. Bruxellis domi militiæque 30. Cameraci 9. Luxēburgi 9. Atrebatu 13. in missione Hollandia 3. & R. P. Prouincialis cum socio. Nouem ex hac vita emigrarunt. Societatem nostram expetiere quàm plurimi, & impetrarunt triginta & vnus. 14. alij admissi post aliquot menses recipientur.

*Collegium Louaniense.*

**V**ersati hoc anno Louanij Socij ad 47. ex his sacerdotibus 18. cæteri partim studijs, partim domesticis curis distenti. Obiit 2. Ianuarij Bertrandus Cornelij ex veteranis Adiutor annis propè 34. Explendebat in eo curatio ægrorum insignis, & religionis obseruatio; aded vt circumgestato cepsamidio, orationis horas infirmorū cura subinde interruptas metiretur. Studiosi nostri vacationum tempore spiritualibus meditationibus exerciti, magno omnium bono. Eadem opera externis posita. E quibus Religiosus antè vagus, vbi se collegit, libens ad suos rediit. Concionibus & catechismis, domi forisque suus fructus stetit. Præter confessiones ordinarias solito frequentiores, fuerunt ab vno supra 80. generales auditæ, ab alijs quàm plurimæ. Familiæ duæ pertinacibus odijs dissidentes, & in templo conuicantes, per catechistam nostrum in

mutuos iuere complexus. Parentes nobiles vnici filij mortem rogatu nostrorum homicidæ ignouerunt. Miles vicinus excursu nostrorum recreatus, furor eius sacerdotis industria sedatus, Capitaneis gladios frustra intentantibus. Totius vitæ expiatio plurimis profuit. Detecta etiam, quæ multorum annorum sacrilego silentio suppressa. Miles membrorum vsu destitutus facta exomologesi sacraque communione percepta, non mentis magis quam corporis sanitatem recepit. Adolescens proteruior, & pœnitentiæ à sacerdote iniunctæ contemptor, nocte quadam capillis è lecto se detrahi sensit, totusque exhorrescens orationi se dedit, primoque mane templum nostrum petiit & à confessione quietem inuenit. Multe à turpi corporis questu abductæ. Tota etiam prostibula sublata. Inhonestæ Religiosorum quorundam consuetudines profigatæ. Vir in clero conspicuus ab infami vita ad honestatem reuocatus. Non pauci, quos fallens recti specie diabolus in errores traxerat, ab erratione retracti. nouum illud rei pattatione, sed antiquum hostis versutia. Puella rustica annorum viginti duorum, Barbara nomine, Patre Adolpho de Fontaine, ex pago Grauius dicto tribus Louanio milliaribus distito oriunda, viginti & duos annos ætate prouecta, cum ex virtute vitam exegisset, morbo correpta, Sacramentis que omnibus munita quarto post die morbi, Iesv & Mariæ nomen identidem inuocans, visa est expirare: sed duas post horas magno fremitu cohorruit, oculisque in orbem circumactis variè detonat; nunc Deum, Virginem matrem, Petrum Apostolorum principem, B. Michaëlem, B. Bernardum de prædicando, nunc beatis animis sibi olim notis faustè acclamando, Excitata à prolibus matre ad tam nouum filix spectaculum, eadem repetit, additque vtrumque auum &

auiam,



auiam, quos nunquam viderat, beatis perfrui sedi-  
 bus, itaque diuino monitu edoctam. Inde simul  
 astantes officii admonet, conscientiam crebriò per-  
 purgent, sacro Christi corpore se muniant, remit-  
 tant iniurias. Facto die circumfundit se populi  
 multitudo. varii varia ab ea audiunt: hic se pecca-  
 torum vinculis alligari, ille dimissa crimina; ita  
 quo quisque verbis quam conscientia credulus  
 magis, eo sibi blanditur nocens, innocens metuit.  
 Nec pago vno se rumor tenuit, vndique ad eam  
 concurritur, de parentum vita functorum meritis  
 certatim sciscitantur: fidem illa sæpè ab eis exigit,  
 Credo, vt dicant. Credo conclamant omnes, per-  
 guntque porro vsitatum Symbolum percurrere; sed  
 obuiat illa, non in Deum Patrem, sed in se credi  
 flagitans. Admirationem augebant, quas per in-  
 terualla pati videbatur ectases, & cælestes raptus:  
 quo tempore, multis veniam impetratam asser-  
 bat, quibusdam ob criminis enormitatem nega-  
 tam. Et hæc bidui lætis tristibusque mixta tragœ-  
 dia, sed dura restabat catastrophe. Aduenerat forte  
 Ecclesiastes Ordinis Franciscani, vita integer: præ-  
 nouerat illa aduentum, foresque occludi iusserat;  
 sed perfringunt rustici, & animæ medicum introdu-  
 cunt. Repugnat illa, fratresque furia correpti in bo-  
 nū Patrē irruunt, & malè multatū domo proturbāt.  
 Tandem edicit, si salui esse velint, necem sibi infe-  
 rendam à fratribus. Parent illi consilio, & cum pa-  
 tre octogenario pedibus proterunt, tam pertinaci-  
 ter vt visa sit secūdò expirare. Accurrit mater quæ-  
 rens quid agerēt. Audit ollam esse sub lectica, quæ  
 nisi frangatur & effundatur, totam familiam dam-  
 nandam. Mater sui compos, vt insanix eorum ali-  
 quantulum obsequeretur, asserem lecticæ detra-  
 hit, nihil inuenit. Perstant in insania fratres, &  
 Hubertus secundo genitus ceriti instar circumspi-

ciens proclamat se fratremque Philippum ad modum sororis proterendos conculcandosque, Caino aliàs in æternis tenebris sociandos. Inuolant in eum tredecim fratres æque lymphatici, penitusque protriuisent, ni gemebunda mater vicinorum auxilium implorasset. Accurrit pagi Prætor, omnes in vincula conijcit. Vocatur sacerdos noster, qui singulos obit, dementatos ad sanam mentem reuocat. Fatentur sibi ab impostore miserè illusum. Addebat Hubertus pefundationem illam Deo gratissimū sibi visum obsequium, martyrium gloriosum, vnicam inferorum cruciatus euadendi viam rationemque. Multa post animaduersa diabolicę illusionis indicia; nempe adeò frigida & rigida defunctæ membra, vt etiam fomentis inflecti nequuerint, quadridianum ieiunium, vox solito robustior & constantior, non sudor corpori, non humor oculis affectis, fœtor teterrimus, quo cubiculum oppletum. Decem hæresi eiurata Ecclesiæ restituti. In carceribus & nosocomijs vtiliter laboratum. Valde efflorescit Sodalitas numero & pietate, tribus ea distincta classibus; Theologorum, Iurisperitorum & Medicorum, quæ annunciationi sacra; Philosophorum, quæ in immaculatæ conceptionis tutela: ciuium, quæ D Matrem in caelos assumptam propitiat. Continuatui hebdomadatim supplicatio pro salute Belgij, superiori anno indicta. Auxit pietatem imminens Brabantia hostis, & oratio octidui instituta; cui qui finem dies, idem hostili incursionem imposuit.



*Collegium & Domus Probationis  
Tornacensis.*

**F**Vimus hîc vniuersim plus minùs octoginta, veterani triginta tres, tertiani duo, tirones cæteri. Pagi passim obiti à concionatoribus varijs, catechistis viginti tribus magno animorum lucro. Dato concionis signo agricultura deseritur, opera intermittuntur, tantulq̃e diuini verbi ardor, vt tertid noster verba faciens accenderit magis sitim, quàm sedarit. Hinc generales confessiones, hinc morum in melius mutatio, hinc templis pristinus ornatus restitutus. Valdè catechesim in castro promouit, Comitum gubernatoris & Marchionissæ præsentia, quæ & præmia liberali manu donat, & filias in publicum certamen educit. Asceticam apud nos fecere complures, sacerdotes, Canonici, Religiosi, studiosi, eo fructu, vt in varios Religiosorum Ordines redûdarit. Per confessionem plurtimi ad frugem reuocati. Illud præ cæteris memoria dignum: opifex quidam inita cum dæmone societate eximius in arte sua euaserat. Annis pòst aliquot pœnitentia ductus, cum tam nefario consortio renunciaisset, omnem ei artem ademitt hostis, quam solo auris affricu affatuq̃e contulerat. Turbatus homo confessarium adit, communicat, suadet illi vt relicto malo genio, se totum Tutelari angelo committat. Nec Pater patrociniu denegat suum. oratum ab utroque seduld. Et ecce insequenti die, qui D. Francisco sacer, dum opus suum contemplatur, & manus eum arsque vnà deficiunt; ingreditur iuuenis habitu venusto, eiusque artis instrumentis instructus. Rogatus vnde prodiret, à confessario (nomen exprimebat) ait se missum in

subsidium. explicat igitur ille materiam, quam crebra scissione ita corruperat, componit alter ille & concinnat, simulque præcepta tradit imposteriorum artis concinnioris. Lætus opifex remunerare iuuenem cogitat, qui ad Deo gratias habendas exhortans euestigio evanuit. Abit hic ad cōfessarium gratias acturus de magistro submisso. Negat ille cuiquam se locutum: itaque tutelaris genius indubiè creditus. Enituit etiam D. Matris in famulos suos benignitas. Miles præfidiarius mulierem veneficam, ob iniurias vxori illatas grauiter increpauerat: illa vindictæ auida, dum nocte stationem petit, è ponte in profluentem dæmone administro deturbat; haustusque fluctibus esset, ni ope B. Virginis Hallensis inclamata, ab eadem erectus, & per vndas latus tandem nauarum superuentu ereptus esset. Resumpserat fortè idem eodè die piacularis agni effigiem, ob virtutes eius à catechista nostro dilaudatas, quam ab anno seposuerat. Equè illi præsens præsidium ab eadem Diua præstitum, dum circumuentus ab hæretica factione, crebrisque globis impetitus, illæsus euasit, veste tantum perstricta innoxijs ictibus. Matrimonium apud hæreticos inîtum Romanæ hîc Ecclesiæ ritu peractum. Sopita inter primarios discordia, quæ duello erat dirimenda. Alij duo nobiles inter se conciliati. Valdè pietatem Tornacensium auxit B. P. N. imago publicè proposita auro radiata duobus cereis lucentibus. Sacrum SS. Trinitati dictum à Reuerendissimo ciuitatis Antistite: post panegyris habitata à summæ ædis Canonico, Doctore Theologo scientia iuxtà ac facundia celeberrimo. Eam excepit solemnis Sacri cantus lectissimorum musicorum concentu. Nec auribus tantum, sed & animis hæc solemnitas profuit. Virgo quædam, diu multumque animo conflictata, quietem recepit.

Alter



Alter maleficio, vt vocant, ligulæ astrictus fusa ad B.P.N. prece redijt liberatus. Scholæ florent, & indies magis magisque. Datum drama Humfredi nobilis Angli confessionem detrectantis, magno pietatis incremento.

*Collegium Audomarense cum Seminario Anglorum.*

**A**luit Collegium Audomarense vnum & quadraginta, sacerdotes viginti tres, studiosos Theologiæ de moribus sex, tres præceptores non sacerdotes, Adiutores nouem. Sacris commentationibus vtiliter exercitati non pauci. E quibus vir primariæ nobilitatis, vberes animi fructus non sibi solum, sed & alijs reportauit. Solitus in templo nostro confitentium numerus octo decemue sacerdotibus occupatis, tribus etiam quatuorue in Sodalitatis aula. Multi noxas antea vitæ saluari confessione expiarunt, nec plerisque iter decem aut duodecim milliarium retardauit. Alij peccatorum suorum conscij multos annos Eucharistiæ Sacramento abstinebant, alij percipiebant mente etiam sacrilega: qui omnes Deo volente resipuerunt. Mulier annis ferè quadraginta omnem Sacramentorum vsum intermiserat, ac apud hæreticos in famulatu diu vixerat, multis interea sceleribus admissis: quæ nostris adlaborantibus ad sanio rem mentem redijt. Matriona nobilis ob domesticas discordias à viro discesserat, itaque iam alterum mensem agebat, & maritus diuortium cogitabat; sed in templo nostro animis reconciliati. Concio domi & sæpè tribus vrbis locis habita magno animorum motu. Doctrina Christiana, quæ passim iacebat, seriò erecta, & ad primariam basilicam tracta,

ducta, magistratu negotium promouente. Solita charitatis officia promiscuè ægrotis vincētisque præstita. Tertia Cōtrouersiarum lectio, quæ superiori anno duabus Theologiæ de moribus addita, cursum suum tenet. Scholæ denique sunt numero adolescentium doctrina ac pietate præstantium cumulariores Coronis imposita ædificiō ægrotis hospitibusque officio excipiendis.

In Anglorum seminario fuere hoc anno, vt plurimum 140 iuuenes Angli studiosi penè 120. de Societate Patres sex, Fratres duo, reliqui domesticis ministerijs occupati: plures loci exclusit angustia. Valdè beneuolus alumni Episcopus, subinde visitando, Sacramenta ministrando; sacello dedit noua nec vulgaris pretij organa faberrimè elaborata: alius nobilis Anglus clauicymbalum, elegantia & sono insigne. Aucta supellex sacra argentea theca augustissimi Sacramenti inaurata, vestibus item sericis ab Archithalasso Dückercano è myoparone Anglorum recuperatis. Seminarium hoc lectissimorum est adolescentium ingenijs iuxta pollentium ac litteris. Ex his adoptatus vnus à Domina Magdalena de S. Hieronymo, quæ in Comitatu Ducis Brabantix, vt suo deinceps sumptu vestiatur & alatur. Abiere hinc in Angliam sacerdotes quinquaginta, quos Roma, Vallisoleum, Hispalis submiserant, velut victimas ad aram gladiumque auctoratas. In Hispanias viginti duas iuniores plantas traduximus, vt inibi roborecant, & altiores in agro Dominico radices agant. Reuerendissimus Atrebatensis designatus non antè munus suscepit, quam in seipsum descendisset spiritualibus exercitijs ad mensem vnum vacans. Drama à nostris ad lumina datum in eiusdem inauguratione de Humfredo Aulico, confessionem repudiante, magno nobilium & eruditorum assensu, aded vt populo  
idem,



idem iterare oportuerit: quod eo scenico apparatu, actorumque venustate, denuo ad funalia perfectum est, ut diu etiam post de eo sermones essent. subsequabantur Episcopum angeli Custodes, qui vario genere musicorum instrumentorum, græcè latineque personabant. Visit nos postridie nouus Episcopus, & rem diuinam, multiplici item vocum fidiumque cantu, cum latina ad iuuenes oratione obiuit: aulamque litterariam ingressus, centum pulpitis commodè distinctam, tantoque silentio omnes studijs vacare videns, eximiam eo spectaculo fassus est cepisse voluptatem. Idem post paucos menses extremam aegritudine conflictatus, nihil antiquius habuit, quam sacerdotem nostrum, cuius opera illi antè mētis exercitatione probata, Audomaropoli accersere, illum animæ ducem identidem vocitans. Diuertit ad seminarium nostrum Dux Niuernensis hebdomada sancta cum magno comitatu in Angliam traiecturus. Visit sepulchrum nostrum à iuuenibus ita ad motum animorum extructum, ut hoc eum, vnaque iuuenum vox inflammandis animis comparata ad binas horas, magno eius & aulicorum solatio detinuerit, oblatis in discessu ad usum sacelli aliquot aureis, diu frustra recusatis. Transijt hac Anglus generosus, qui apud Hungaros, Hibernos, Hollandos militauerat. fuit mandato Magistratus comprehensus, & in carcerem datus, quod sine litteris comiteus urbem subijisset: sed nostrorum industria (quos parentes serio appellat) ab hæresi & carcere liberatus. Idem fidei beneficium Anglæ nobili, & Norvegiæ præstitum. In alio etiam singularis animi motus emicuit. Reliquerat ille Angliam, ut armorum usum in Gallia condisceret: sed militem suum fide armavit Deus, hæresi exarmavit. Agit ille nunc inter alumnos studiis vacans, depositis prius vanitatibus

tatis symbolis, fulua elegantique coma in humeros deflua, aureoque aurium annulo in ornatum sacri ferculi consecrato. Multa frater comoda obijcit, vt à recto fidei tramite retrahat: sed pergit ille constantius animo contra quasuis illecebras obfirmato. Nec minor in altero hæreseos scopulos enauigandi felicitas, quam nauigandi peritia lustrato penè orbe vniuerso fuit. Itaque feliciter fidei anchora iacta, rursus se mari commisit, & intra quintum diem septem naues piraticas in portum Dunckercanum lætabundus inuexit, summo orbis Monarchæ victoriam ascribens.

### *Collegium Duacense.*

D Vaci Patres Fratresque degunt quadraginta tres, horum 19. sacerdotes, magistri nondum sacris initiati quatuor, studiosi 7. Coadiutores 10. vnus è vita excessit. Ingens imprimis ad nostrum templum confluentium agmen, & non rarò ad mille sexcentos vno die diuinis epulis refecti. sacrarum vestium, imaginumque ornatus duobus penè florenorum millibus æstimatus. Experta domus insignem magistratus munificentiam in ædibus producendis. Dissidebant coniuges magno rei familiaris animorumque dispendio: hi inter se conciliati. Ignescibat magis magisque inter duas familias odium: id per nostros extinctum. Gymnasium floret discipulorum magnitudine & splendore. vna Logica trecentos numerat. Nunquam aliàs tantus illustrium adolescentium concursus. Physici laurea donati ad centum triginta, insolito hactenus numero Sex totius Philosophiæ pronuntiata publicè propugnarunt maxima audientium admiratione. in quam arenam alij sexdecim non longè inferiores produci potuissent, nisi maiorem

nume-



numerum consuetudo respueret. Magnam hæc nostris gloriam peperere, nec minorem duplex drama, Genouefa Ducis Brabantiae filia Februario, Septembri D. Chrysofomus. Nec doctrina tantum, sed & religione scholæ illustrantur. Sodalium præcipuè pietas enitet. Ex hoc seminario quinque Capucinis adsciti, non pauciores 12. aliis Religiosorum cœtibus, Societati octodecim.

### *Collegium Antuerpiense.*

**N**Vmerus nostrorum Antuerpiæ, supra quàm solet, sacerdotes 18. fratres 14. sedulo quisque muneri suo adlaborans. Scholæ bellè cedunt, & cum discipulorum numero pietas simul doctrinaque crescit, adèd vt non pauci religiosæ vitæ se consecrarint. Catechismus octo vrbs locis magno vtriusque sexus concursu fructuque explicatur. Templum & confessarijs & insigni supellectile auxit. Primum præ cæteris ciborium florenorum septingentorum, nō autē magis quàm opere conspicuum. Confessarij ferè assidui 13. apud quos totius vitæ peccata deposuere quàm plurimi: ex his vnus ætate iam decrepitis nunquam antè confessus fuit. Quædam flagitiosæ vitæ pertæsa tertio sibi mortem consciscere conata, tertioque diuinitus impedita. A laqueo item vna & aquis, quibus se offocare statuerat, reuocata. Alius item aquis bis ereptus. Confessa sacrilegè anus, multis spectris nō sine astantium terrore inquietata, vocem simul cum sensu amiserat diebus aliquot: recuperavit vtrumque vnus è nostris aduentu, riteque expiata placidissimè ad Deū migravit. Fuit qui confessione purgatus ad sacrā synaxim se cōtulit, non sine animi quadā pugna. Hærebat enim animo de corporis sanguinisque Dominici veritate dubitatio, &

rior seges enata est. Catechistica institutio ex vrbe, in qua etiamnum, vt antè, celebris existit, ad vicinos pagos magno bono emanauit, in quibus vt hactenus inaudita, ita auidissimis auribus est excepta. Munitiones littore maritimo excubantes non pœnitendo fructu sæpius lustratæ. multorum militum confessiones auditæ, cælesti viatico refecti non pauci, ea pietate & animi sensu, quem vix ab optimè institutis Christianis requiras. Confessiones generales magno pœnitentium & fructu & solatio auditæ. Viri quatuor audito concionatore de Christi morte, ex intimo animi dolore lachrymas vbertimè profudere (rarum in eo sexû pietatis decus) & nostrorum pedibus aduoluti, totius antea vitæ maculas salutari pœnitentiæ lauacro deterferunt. Religioni, multis licet reluctantibus nomen dedere vna supra viginti: ex earum numero aliquot vrbis primariæ In eandem Christi militiam adlecti iuuenes sex. Festis solemnioribus pro re diuina & Sacramentorum vsu tantus ad ædem nostram hominum confluit numerus, vt ijs ministrandis decem vel vndecim sacerdotes agrè sufficiant. Sodalitas maior Dei matris augetur indies cùm personarum numero & dignitate, tum insigni pietate & religione. Huius autem deploratissima hac tempestate specimen præclarum edidit, cùm orationem solemnem quinta cuiuslibet hebdomadæ feria pro periclitantis patriæ auxilio instituit; ijs ceremonijs quæ languentem populum, & diuturna prece fatigatum, noua aliqua alacritate prouocaret; eo fructu vt æquissimis animis multi & diuina flagella sustineant, & spe constanti meliora quandoque à paterna eius pietate expectent. Ea oratio insigni Sodalitatis commendatione & fama in trimestre spatium protracta multis & meriti seges & materia fuit. Hæc laudatissima totius



corporis opera. Enituit & priuatorum pietas. Quidam augustissime hierothece baldachinum, vt vocant, curauit, splendidum valdè & sumptuosum: sub cuius vmbra sacrosanctum Christi corpus insigni honore & pompa ad ægros Sodales deferatur. Tollent illud ihenfarij qui in ipsa Sodalitate honoratissimi, sex aut pluribus funalibus prælucentibus. Erit ea res & Congregationi perhonorifica, & ad conciliandam tanto Sacramento venerationem eximiam efficacissima Milites vicinam Ostendam obsidentes vulneratos, semineces, detruncatos, vltra octingentos vno die vnæ Brugæ exceperunt. Tristissimum profectò afflictæ vrbi spectaculum, sed fœcunda seges, in quam se plenis vlnis Societatis nostræ charitas, & ciuium munificentia plenis manibus effunderet. pro viribus vtrimque res acta est, dum nostri se gnauiter ad animarum curam; illi liberaliter ad corporum solatia se accingunt. Magno certè fructu magnus labor stetit, dum & carceres & nosocomia sedulò à nostris obeuntur. Vt varia est belli alea, ex hostibus aliquot qui in nostrorum potestatem venerant, Brugas adducuntur. Egregiè apud eos labor constitit. Horum vnus à pertinacia, plures à fidei ignorantia Catholicæ, & errorum tenebris in lucem veritatis feliciter Deo iuuante sunt educiti. Inter eos facilè primus Ostendanae militiae Antesignanus, qui à tenebris inter hæreticos perduelles adoleuerat, Catholicorum quæ mores, quæ religionem non tam oderat quàm ignorabat. Is lectione pij libelli & rationibus nostris conuictus haud ægrè manus dedit, & se Catholicis, hostium abiuratâ perfidiâ, castris deinceps militarum recepit. Alius ex eadem Ostendana colluue graui morbo afflictus, & iam moribundus Ecclesiæ Sacramentis exitum suum communi obnixè flagitabat. Atque vt rem in compendium

pendium mittam, ex octoginta plus minus, quos eadem vincula & carcer arctabat, plerique ab hostibus defectionem & honestiorem vitæ rationem deinceps meditari cœperunt. Et suus litteris inter tot bellorum lituos locus fuit. Templum imprimis illustratum ornatu insignium coloris oleacei, limbisq; auratis imaginum. accesserunt & candelabra aliquot argentea operis elegantis & pretij non vulgaris. Reuerendissimus Antistes noster D. Matthias Lambrecht tertius huius vrbs Præsul in extrema vitæ lucta nostrum aliquem adesse voluit, non antè aliàs nostrorum operâ vsus. Iuuit idem perpetua eleëmosyna tenuës Collegij census. Alius Canonicus nostris confiteri assuetus, è vitâ discedens, viam sibi ad cælum fecit, quinque florenorum millium in Religiosas familias distributione. Alter ex assè Christo sua transcripsit. Lis quæ supra viginti annos partium nõ ignobilium animos exasperarat, feliciter nostris adlaborantibus sublata. Monasterium ob vitæ licentiam malè audiens ad integriorem famam reuocatum. Graues inimicitie inter primarios aliquot nobiles ob homicidium enatæ, pace conciliata, penitus sopitæ. Parentes à filijs, à coniugibus mariti alienati nostrorum industria in gratiam pristinam restituti.

### *Collegium Iprensè.*

**E** Decem & sex Socijs, quos hoc Collegium aluit, annus funestus fuit P. Iudoco Hallæo, cuius virtutes tum numerabantur ab omnibus, cum ereptum è viuis nemo iam titillare inaniter posset. Tam castus erat, vt sine stomacho lubricū lapsum vllius audire nequiret; tam demissæ mentis, vt nullum ei munus abiectum videretur; puerorum salutem adeò sitiens, vt nostro cuidam in eius ample-



xum ruens , suprema iam hora accuratam eorum instructionem vnicè commendaret. Viuis reliquis siue sacerdotibus septem, siue magistris quatuor, denique ministris rei familiaris quinque non otiosum tempus fuit. Laboratum domi forisq̃ue vbique variè. Catechismi instaurati Pastorum & senatus fauore. templa primùm duo, deinde tertiu ijs attributa sunt, cum antehac locis parum idoneis & exiguo fructu docerentur. Nec pueris incitamentum defuit , tercentum florenis in præmia collatis. Quidam ad Sodalitium B. Matris frustra à nostris inuitatus, tandem morti quàm vitæ propior, solempni se formula D. Matri dicat : & vix extremo munitus erat viatico, cum febris ardor se remittere, velut cælesti rore superfuso. Viuit ille nunc in eodem Sodalitio beneficii memor. Illustris virginum quarundam Sacramenta in templo nostro frequentantium in tuenda castitate fortitudo, vnguibus etiam impuri amatoris vultu deformato. Alterius etiam in fide constantia, quam inter parentes hæreticos velut rosa inter spinas inuiolatam conseruauit, & tandem domo cessit, ac elusis reluctantibusq̃ue parentibus, D. Clare beatam paupertatem infelicibus parentum diuitijs prætulit. Alter in hæresi educatus, cum fortè mercatus causa huc commeasset, non sæculi tantum , sed & cæli merces, reiectis hærescos quisquilijs, secum retulit concionatore nostro audito. Neque morituris sua defuere solatia. Duæ morti proximæ ad speciem tantum Parocho confessæ, nostra tandem ope à totius vitæ vinculis expeditæ. Mulier vna difficiles semper partus experta, & iam mortem opperens, B. P. N. reliquijs adiuta. Nobilium discordiæ, quæ iam in apertam vim eruperant, nou vnæ consopitæ.

quæ annis quinquaginta errorē fouerat. Fœnebris pecunia ad octingentos aureos reddita, & fœnerator ipse intra iustitię limites reductus. Duo germani fratres grauissimis odijs in oculis totius ciuitatis dissedebant annis omnino viginti: conciliata inter eos pax ope vnus è nostris. Idem inter coniuges actitatum. Concubinatus sublatis. Periclitanti quarundam castitati consultum fuga consortij, damno etiam graui neglecto. Reuocatus sacerdos à voluptatibus, quibus se totum immerferat, & iam hæreticorum castra cogitabat, liberioris vitæ gratia, cætera Catholicus. Et suus exercitijs spiritualibus fructus stetit. Abijt ex illis Religiosus pacato animo, suis antè molestus. Exerciti & alij è clero, nobilitate, ciuibus, suo quisque & reipublicæ omnes bono.

### *Collegium Leodiense.*

**L** Eodij degunt è nostris triginta septem, Patres 16. magistri 7. studiosi tres, rei domesticæ adiutores reliqui. Ad meliorem vitam paulò antè commigrauit P. Balduinus ab Angelo, qui suauissima B. P. Ignatij consuetudine sub ipsa Societatis exordia fructus est. Erat hic maturus æuo, plurimis in Societate muneribus perfunctus, spirans virtutum exemplar caduco corpore. Securus eius exemplar Michaël Huelier, sub ipsas primas Societatis operas. Sacra ministeria in templo nostro obeuntium, numerus non dispar cæteris annis. Quo die propositiæ ciuitati Indulgentiæ iubilæi nomine, salutari pane refecti sunt ad quatuor penè millia. Diuinis cõmentationibus exercuerunt animum non pauci, primores etiam ciuitatis aliquot. Fidei Christianæ præceptionibus imbuti pro more rudes & pueri, nec in vrbe tantum, sed & foris non mediocri fru-



ge. Duorum pagorum confluebant magno numero pueri: propositū erat vexillum victoribus, quod scilicet in pagum deferebant, præeunte Parocho cum ciuibus aliquot. Sic ea res puerorum acuit animos, certatim vt rudimenta fidei omnia recitare omnes contenderent, vt vtra pars palinam præriperet, in ancipiti esset. In compitis quoque & suburbijis ad circumfusam plebem de fidei mysterijs familiariter dissertum. Adiuti, qui è custodijs ad furcas aut ignes rapiebantur, non pauci: quos inter maleficæ aliquot, quarum animis consultum bene, sed & earum occasione multa ad rudem populum, contra parentum in liberos diras imprecationes opportuna proposita. Effectum hoc anno Leodij non minima bonorum gratulatione, quod totos quadraginta annos à multis nequicquam tentatū fuerat. Mos inualuerat exponendi publicè merces in summæ ædis vestibulis omnibus, ambituque sacro, non sine magno & tantæ ædis dedecore, & proborum hominum offensione. Tollendæ impiæ consuetudinis ansam præbuit patratum isthic infame homicidium, & quidem eo loci vbi maior est negotiatorum officinarumque copia. Concionator noster magno & animi zelo & rationum pondere publicè rei interesse ostendit, exterminari de sacris locis turpissimam nundinationē: sed cum operosa res videretur, mercatoresque & longa consuetudine & multorum gratia ac fauoribus niterentur; perstitit nihilominus noster quā publicè, quā priuatim in consuetudinem inuehi, dominos vigere mercatores expellerent, rei indignitatem opportunè importunè ostendere. donec tandem euicit: vnica tamen reliquebatur in principe templi vestibulo, quod vulgò speciosum appellabatur. Quocirca viri de Sodalitate Parthenia aliquot, impetrata à Decano facultate, Dominica infra assumptæ Virgi-

Virginis in cælum ferias, rapetijſq; appenſis, accenſiſq; cereis, coram auguſta D Virginis effigie, que veſtibulū illud, cum multis alijs Sanctōrū ſtatuis, illuſtre ac ſplendidum facit, ſub veſperam æris campani maioris pulſu aduocarunt populum, ac Laudes Virginis à præſtantiffimis muſicis concen- tu magnifico decantari curarunt. Aſuit populus numeroſiſſimus, proceresq; ciuitatis penè om- nes: eaq; celebritate effectum, vt vnicus ille quo- tidiani quæſtus locus vno alteroue die poſt ab ipſomet mercatore deijceretur, alioq; trãſferretur. Scholæ auditores numerāt ducentos ſexaginta ſu- pra mille. Applauſum pro cœna S. Thomæ Cantua- rienſi à Sereniſſimo Cardinali Ferdinando Baua- ro, & tota patriæ nobilitate ad Comitia Leodium aduocata Idem Princeps domi exceptus, non tam grauiſſimis menſæ epulis, quàm exquisitis mentis eſcis. Decem enim linguis cœnaculum perſonuit, magna conuiuiarum voluptate.

### *Collegium Traiectenſe.*

**I**N Collegio Traiectenſi Socij ferè viginti. Duo vita functi: quorum alter in ipſo magiſterij limi- ne, maligna febrī abreptus. Sacerdos alter poſt multos in Societatis muneribus exantlatos labo- res, ciuibus ac pauperibus deſiderium ſui reliquit. Sodales B. Virginis longo ſe flagris verberantium agmine ſeptimana ſancta ſupplicarunt Nec deſue- re qui laminas ferreas, ſaccos cilicinos circunge- ſtarent, & in Sodalium vſum ſuo ære compararent. Valdè quoque eorum elucet induſtria pueros vica- tum, pagatim ad catechiſmum colligendo. Mirè ciues recreauit diſcipulorum pietas, qui vnbella adaptata, & vexillo cruce inſigni ſupplicationem cohoneſtarunt, agmineq; facto ſub cuiuſque



bibliothecam suam Societati nostræ legauit. Duo se Ordini S. Augustini (quia ad Societatem aditus non patebat) consecrauere. Decem alij studiosi ex scholis nostris ad diuersa monasteria concessere. Doctrina Christiana decem vrbis locis resonat, magnâ auditorum frequentia, ob vigilem Magistratus curam, qui eo passim tempore iuuenibus conciliabula interdixit, multaque sanxit Christianæ Reip. perutilia. Bellatum pro scena inter Theodosium & Eugenium personatis centum viginti, spectatoribus Illustrissimo Domino Nuncio Apostolico, & D. Petro de Toledo, sacrarum largitionum in Belgio præfecto. Fauit hic studiosorum industriæ, & primos quosque litterario munere dotauit.

### *Collegium Insulense & Montense.*

Collegium Insulense numerat personas 27. sacerdotes quindecim, præceptores sex: è quibus duo sunt sacerdotes; Coadiutores reliquos. Excessit vnus è viuis, in Societatem cooptati duo. Catecheses & conciones domi forisque frequentes & fructuosæ. Consilium dubiis, afflictis solatium fuit. Nonnulli etiam inter quos grauis altercatio, ad concordiam reducti; in his viri nobiles quatuor, qui ad gladios vsque venerat & vulnera: qua conciliatione factum, vt primariæ huius ciuitatis familiæ reiuñctæ sint. Corona argentea, & inaurata, affabrè confecta, ad hieothecam operiendam, donata templo: discus, etiam argenteus, cum vrceolis inauratis, non leuis pretij opera & cęlatura elaboratis. Senatus mutuum decem florenorum millium remisit. Tria coniugia eiurata prius hæresi rite copulata. Mulier ætate & hæresi consenuerat, eam noster fide vegetauit. nutans alia in fide  
robo.

roborata. Adolefcēs è noſtra diſciplina graui morbo conflictatus, inſigne pietatis ſpecimen edidit, cum æquiſſimo animo dolores tolerando, tum ſalutaria familiæ præcepta dictando. Sodalitas Parthenia creſcit & numero & merito. Ière & turmatim peregrinantium ritu ad D. Virginem de Gratia (locus eſt milliari vno ab vrbe diſtans) ibique ſolemni cantu Canonorum Decano myſteria obeunte, diuinum Numen placarunt, opemque in publica calamitate patriæ implorarunt.

MONTENSE Collegium incolunt è noſtris 25. ſacerdotes 14. magiſtri non ſacerdotes tres, ſubadiunæ 8. Exceſſit è viuis P. Vincentius de Ver Binchienſis poſt diuturnam corporis infirmitatem, æquabili conſtantique animo toleratam: variis in rebus 40. annis ſuam cõprobauit induſtriam. Singularis in eo animarum zelus, quas neglecto peſtis periculo auidè conſectabatur. Domesticam rem locupletauit R. D Abbas S. Dionyſij ducentorum florenorum cenſu; ſacram ciuium liberalitas mille florenorum impenſa. Elucet imprimis Sodalium pietas virorum ferè omnium honoratorum. quatuor ex his hebdomadatim carceres, noſocomia, domos ciuium tenuiorum obeunt, iuant eos pia commonefactione, & pecunia ex ærario Sodalitatis deprompta eorum inopiam ſubleuant. Concio, catechiſmus, ſcholæ tenorem ſeruant, & augeſcunt indies. Pagi vicini, remotique ſæpius obiti. Accessit grauium matronarum ſtadium, quæ puellas natu grandiores monent, fidei Chriſtianæ rudimentis imbuunt, & ad Sacramentorum uſum condocerunt. harum ope mulierculæ peccatis graues ad nos adductæ, & conſcientiæ onere ſubleuatæ. Luſtratum per Aduentum & Quadrageſimam Dionantum, Leodiene oppidum, quæ concione, quæ catechiſmo. vber in eo

con-



confessionum, morum in melius mutatorum fructus exitit. Exercitiis spiritualibus exculsi Religiosi, sacerdotes, laici plures vario animorum bono.

### *Collegium VVinoxbergense.*

**B**Ergis 13. de nostris versati sunt, quorum sex sacerdotes. Vicino in oppido duo magi supremo supplicio afficiendi nostrorum operam expetere, qui magno cum dolore & scelerum suorum detestatione, ad rogam deducti. Desperabundus quidam, qui se iam inersum ibat, ab eo proposito reuocatus. Vna vicino in oppido ab anabaptismo ad fidem traducta, eiusque proles septennis ritu Catholico baptismo expiata: maritus dubiæ fidei professus fidem. Quinque alii è partibus hæreticorum in Catholicorum castra transiere, doctique fidei Christianæ rudimenta, quæ vt percipiant vicino ex oppido Bergas subinde se conferunt. Submissi per nostros Hollandis in carcere Dunckeræ captiuis libelli pij & Controuersiarum. Inibi audita confessio duorum Catholicorum qui ab annis 30. non confessi, vt & aliorum. Duo Catholici pauperes sine lytro dimissi, alij etiam minore pretio redempti nostrorum operâ. Omnibus penè hebdomadis habitæ ad eos de fide & moribus conciones, vnde multis iniectus de sua hæresi scrupulus, vt iam in ea nutent, qui stare videbantur. Duobus in oppidis statim habiti catechismi, ad quos maior indies puerorum numerus affluit. In pagos quaquaversum excursus: habitæ conciones, catecheses, auditæ confessiones, quamplurimæ lites compositæ. Senatus in Societatem beneuolentia imprimis crescit, qui hoc anno, esto Resp. & militum rebellium pressa grauamine, & bel.

belli oneribus fuerit, bonam tamen Collegij partem eouſque promouit, vt facilè quindecim florenorum millia in eam expenſa ferantur, cum ſpe ampliandi vbi bellum reſederit. Inſtituta Sodalitas B. Virginis, in quam primarij Bergeniſium allecti: & altera, in quam flos iuuentutis noſtræ adſcitus. Diſcipulorum numerus adeò creſcit, vt ſcholæ laxandæ fuerint. Habitæ de more conciones, catechiſmus. ægri, captiui, afflicti, noſtrorum piis monitis hebdomadis ſingulis recreati.

### *Reſidentia Bruxellens ſ & Camera- cenſis.*

**B**Ruxellæ, caſtraque occupatos habuere in ciuium militumque ſalute Patres viginti duos, fratres decem. Duabus feminis diabolica illuſio ſaluti potius quam fraudi fuit: vnam proci ſpecie per plateas errabundam abduxerat; alteram mente ſacrilegam, corpore quaſtuolaſam teterrima auis obuolitabat. Vtrique conſeſſio ſalutaris fuit facta noſtris. Hæreſim abdicarunt non pauci. Vnus inter eos eximius, ingenio excellens, ore facundus, duabus his alis ad peſtilentiæ cathedram velificabatur; ſed curſum vertit audito noſtro, & in nidum Chriſtianæ fidei ſe recepit. Frequens inter coniuges, nec rarò inter proceres, pax conciliata. Aliquot ſolutioris antè vitæ, ſalutaribus ſe caſtita-tis vinculis aſtrinxerunt. Silentio coram prætereo cõciones ordinarias in pluribus ſtationibus feſtis Dominicisque magno fructu continuatas. In primaria æde quotidie per Aduentũ atque Octauam Venerabilis Sacramenti, nec non in duobus primariis templis per Quadageſimam magno con-  
curſu.



*Collegium Cortracense.*

Sacerdotes deni, vno plures alij Cortracensem agrum excoluere, lectis his ex annua messe mancipulis. Conciliationes animorum variæ procuratæ. Vni etiam iurato similtas extorta. Familiæ duæ toto penè decennio iniurijs se lacessabant publico priuatoque scandalo plurimorum; ex per sacerdotem nostrum compositæ. Alijs item duobus post actionem iuris diuturnam, vtroque sententiam iudicis metuente, grauis animorum ardor exarserat: ex dubio tandem iure iniuria certa extorta; sed suasu sacerdotis nostri ita animi vtrimque mitigati, vt suum quisque ius neglexerit, iniuriamque donarit. Et ne leuis gratia inita videretur, ipso Parasceues die Collegium nostrum adiere, datisque dextris, quasi patienti Christo mutuam donarunt offensam, pacemque Deo teste firmarunt. Mulier occultis acta molestijs, sibi familiæque meditabatur exitium: cuius tandem animus ita tractus pertractusque est, vt metu posito, sibi, familiæ Deoque restituta videatur. Febrim corporis animiq; simul grauissimã, à qua certus iuueni imminabat interitus, vna confessio peccatorum excussit. Virgo Religiosa ignoto medicis morbo per interualla corripiebatur, manifesta quidem inquietatione, sed mali dæmonis occulta possessione. Verum admotus à nostro agnus cereus, muto dæmoni vocem extorsit, ipseque tandem piacularibus Ecclesiæ precibus fugatus. Foris etiam excursions variæ fructum retulerunt. Villam suburbanam, quæ nobis liberali manu cesserat, insidebat animarum hostis, spectris obuios territans. eoque iam euaserat malum, vt villico lactis spes, familiæ necessarius proventus videretur esse sublatus. Missi Patres duo domum

vniuersam familiamque sacris lustrarunt, dæmonemque possessione abegerunt, suam deinde lacti vim reuocarunt, immerso per vices cereo agno. Verum pertinax hostis ne inultus abscederet, pro vna villa viciniam inuasit vniuersam. sed vniuersis eadem remedia profuerunt. Infamis quædam magicis artibus scelus omne adnitente nostro abiuravit. Ea vt ciuibus suis illatam compensaret iniuriam, iam proxima rogo elata voce contestata est, ad eam mentis cæcitatē se ex vno violatæ confessionis sacrilegio fuisse deuolutam. Suadebat proinde studiosè sibi quisque caueret imposterum, ne confessionem sua negligentia aut pertinacia redderet irritam, si similem vitæ exitū formidaret. Adiuta consilijs desperabunda, vt mentem meliorem indueret. Hæc proxima flumini, incertum cuius ductu (Angelum Custodem auguratur) media nocte suis est restituta. Partiti antè domi temploque publico nostrorum labores ad vnum sacellum domesticum reuocati, per angustū illud quidem, sed crebro comitantium agmine populosum. Supellex sacra aucta florenis quingentis. Accessit lychnus argenteus pulcherrimus visu, & nobilis insuper altaris ornatus intextili auro ditatus.

### *Collegium Valencenense.*

V Alencenis laborarunt hoc anno sacerdotes vndecim, totidem non sacerdotes, quorum Coadiutores sex. Nusquam nec domi (tenui licet censu dotata sit) nec in promouendis noui templi muris diuina bonitas defuit. Accessit porticus elegans & magni pretij liberalitate Illustrissimi Archiepiscopi Cameracensis. Nihil in tanto latomorum & fabricorum concursu, nihil in malleorum tumultu  
de



de religiosa disciplina, aut de animorum zelo remissum. A meretricio quæstu, à sacrilegis nuptijs, ab vsuris multi abducti. Tres hæresin abiurarunt. Nullus penè per trium milliarium ambitum pagus, qui indefessis nostrorum laboribus non sit ex-cultus. Vnde ad leuandas criminibus conscientias non paruus ad templum nostrum concursus. In xenodochio vbi vagabundi, & sedibus suis errantes mendici receperantur, magno animorum emolumento doctrina Christiana explicata. Ex ijs quispriam à nostro monitus captandarum longè liberaliorum eleëmofynarum, rosarium ex ipsiſ eleëmofynis coëmptum seminarium esse, verissimum consilium non sine D. Virginis munere expetitus est. Seminudus enim cum incederet, eo ipso die quo rosarium comparauit, omnigena veste donatus est. Nec maiorem corporis quam animæ curam habuit: eam salutaris confessione expiauit, & facio epulo, ad quod adulta iam ætate nondum accesserat, recreauit. Familiam honestam dæmon grauissimè infestabat, ibatque in peius communicato cum filiofamilias consilio, magno domesticorum dolore; sed ritè expiatis apud nos animorum maculis omnino est profligatus. Nouum hoc exitit suos in clientes Dei paræ monumentum. Nocte intempesta profusa post pocula, creditorem debitor in profundum flumen præcipitauit. Ille in incertum fluctuans cum multa nocte nullum præsens esset hominum subsidium, D. Matris opem implorat: & ecce, collotenus natandi ignarus, tantisper in profundo & præcipiti flumine substitit, dum vicini excitati aduolarent. lapsu hoc corporis erectus ei ad pietatem animus, quam constans nunc apud nos colit. Graues duos inter nobiles inimicitias, amicorum & aulae cohortatu, composuit vnus è nostris. Idem sensere beneficiū duæ aliæ familiæ, quæ  
in

cursu. Catechismos, Sacramentorum frequentationem tantam, cui operarij sæpè non suffecerint. **CAMERACI** maiori prouectu, quàm numero (notuè omnino sunt) concionibus, catechismis insudatum. Valdè iuuit fauor Archiepiscopi, qui concionatorem nostrum ad metropolitanam ecclesiam inuitauit, catechismum non semel inuisit, & præmia liberali manu distribuit. Idem centum coronatos ad coëmendas proximas ædes futuro Collegio peropportunas largitus est. Hæresis partim extirpata. Sacrilegia sublata. Impudici tam iniuges quàm coniuges ad pudoris leges traducti, Quendam non dæmon magis quàm mentis noxæ infestabant: deleuit eas apud vnum è nostris, & infestum simul hostem fugauit. In altero manifestius illuxit Dei matris suffragium, quò præsentius erat periculum. Boum mercator duobus stipatus sociis inclinante iam die, domum è taberna repetebat. Longiusculè iam progressus fucum sibi factum aduertit, alieno pallio pro suo supposito. Ille ira excandescere, diras inuocare, pro voto varia blasphemio ore depromere; & ecce, adsunt diuinæ Iustitiæ satellites duo humana specie, cane albo præeunte: qui abreptum hominem in fossam demergunt, & omnino præfocassent, ni socij B. Mariæ ope implorata, & crebro Crucis signaculo præstò fuissent. Itaque semimortuum domum deducunt, & lecto componunt. Sed nihil tutum Deo insequente. Nocte concubiâ penetrant iidem satellites in stabulum lecto proximum, nutibus signisque adeò efficacibus euocant hominem, vt è lecto se proripuerit, vxore licet, puerisque repugnântibus. Hic indusio spoliatur, quod in laqueum intorquetur, & trabi nequitur collo miselli inserto. Exterritus ille trabem arripit, & identidem cum vxore D. Virginæ & S. Aubertum Cameracensium



patronum inuocat. Nec vanæ fuere preces : soluitur extemplò laqueus , suspendioso in stramē subiectum deciduo. Vxor tam luctuoso spectaculo percussa stabulum reſerat, vicinos quoſque intentiſſimè inſclamans. Interea ruruſ in trabem cautiùſ tollitur, & pertinaciorè quàm antea laqueo ſtringitur. Sed ad vicinorum vocem cælum in vota pullantium & B. Virginem conſclamantiũ, ſignoquè crucis efformato ruruſ decidit, & aliquanto tempore exanimis manſit. Summo manè Parochum adit, conſitetur, noſtrum accerſiri curat, cui rotiuſ vitæ acta detegat. fecit id magno animi ſenſu, & viuut nunc beneficij memor.

### *Reſidentia Luxemburgenſis & Attrebatenſis.*

**L**Vxemburgi hoc anno ſacerdotes quatuor, totidem Coadiutores verſati. Concio, catecheſes curſum ſuum tenent. Sacramentorum uſuſ valdè auctuſ præeunte concilij Præſide cum tota familia; qui ſuo exemplo nobileſ, conſiliarioſ, aduocatoſ ad ſimile exercitiũ excitauit. Mirum quantum conſitentium pietatem promouerit iubileum ab Archiepiſcopo Treuirenſi impetratum. Puella grauiffimo morbo per veneficiũ afflicta, Virgini Lauretanæ iter vouit, & dum ſe conſeſſione & communionè ad id munit, crineſ, vngueſ, aliaquè id genus monſtroſa egerere cœpit, atque ad eò eadem piè perſoluto voto priſtinæ ſanitati eſt reſtituta. Alia pudica mulier philtro dementata, grauiffima amaſij illuſione inſtebatur : ſed ex ſacerdotiſ noſtri conſilio conſeſſa, ſacroquè pane recreata pudicitiam illæſam ſeruauit. Hæreſim publicè priuatimquè abiurarunt omnino ſeptem.

Vnuſ

Vnus etiam hæretici Ministri machinationes Apologetico scripto subuertit. Nec ægrotis & capitis reis opera nostrorum defuit. Donatus vnus à nostro Crucifixi imagine, dæmonem, quicum antè familiaris vixerat, fugauit in posterum. Domus nostra piorum liberalitate ampliata, scholæ etiam Archiducis beneficentia, & senatus cura instructæ. Templo accessit quingentorum florenorum æstimatio. Pagi magno rusticorum fructu lustrati, sacris commentationibus vacarunt sacerdotes aliquot, quorum duo in Religionis septa se receperunt.

ATTREBATI ad superioris anni sacerdotes, quatuor & tres rei domesticæ Adiutores, accesserunt duo sacerdotes & præceptor vnus, scholarum primitiis destinatus. Conciones habitæ diebus sacris sæpè quaternæ, profanis per hebdomadam non rarò, vt occasio & votum Pastorum, clerique erat. Bethunia etiam, & S. Pauli oppidum vicinum diuini verbi semine perspersum. In posteriore etiam catechesi erudiendis pueris methodus à nostro proposita, in publica oppidi archiua & S. C. relata, semelque directæ catechismi regula stetit & obtinuit. Visitatus cum fructu; carcer. Captiui tres nostrorum interuentu & eleëmofynis piorum hominum exempti. Vel vnus mille florenos in pauperes contulit per nostros miseris distribuendos. Adiuti ægri, & omnium ad vnum in xenodochio aliquando confessiones exceptæ. Exercitia variis vtiliter tradita, ex quibus iuuenes tres Capucinis se adiunxere, claustris etiam se includere virgines totidem. multi ciliciis & flagellis corpus domant, de vanitate admirantibus & renitentibus etiam parentibus triumphantes. Luctuosus omnibus bonis accidit obitus Reuerendissimi Domini Ioannis du Ploich, qui vrbi Episcopus.



pus, Societati parens erat, vt eam heredem ex æquo cum neptibus reliquerit. Multa ille pietatis documenta toto morbi tempore exhibuit, itaque intentè Crucifixi imaginem intuebatur, vt oculi nunquam mortuo occludi potuerint. spes est beatam animam iugi nuac diuinæ lucis contemplatione perfrui, quam in nûbe & vmbra tam studiofè quaeritabat. Auger spem visum nostro oblatum, erat is fortè Attrebatò absens ea ipsa nocte, qua spiritû Deo reddidit: itaque visus est sibi per quietem videre Episcopum hilari vultu ad portam insignis castelli sub amœno colle sese salutantem, & sciscitanti qui valeret, respondisse hilariter, Satis bellè. deinde conquestum, cur se in extremo morbo non inuissset, admissa excusatione valedixisse subtristiore tamen vultu, quo se indicabat precibus dormientis commendare. & ecce subito expergefactus noster, & excusso stragulo fugientem vmbra prosequenti similis, derepentè in psalmum *De profundis* spiritali quodam gaudio profusus erupit. Scilicet cùm omnium nostrùm precibus Attrebatò commendaretur, etiam absentis suffragium expetiit: vt de quibus quam optimè meritis fuerat in viuis, continuò mortuus acciperet beneficium à singulis. Auximus potiori bibliothecæ parte Francisci Maugrè Præpositi Attrebatensis, qui primus nostros Duacum aduentantes hospitio perbenignè excepit, & totos deinde triginta & quod excurrit annos, eandem in Societatem benevolentiam continuauit. Accessit sacello casula pretij & operis eximij à Governatore ciuitatis valdè in nostros beneuolo: hierotheca insuper & duo calices inaurati, non materia magis, quam manu, & pretio cõspicua. Nec defuit ciuium liberalitas, mille etiam florenis præter suppellectilem in domesticum apparatus tributis.

Sed eximia Abbatis Vedastini munificentia, qui bibliothecam auxit, sacellum instruxit, & multis millibus aream futuro Collegio comparavit, finem non antè beneficentiæ facturum, quam Collegio culmen viderit impositum.

### *Missio Hollandica.*

**A**Nnus hic periculis quàm fructu fecundior. Præter Hollandiam circumiacentes regiones lustratæ à tribus Patribus, qui in hac Missione versantur, Frisia, Transsalaria, Traiectum, Zelandia. Tantus ubique divini verbi ardor, ut eodem die bis ter facere verba, secretò tamen, oporteat: tantus concursus, ut his periculum nostrum sit creatum domo ipsa satellite circumdata. Sed evasit Deo propitio, nunc postico elabens, nunc recto superlatus: alter a Prætoris comprehensus, ea animi libertate rem suam egit, ut lytrum persoluto, eodem die sit dimissus; & libæum etiam, seu vasculum sacri Chrisnatis è sacra supellectile fisco addicta Prætoris favore recuperavit. Lytrum illud pro corporis tutela deorsum in animarum lucrum cessit: nam & cohors prætoris ea occasione fidei rebus instructa & exarsit hoc flabello ardor Catholicus, ut tota nocte quæ natalis Christo erat, cubiculum piis canticis & sermonibus resonaret. Confessiones hic adedò crebræ, ut totos sæpè dies cum noctibus absument. Passim infantes & pueri, nonnulli etiam adulti, baptismo & catechesi initiati. Sacrilegus & incestuosus multorum concubinatus sublatus. Viget hic castitas in fornace libidinis, nobilium aliquot votis conceptis. Virgo quædam annorum viginti, cum pridie parentes de religione differentem nostrum audissent, & iam filiarum aliquam licet timidè Deo consecrasset, vsa hac



opportunitate, irrupit manè in cubiculū parentum abiecto habitu sæculo renunciatura: supplex; licet ægrè impetrat, reiectisq̃ aureis argenteisq̃ murenulis, & id genus cimeliis, virtutum chora-gio se nunc ornat studiosius, quanto antè vanitati erat addictior. Ad Catholicæ Ecclesiæ gremium traducti plusquam centum. Inter eos vnus præferuido spiritu, multa Catholicis ore blasphemo obiectare solitus, ita resipuit, vt qui antè plurimis auctor erroris fuerat, pòst non paucioribus dux ad fidei rectæ tramitem extiterit. Catholici, quorum plerique nomine tantùm censebantur, nunc fidem moribus exhibēt, salutaria præcepta edocti; quam antè opinione potius obtinebant, quàm re vendicabant. Nobilis quidã, cuius fides diutino tempore iam intepuerat, aduentu nostro ita redarsit, vt sarcinulam nostram per multa milliaria ipse tulerit, & vxorem ad hæreticorum conciones prope-rantem, funibus & verberibus domum retraxerit populo inspectante. vocatus idem à loci satrapa iudicio se stitit, & fidem donum Dei, liberumq̃ue eius exercitiū asserenti iudici, Quid ergo, inquit, nobis fidei nostræ exercitium interdicitis? mihi, aiebat, vxoris cura demandata, Deo fidei eius mihi reddenda ratio, quam nullis minis, nullis blanditiis ab auitæ fidei tramite recedere patiar. Certant ciuitates, & in iis familiæ, quæ quo tempore ordineue Patrem habeant. Sed & pagi in certamen veniunt, submissis vndique curribus qui eum auehant.

## PROVINCIA POLONIÆ.



VMERANTVR in tota hac Prouincia cum iis, qui in captiuitate sunt Socij quadringenti septuaginta vnus. In Domo S. Barbaræ duodeuiginti; in his sacerdotes decem, reliqui rei domesticæ adiutores. In Domo Warsauiensi septem: sacerdotes quinque, Coadiutores temporales duo. In Collegio Vilenensi sexaginta: præceptores vndecim; quorum duo Scholasticæ Theologiæ, vnus Positiuæ, Controuersiarū & Hebrææ, Casuum conscientiæ vnus; vnus itidem Philosophiæ, scholarum inferiorum sex: scholastici tres & viginti: curatores rei domesticæ quattuordecim. Bransbergæ tres & triginta; ex quibus sacerdotes duodecim, præceptores octo: Casuum & Controuersiarum vnus, Philosophiæ vnus, vnus Mathematicæ, humaniorū litterarum quinque: Coadiutores nouem. Pultouiz duode triginta; sacerdotes vndecim, decem præceptores: ex his, Casuum vnus, alter Controuersiarū, duo alij Philosophiæ & Mathematicæ, scholarum inferiorum reliqui: scholastici sex, septem Coadiutores. Posnaniæ quinquaginta & vnus: horum è numero sacerdotes quindecim; professores tredecim; scholasticæ Theologiæ duo, duo Casuum, Positiuæ, Philosophiæ, & Hebrææ singuli, inferiorum scholarum quinque: scholastici viginti sex, nouem Coadiutores. Calissij vnus & quinquaginta: sacerdotes quattuordecim, decem præceptores: in his tres Philosophiæ, Casuum vnus, alter Controuersiarū, tertius Mathematicæ, quattuor reliqui scholarum inferiorum: scholastici viginti quattuor, Coadiutores decem, Iaroslauiz duode triginta in vniuer-



sum, sacerdotes duodeuiginti; ex his qui tertium tirocinij annum ponunt, vndecim: præceptores quinque, Coadiutores septem. Lublini septem & viginzi, sacerdotes nouem, præceptores quinque, sextus nostrorum, qui humanioribus litteris dant operam, & sex numerantur; Coadiutores octo. Polociæ quadraginta vnus. in Collegio sacerdotes sex, tres præceptores, Coadiutores octo: in Nouitiatu verò adiuncto, sacerdotes duo, duo Fratres veterani; nouitij scholastici quindecim, quinque Coadiutores. Niesvuisij duo & triginta, sacerdotes octo, præceptores sex, Casuum vnus (quos bis in die prælegit) alter Controuersiarum, tertius academicorum nostrorum, qui intra domesticos informantur parietes; tres alij inferiorum scholarum: Casuum auditores sex, totidem Rhetores academici, Coadiutores octo. Rigæ quattuordécim, sacerdotes octo: quorum vnus ob paucitatem frequentantium discipulorum, omnes inferiores litteras proficitur: scholasticus vnus pro Lothauis, Coadiutores quinque. Gedani sex, sacerdotes quattuor, Coadiutores duo. Leopoli decem, quinque sacerdotes, totidem Coadiutores. Torunij septem, quattuor sacerdotes, reliqui tres Coadiutores. In residentia Sendomiriensi tres, duo sacerdotes, tertius Coadiutor. In Suecia captiui.

*Domus Professa sanctæ Barbare  
Cracouiæ.*

**A**D gremium Ecclesiæ Catholicæ per nostros ad ducti hoc anno, partim schismatici, partim hæretici, ex variis hæreticorum lacunis quinquaginta septem: quorum plerique vel ab ineunte ætate in hæresi aut schismate educati, vel pluribus annis im-

implicati fuerunt. Vnus etiam extitit, qui cum differret conuersionem suam, & correptus à Deo ægritudine corporis sæpius recurrente, immobilis permaneret, tandem visu quodam admonitus, permotus est. Apparuit ei specie venerabili senex (vnum ex patronis regni huius fuisse facile crediderim) habitu Episcopali; qui verbis grauioribus hominem allocutus, minas etiam adiecit, nisi ad Deum conuerti, & in sinum Ecclesiæ redire properaret. fecit, & exomologesi ritè facta, Deo & Ecclesiæ reconciliatus est. Confirmati itidem nonnulli in fide nutantes, nostrorum operâ & directione. Mahometanus vnus Scythæ, alter Iudæus, de fidei mysteriis domi nostræ instructi, & ad baptismum ritè suscipiendum dispositi. Ab improba & impura vita, qua multo tempore non sibi tantum, sed pluribus aliis ob scandalum nocuerunt, ad meliorem frugem adducti quinquaginta. quorum nonnulli fuerunt, qui non contenti exemplo nocere pessimo, suam quoque operam in seducendis aliis interponentes, eò magis nocuerunt, quò maiorem ob certas circumstantias gradus vel conditionis suæ, auctoritatem habuerunt. Confessiones à multis annis intermissæ, audita plurimæ, generales etiam totius vitæ non pauca. Quidam variis spectris à dæmone illudi solitus, semel etiam de vno loco ad alium remotiorem asportatus, post factam apud vnum è nostris confessionem, omni & metu & illusione liberatus est. Plures item alij contra varias dæmonū præstigias nostrorum consilij præmuniti. Inimicitia inter multos sopita: in quibus erant aliqua magni momenti, quæ ad cædes & homicidia perpetrata vel perpetranda spectabant. Vnus qui sese dæmoni deuouerat, & varia veneficia lucri comparandi causa exercuerat, ad mentem rediit saniolem, expiatus confessione sacra.



cra. Prælatorum rogatu adierunt nostri Religioforum monasteria duo: alterum Monialium; viro- rum alterum, & consuetis Societati mediis, mul- torum saluti consuluerunt. Exercitia spiritualia variis personis, sed præcipuè Religiosis & Ecclesi- asticis cum fructu tradita. Collapsa Congregatio quædam sæcularium, ad subleuandas pauperum necessitates instituta, eorum præsertim, qui in pu- blicis plateis, sine omni penè solatio iacebant, ma- gno pauperum commodo nostris interuenienti- bus, restaurata est. Fabrica noui templi egregia hoc anno sumpsit incrementa liberalitate Serenis- simi Regis, qui per se videre voluit: & postquam vidit, eius quam primùm perficiendæ cupidus, ampliores sumptus annuos suppeditari mandauit. Supellex sacra sacristiæ, & templi nostri piorum liberalitate insigniter aucta est, ita vt excedat va- lorem florenorum mille.

### *Domus VVarfauiensis.*

**W**Arfauie maius, quam pro nostri Ordinis, in ea vrbe, hominum numero exitit lucrum ani- marum. Præcipuus fructus è sacris confessionibus, ad quas frequentandas non ciuitas solùm, sed vni- uersa fermè eius territorij inducta nobilitas; idque eo potissimùm tempore, quo pestilentia vis ciui- tatem, eiusdem metus omnem circumcirca regio- nem occupauit. Tres è nostris, qui adiuuãdis lan- guentibus adessent, in vrbe relictì, tametsi sum- mum vitæ sæpius adirent periculum, intacti reli- cti, Deo nimirum prouidente, vt eorum corpora non tentaret contagio, qui multorum animis sa- lutem adferrent. Itaque per id tempus & aliàs fru- giferæ animorum expiationes, tum vitæ quoti- dianæ, quam plurimæ; tum verò à primis aut plu-  
ribus

ribus annis ducto initio, decem supra centum instituta. Quinque qui pluribus annis nefarias hæreses & dogmata impia coluerunt, ad rectæ religionis cultum traducti. his accessit vnus, qui à schismate Rutheno ad vnitatem Ecclesiæ transiit. Decem à turpi quæstu corporum abstractæ, honestiorem subleuandæ vitæ rationem inierunt. Duo de primoribus vitis dubio perplexoque circa Ecclesiæ veritatem animo, confirmati. Atque vt summam officiorum omnium verbo concludam, nullo loco partes nostræ desideratæ sunt.

### *Collegium Vlnense.*

Vnestauit annum hunc optimorum operariorum obitus. Horum primus Matthias Woicichovvicz, strenuus rerum domesticarum administrator, in obedientia promptus, ad labores impiger, periculorum contemptor. Quo factum, vt cum aliquando tempore pestis mansisset in Collegio, lue pestifera fuerit affectus. Cuius impetum etsi tunc superarit, sæpè tamen recrudescente vi mali altius hærentis, dolores experiebatur, tandemque eiusdem occultis viribus creditur extinctus. Nec diu cessatum. P. Florianus ætatis fermè 37. in Societate verò actæ vitæ 17. sublatus. Is postquam Philosophiæ & Theologiæ studia absoluisset, tanto cum fructu missiones obibat, vt ij cum quibus versabatur, ægerimè eum à se diuelli paterentur, sæpiusque eiusdem reditum postularint. Huius funus non ita multò post excepit P. Richardus Snigletonius, Anglus, vir non solum magni & acris ingenij, sed rari etiam exempli: qui cum triennio cursum Philosophiæ, nec paucioribus annis eam Theologiæ partem, quæ in resoluendis controuersiarum nodis consumitur, magna cum laude prælegisset, pariq; cum approbatione Scholasti-



lasticam Theologiam iam quartum annum ferme, tum hîc, tum alibi profiteretur, magno iuuantæ patriæ, & religionis in ea amplificandæ, ac fundendi pro Christo sanguinis desiderio inflammatus, dum responsum R. P. N. Generalis super ea re expectat, acuta correptus febris, ad egregiæ huius voluntatis, & laborum susceptorum percipiendæ præmia, euocatus est in cælum. Funus eius magno cum doloris sensu, à summis iuxta ac infimis, & præcipuè academicis nostris, quibus omnibus carus acceptusque erat, est celebratum. Nec diu factum; cum P. Petrus Krimerus, eodem tentatus morbo, eundem finem est sortitus. Hic etsi non multis annis in Societate vixerat, magno tamen animo conabatur ea munera obire, quæ sunt vocationis nostræ propria. Eam ob rem cum esset natione Germanus, linguas tamè tres inter se diuersissimas, Polonicam, Lothauicam, Lithuanicamq; ita didicerat, vt confessionibus excipiendis, exhortandisque rudibus fuerit idoneus. Ad hos omnes accessit vnus è Philosophiæ auditoribus, Hieronymus Wilkovvski, cursu finito, in ipso ætatis flore elatus. In maxima annonæ totâ Lithuanîâ difficultate, cum plurima egentium hominum multitudo, ex circumiacētibus vicis Vilnam conflueret; nosocomia aliquot, præter ordinaria, conductis in ædibus ex tempore excitata. In illis fame frigoreque confectorum hominum aliquot millia, corrogata per nostros stipe, alebantur. Quotidie per urbem & suburbana conquirebantur, atque è publicis sordibus simoq; extracta, mortuis quàm viuis similia, hominum macie luridorum simulachra curru deuehebantur. Ibi demum nonnulli, quorum corpora vermibus sanieque scatebant, balneo, omnes cibo reficiebantur. Aderant sacerdotes confessionibus excipiendis, moribundis iuuantis,

uandis, ignaris instruendis, afflictis solatio subleuandis. Moriebantur in singulos dies minimum viceni, sæpius triceni quadragenique. iis humanis seruitum est diligenter, magna cum Societatis commendatione. Longum esset singula numerari, quæ isthic agi fuit necesse. Ponentur ea, è quibus licebit aliquam de reliquis quæ tacebuntur, facere coniecturam. Rustica illa plebs erat rudis omnino, & rerum ad salutem pertinentiũ penitus ignara. Nulla plurimis Dei, nulla Sacramentorum, nulla etiam sacerdotum ipsorum notitia, quamuis se Christianos nomine agnoscerent. Quocirca plerique tum primũ in rebus fidei instruendi, & sacro fonte abluendi erant, cum iam iam animam agerent. Duũ propè millium confessiones exceptæ eorum, qui nunquã antea, quid esset confessio vel tenui fama acceperant. Illud accidebat ibidem perquã luctuosum, quòd nonnullę grauidæ mulieres, secretò effusos infantulos, maternum affectum egestatis magnitudine exstinguente, interire voluerint. harum vna parieti allidere, altera in latrinam, tertia in puteum iniicere editos fœtus moliebantur: sed aliorum egentium præsentia obstiterit tam impiis conatibus; à quibus sacerdos noster rei factus certior, & matres parricidij scelere liberauit, & infantibus baptismi præsidio cælum aperuit. Plurimi inter eos reperiabantur coniuges, quorum matrimonia vt essent rata, adhibita sunt ea, quæ ex præscripto Ecclesiæ desiderabantur. Nec solum dictis in prochodochiis à nostris laboratũ, sed obibantur vrbis plateæ & loca suburbana, ibique in fimo iacentium confessiones propè mille ab aliquot sacerdotibus sunt exceptæ. Cadauerum quoque passim in publicis viis iacentium magna multitudo, nostrorum ductu, humata. Hæc circa ægros ac egentes è multis pauca. Nec valentiori-

bus



bus minùs nauata opera. Quattuor sacerdotes decem circiter millibus peccata confitentium aures dederunt. Hos super duo fermè millia eorū erant, qui vel nunquam antea Pœnitentię Sacramentum adierant, vel minùs sincerè id fecerant. Res scholastica floruit de more. excellunt maximè ij adollescentes. qui Marianæ Sodalitati nomina dederunt: quorum vt numerus auctus hoc anno, ita & pietas magis enituit. Argumento esse possunt interularum cilicinarum vsus creberrimus, in publicis supplicationibus sese diuerberantium magnus numerus, expiantium confessione peccata octauo quoque die frequentia. Quin etiam reperti nonnulli, qui bis tẽrue intra hebdomadam idem factitarunt. Tota Quadragesima singulis sextis feriis propria corpora flagris ceciderunt. Ex eorundem numero Societas nostra in vitę Religiosę tirocinio instituendos accepit duodecim: plures etiam reiecit dum eorum desideria magis maturẽscant. Aliis item Religiosis Ordinibus septẽ sese adiunxerunt. Piiis B. P. N. Ignatij exercitationibus quinque perpoliti. Hęc circa scholas. Ea demũm, quę ad simultates tollendas, æris alieni condonationem, coniugum dissidentium coniunctionem, inopum virginum elocationem, rudibus doctrinæ Christianæ in præcipuis vrbis locis explicationẽ, malè possessorum restitutionem, & his similia pertinent; quoniam ita iam vsitata sunt, vt ipsa sui frequentia, noua & magna videri desierint, verbo tantũ tangimus. Puellæ aliquot, adolescentęque, qui ad nos conscientię noxas eluturi accedunt, ne herorum herarumque suarum fœdis & illicitis sollicitationibus succumberent, à nostris sunt salutaribus consiliis armati. Duorum feruor spectatus maximè fuit. Alter erat militum præfectus, qui licet grauissimo conflictaretur morbo;

sed

sed tamen de peccatis tota vita commissis coram sacerdote cum accusaturus esset, nullo adduci potuit, ut id aliter, quam procumbens in genua, faceret. Alter genere nobilis adolescens, ex regio comitatu, cum acutissimæ febris ardore vreretur, expiata prius conscientia, acerrimè virgis ignaro sacerdote in proprium corpus sæuit; nec multos post dies pie defunctus. Infelix quædam mulier filiolum fumo suffocare decreuerat; alia laqueo collo inserto, alia in profluentem præcipitio, finem miseriarum quærere statuerant; sed nostrorum opera earum obstetit cogitatis. Iam carceres duplices nostrorum charitati exercendæ vberem ministrarunt materiam: Ex iis vincti ferè centum, quæ prece, quæ pretio emendicato, liberati. Effectum ut nemo inde dimitteretur, nisi prius de peccatis ritè confessus. Carcer infimus multorum annorum collectis sordibus fœdus, expurgari curatus. Libelli pij lingua vernacula scripti, cœempti, carcerumque parietibus ferreis catenis affixi, ut eorum lectione, tum pietatem imbibant vincti, tum otium colloquiaque minùs honesta deuitent. Sæpè pane cibisque coctis, fame laborantibus est subuentum. Inter lictores, carcerumque custodes, homines ad audendum proiectos, seuerior disciplina, arcis Præfecto iuuantè, sancita. imò etiam iidem inducti, ut in publica supplicatione flagris sese diuerberarent. In eos quoque qui vel Græco schismate implicati, vel Anabaptistarum & Caluinistarum cœno immerși, bellum Ecclesiæ Catholicæ indixerūt, labor nostrorum excurrit. Quinquaginta fuerunt, qui veritate agnita, diuersos errores damnarunt. Illustris erat conuersio filie vnus, qui se Ministros verbi diuini, sub Caluini magisterio dici volunt. Anabaptistæ cuiusdam filius, iuuenis egregia indole baptizatus est. Adolescens vnus, itemq; puer,



& puella, è Scythis nati parentibus, Mahometica superstitione relicta, instructi Christiana catechesi, salutaribus vndis sunt abluti. Femina quædam Germana cum tota fermè familia Lutherum abiuravit. Altera vacillans in fide, est confirmata. Actus cum nobili Calvinista, qui impudenti in Deiparæ integritatem blasphemia, cum nostris clauso colloquio, vix pedem domo extulit, cum materni honoris studiosi filii dexteram magno suo malo sensit. Nam homicidio fœdè patrato, fratre in eadem cæde amisso, trepida fuga vix ipse saucius evasit. Hæc ferè in vrbe. Itum etiam foràs à tribus sacerdotibus. vnus exceptit confessiones eorum, qui ab annis 40. eas non fecerant. Idem cum ad quendam nobilem virum diuertisset, magnam illi subditorum partem, & totam familiam aulicam, ad peccatorum confessionem adduxit: insuper etiam persuasit, vt domestici omnes hero præeunte resticulis plagiariis propria terga diuerberarent. Horum exemplum secutæ feminæ sine arbitris, idem fecerunt. Alter sacerdos cum Collegio subiectos obiret pagos, effecit, vt à quibus externa commoda percipimus, ij interna à nobis acciperent adiumenta. Tertius demùm ampliorem natus campum, vberiores etiam conatus est fructus referre. Nam missus rogatu Episcopi ad quendam paræciam, quæ ipsos 20. annos Curione caruerat, ægris pariter ac sanis curialibus aures præbuit, ignaros instruxit, errores tum in fide, tum in moribus correxit. Idem dum hospitij gratia ad quendam nobilem Calvinistam diuertisset, coniugem ipsius grauitè ægrotantem, & nocturno grandæui hominis viso territam (à quo ob desertam in gratiam mariti auitam religionem grauitè reprehendebatur) confessionis Sacramento expiatam, corporis & animi reddidit sanitati. Quendam a-

lium Arriana infectum perfidia ad Ecclesiam Catholicam accessus (nequicquam plurimis eiusdem farinae homuncionibus dissuadentibus) graui corporis morbo liberauit. Alius item Calvinista errorem eiurauit, cum suum concionatorem nostri Patris conspectum, nedum colloquium fugere aduertisset. Eiusdem sacerdotis altera excursio æquæ fuit fructuosa. Nam & erroris Caluini acrem propugnatorem, acutis febribus æstuantem eò induxit, vt non modò pestilentis doctrinæ venenum euomeret, verumetiam ad piè & christianè moriendum per Sacramenta sese compararet. Auxit Catholicorũ lætitiã coràm coniux, præter spem, maritum secuta. Quamuis enim nostro funebrem concionem de more habente, ipsa velut lymphata fremeret, factumque coniugis obstinatè damneret, & se diris omnibus deuoueret, priusquam simile quid, vel leuiter ad animum admisisset: nihilominus tamen placuit diuinæ bonitati, etiam reluctantem ad se pertrahere. Libros igitur venenatorum dogmatũ flammis vrendos tradidit, seque à peccatis simul & hæresi absolui petiit. Iucundum etiam nobilis puellæ facinus fuit: quæ vt à parentibus Caluino addictis more Catholico noxas conscientiæ exsoluendi veniam sæpè aliàs frustra petitam impetraret, multis spectantibus vbi nostrum sacerdotem adesse vidit, ad eorum se pedes supplex abiecit: & voti compos effecta, tantos in pietate facit progressus, vt etiam parentes videatur breui in eandem mentem inductura. Alia item in Missione eiusdem sacerdotis operâ 20. ab hæresi sunt liberati: confessi, quibus nomē ipsum pœnitentiæ ignotum erat, supra 580. itemque 663. qui à multis annis id facere neglexerunt. Ibidem superstiosæ obseruationes sublata: quas inter præcipuæ erant, gallinæ à feminis, galli à viris domestico



Stico Lari oblatio: pro frugum autem vberitate, vacca & bouis maectatio. Ingens ibidem fuit eorum hominũ multitudo, qui nec templa vnquam adibant, nec Sacramenti vel nomen nouerant, imò ne confessionem quidem facturi, quid esset in genua de more procumbere intelligebant: cuius cæremonia loco in terram sese proni abiiciebant. Incidit idem sacerdos in quendam Anabaptistam, qui suasisuis vxorem à Catholica veritate ad hæresim conuerterat. Cum hac dum agendi facultas ob mariti diligentem custodiam adimeretur; effectum tamen est, vt per speciem familiaris colloquij Sacramento confessionis conscientiam expiaret. Cùm extremis tribus anni huius mensibus, pestilentia in vrbe grassaretur, scholasque dissoluere, & nostros in locum salubriorem secedere coëgisset; relictis erant quattuor sacerdotes, tum concionum Polonica & Lithuanica; tum confessionum gratia, qui omnes intacti permanserunt. Vberissima omnino messis erat, sed illustriores tantum laborum fructus ponentur. Vnus ex ijs sacerdotibus, qui ciuitatem, ad ægros vocati, obibant, excepit eorum, quos pestilens lues lecto iam affixerat, confessiones 338. Eorum verò, qui tamen iam malum contagionis hausissent, venire tamen ad Ecclesiam poterant 1085. Horum plurimi nunquam erant aliàs confessi: longè plures, qui vel à multis annis intermiserant, vel non integrè frequentauerant Pœnitentiæ Sacramentum. Vnus Picardicam hæresim eiuravit. Alterius quoque sacerdotis eidem muneri destinati, his quasi capitibus labor constitit. A turpi corporum questu per salutarem pœnitentiam abductæ mulieres 18. A peccatis absoluti, qui nunquam Sacramentum hoc adierant 49. qui à multis annis neglexerant 350. Præter hos promiscuè auditi, tam in templo, quàm

propriis in ædibus 962. plerique iam pestifero contagio infecti. Hos inter excelluerunt, Prælati quidam totius antea vitæ sordibus ante mortem proximè purgatus. Hæresi infecti 8. ad Ecclesiam reducti. Tria illegitima connubia sanctiori vinculo adstricta. Dissidentium pars in gratiam reductum. Quidam civis amissa vxore cum B.P.N. Ignatij opem implorasset, sacrumque calicem Domui Professæ daturum se sanctè recepisset, cum tota familia illæsus permansit. Quattuor itidem matrone eiusdem B.P.N. Ignatij precibus salutem suam acceptam referunt. Reperta adhæc vna (ex iis quæ apud nos conscientias peccatis exonerant) virgo, vt fortunis egens, ita bonis diues operibus: quæ auertendæ communis calamitatis gratia, cilicina zona ad eò corpus afflixerat, vt scateret putredine, setarumque echinatis aculeis conuulseratur redderetur. Accedebat acris flagro acubus ferreis referto diuerberatio, cum oratione summa hyeme, in templo penè continua, & inedia voluntaria quotidiana, si diem Dominicum excipias.

### *Collegium Brunsbergense.*

**N**ON minori alacritatè ac industria hoc atque superiori anno, ad animarum incolumitatem perfectionemque tam in scholis, quàm in templis laboratum est. Totam vitam confessione detexerunt supra trecentos & 90. Ab hæresi expiati 76. In his quidam nobili loco Elbingæ natus, qui studio religionis conseruandæ relicto solo patrio, Vormditi (quod Varmiensis diocesis est oppidum) sedem fixit. tredecim item è Borealibus regnis Daniæ & Noruegiæ oriundi. Calendæ Ianuariæ supplicatione publica, religione & frequentia singulari celebriores fuere. mille & quingenti salutari



pane refecti. Quidam Canonicus Varmiensis, vt præterito autumno ad recogitandos piis commētis annos suos salubriter est adductus, ita initio huius anni, & ante mortem, & in ipsa mortis hora, plurimum adiutus, memorabili omnibus Canonicis exemplo. Alter hac ætate ex eodem Canonicorū Collegio, spiritualibus trium hebdomadarum exercitiis, magno suo bono excultus est. Idem beneficium tribus aliis sacerdotibus, nec non Oliuensis cœnobij Priori præstitum, Neque nostri tam præstabili animorum recreatione, & spiritus recollectione seipsos fraudarunt. Maxima namque Sociorum pars etiam ante generalem Admodum R. P. Generalis indictionē, piis illis commentationibus fructuosè vacauit. Tres desperatione quadam manus sibi adferre meditati, ad saniores mentem reuerterunt. De vitæ statu & castimonix voto periclitantes duo melioribus consiliis acquieuerunt. Quidam ciuis permotus concionibus, per multas noctes nequiuit habere pacem conscientix; semper plorans ac ciulans, donec ad sacræ exomologeseos asylum confugit, ac totius vitæ noxarum confessione, tranquillitate potitus est. Ex Missione Vormditensi, admirabilis fructus collectus est. Vnde viginti abiurata hæresi, se cum Catholica Ecclesia coniunxerunt. Virgines Christo consecratæ septem, molestiis & angoribus animi liberatæ, & in religioso instituto confirmatæ. Congregatio ibidem B. Virginis ciuium & sacerdotum, quæ nutare cœperat, erecta & stabilita. Simile Matris Dei est Sodalitium è ciuibus & clero institutum. Quidam Brunsbergensis ciuitatis incola Paschatis die, in vicino oppido hæretico, execrandum panem pro sacratissima Eucharistia sub vtraque specie sumplerat. reuersus postridie grauissimis intestinorum doloribus, infelice

cem animam exhalauit. Cuius miserabile exitium cum pro concione noster exaggerasset; quidam animo percussus eodem die peccatorum virus per salutarem confessionem eiecit, & sibi quoque simile quid propemodum euenisse testatus est. Nobilis quidam adolescens Danus viuis Brunsbergæ crepto fratre à parentibus domum reuocatus, quæ hebdomada soluendum illi è portu Dantiscano fuit, bis sacro se viatico muniuit; sæpius antè id & puer & pædagogus eius fecerat. Hi omnes firmiter asseuerabant exulantem à patria religionem auitam, sibi parentum amore, atque adedè vita ipsa cariorem fore, & enixè nostrorum se sacrificiis & precibus commendatos esse poscebant: quorum vi se, multis nauibus nocturnam tempestate demersis, saluos euasisse, litteris postmodum testati sunt, certoque reditum, quam primùm lues pestifera cessarit, polliciti sunt. Quin & parens ipse prudentissimus, & apud suos magnæ vir auctoritatis, honorificas litteras ad nostros, vt aliàs non semel adiunxit, quibus prolixè gratias egit, tum de filiorum institutione, tum de iustis mortuo honorificèssimè persolutis. Addidit se cum scœnore filium superstitem remissurum, cum duobus nimirum primatis cuiusdam filiis. Ipse Rex Daniæ huius Dynastæ consilium de filiis disciplinæ nostræ traditis comprobasse dicitur; vt & is, qui à Rege penè secundus est, Consulem præcipuæ cuiusdam ciuitatis, vt hic ipse Dantisci nostris retulit, sapienter facere dixerat, quod suum filium Brunsbergam erudiendi gratia transmisisset, se, si quinquaginta filios haberet, idem consilium secuturum fuisse. Quidam ciuis honoratus primariæ vrbis in Dania, cum per nostrum non neminem idiomatis illius peritum, in quæstionibus controuersis, præsertim de Purgatorio & Indulgentijs consulisset,





Etum vt viderunt impuri clamatores; omnes machinas admouerunt, vt ab imperio doctrinaque Romanæ Ecclesiæ ipsum diuellerent, & ad semel eiuratū Lutheri cœnum cœtumque retraherēt obtruso iterum atque iterum illi profano pane, meritoque pro Venerabili Sacramēto. Sed egregiè cordati iuuenis mens, in qua errorum expers religio, & morum probitas altas iam radices egerat, euelli euertiue non potuit. Acerbum interim animi sensum ex anteaactæ vitæ recordatione præferens; commissā sua memorato discipulo miro candore exposuit, vt is Brunsbergam reuersus, suo quem nominarat confessario, eadem serie percereret. Ministri illam insignem sui contemptionem, & quam à iuvene passi sunt repulsam vlturi, piè demortui corpus in abiecto profanoq; loco humanum decreuerunt. Non ferens hanc institutoris carissimi ac fidelissimi tantam ignominiam nobilis adolescens, matri suæ, quæ potens & copiosa est vidua, rem aperuit, & vt honestiori loco tumulandum curaret, orauit. Enimvero exorauit; nulla mora heroina illa, quotquot sibi subiecti erant, Ministris conuocatis, honorifica pompa funus deduci, & in templo atque adedò ad latus mariti sui, stupentibus & confusis egregiè maleuolis Ministris, sepeliri præcepit. Elbingæ quidam ad 70. ætatis prouectus annum, apud quem duo nostri sacerdotes per eiusdem filium Dantisco reuerti, substituerant; seriò admonitus est ad proximū Catholicorum templum duobus milliaribus diffirum itaret, & in ea, qua inter Masouios natus & altus erat, Catholica religione, vitam feliciter finiret. id quod stipulata manu se præstiturum recepit. Nec multò post subsecuta serua magis diuinitus admonitio, grauissima scilicet pestis, quæ eam ciuitatem, vt & viciniora Brunsbergæ loca,



memorabili strage depopulata est; sed (quæ Dei est benignitas) Brunsbergæ non adeò læuitt, & quinque mensibus paucos supra 100. è medio sustulit. Ex discipulis nullus desideratus est. omnes ad mortem optimè præparati (etsi plurimi dilapsi) præsertim qui in Sodalitio sunt Parthenico, ex seminario & conuictu, qui in suburbano nostro orto habitauerunt, & sua studia sunt profecuti, cum nostris octo Philosophis, Nec obscure nostrorum charitas pestifero contagio infectis impensa. quatuor cum hic tum Variarum Curionum & Canonicorum oratu præstò fuerunt. Et quidem Varmicæ, qui Parocho extincto alacriter & magna exterorum admiratione veri Pastoris omnia expleuit munera sacerdos, Sacramenta administrando, viuos erudiendo, ægrotos visitando, mortuos sepulturæ mandando; in hoc industriæ suæ cursu atque procuratione animorum, socium suum lue confectum amisit. Degerat hic in Societate quinquennium circiter, iuuentis præter alias virtutes, simplicis & promptæ obedientiæ perstudiosus, Bartholomæus Kuhr, natione Borussus, in coquinæ ministerio vt plurimum occupari solitus. Alter sacerdos cum socio saluus Collegio restitutus.

### *Collegium Pultouiese.*

**E** Viuis excessere sacerdotes duo. P. Michaël Brunatius Ciechanouiensis, & P. Ludouicus Rogorius Aretinus. Quorum prior Coadiutor spiritualis, annos natus propè sexaginta, duos & viginti continuos in hoc Collegio in tradendis populo doctrinæ Christianæ rudimentis ac expiandis confessione hominibus exegit, modestiæ & patientiæ singularis. Alter professus annorum 45. virtutum laude & doctrina in omni altiorum scientiarum gene-

genere exquisita ornatus, lucubrationes ad propugnanda fidæi Christianæ dogmata contra huius temporis hæreticos eruditas & accommodatas conscripsit; quarum aliæ iam editæ sunt, aliæ breui edendæ creduntur. Hic Posnania huc veniens studia litterarum restauraturus, vitio pulmonis spiritum simul & operam abruptit, magno sui apud omnes relicto desiderio, præsertim cum mortis felicitate, non minorem admiratione & utilitatem, quam vitæ integritate omnibus attulerit. Et cum motibus animi ac sensibus integerrimis usque ad ultimum spiritum viguisset, ita se in Societatem gratum, in B. P. N. Ignatium pium, inque alios nostræ Societatis viros memorem vocibus ardentissimis declaravit, ut solus omnia verba religionis & pietatis occupasse videretur. Domestici omnes litteris R. P. N. Generalis permoti, exercitationibus spiritualibus animum excoluerunt, tanto fervore, ut ea plerique repetere desiderarint. Nec dissimile studium eluxit in decem sacerdotibus externis, qui dum primas Deo essent oblaturi hostias, prius rerum diuinarum commentationibus sunt perpoliti. Ad templum porrò nostrum tanta multitudo adiacentium populorum expiandi animi causa concurrat, vix ut tempus suppeteret sacerdotibus nostris quicquam agendi aliud. In his qui confessionem à pluribus annis neglectam instaurarunt, numerati sunt ferè septingenti: qui verò totam retroactam vitam vel ab ipsa pueritia detexerunt, propè trecenti. Sex feminae quoque quæ dominis suis malè assueverant, ut locum mutarent, persuasæ. Viginti sex non infimæ sortis viri, à pellicatu deterriti. Unus Phoriniana, alter Calviniana sectæ professus, Catholici facti. Homicidæ aliquot ad iustam pœnitentiam adducti. Duo fœdissimo duello confauciati, Deo & sibi inuicem



sunt reconciliati. Plurimi quoque ex agris ad mercatum venientes, spiritualibus mercibus, à nostris ditiores domum reuersi. Multi ex ijs inani superstitione soluti, à veneficiis abstracti, & salutari- bus consiliis instituti. Scholas nostras non tam copiosa iuuentus ornauit hoc anno, atque prioribus, idque ob pestis metum, quæ latè vicina loca populata est. Quare nec dialogus de Filio prodigo turò aliter dari potuit, quàm priuatim intra Collegij septa. Aliis exercitationibus scholasticis accessit Mathesis. Congregatio B. Virginis quinque adolentes Societati dedit, tres aliis Ordinibus. Hæc domi. foris verò excursio facta fuit duplex ad vicina loca haud inauspicatò Prior Ostrouiam, quod oppidum est cum primis non infrequēs: sed populus Cuiionum negligentia ita incultus, vt quæ ad instituendam ritè confessionem pertinent, nihil perciperet: quem nostri duo diebus aliquot, Christianis rudimentis ita perpoliuerunt, vt modo conscientia explorandæ tradito, eisdem confessione expiarint; tanta cum gratulatione omniū & gaudio, vt se tunc demum denuò in lucem editos faterentur. Et sanè haud sine diuino nutu, eò tunc venire nostri. Nam paulò post, oppidum illud fœda contagio ita vastauit, vt vix nuncij cladis superessent. Cùm enim plurimi in sylvas ac latebras vitandæ pestilentia causa demigrarent, insuetum quoddam serpentum & scorpionum genus, visu tetrum, & multitudine infinitum, ad eò tuguria eorum infestabat, vt maluerint in oppidum pestifera lue madens regredi & mori, quàm foris tantum horrorem atque discrimen tolerare. Iam verò posterior missio Plociam fuit, quæ ciuitas, vt est frequentior & cultior, sic vberior fructu. Instaurata est ibi disciplina cœnobij virginum pridem lapsa. Viginti quattuor virgines Deo sacræ  
tanto

tanto laudabilioris vitæ desiderio incensæ sunt, ut quicquid haberent sepositum, ad pedes Superioris abiecerint, nouamque sibi Antistitem creari petierint, quæ veterem disciplinam excitaret. Atque ut similis fructus etiam in cæteros ex nostrorum præsentia redundaret, oratio quadraginta horarum ab Episcopo in templo maximo est indicta, duabus postremis Paschæ feriis, quæ tanto hominum concursu est frequentata (non è ciuitate solum, verum ex circumiacentibus nobilium aut villisque) ut similem se nunquam spectasse tota Plocia summa exultatione & animi grati significatione approbaret.

### *Collegium Posnaniense.*

Spellex templi aucta non mediocriter: ad ornatum eius accedere hominum beneficio floreni 600. Sodales Parthenij hoc anno, præter prandium, quo centum circiter pauperes die cænæ Domini exceperunt, singulis diebus Dominicis festisque per Quadragesimale ieiunium, perque Aduentus sacri tempus nosocomia certas in classes distributi obierunt, egenosque liberali eleëmofyna aliquot vicibus recrearunt. nec deerat pia aliqua ad patientiam cohortatio; qua ab ipso Sodalitatis Moderatore animi eorundem reficiebantur. In perugilio item Pentecostes omnes Sodales in classes diuisi varia ciuitatis nosocomia adierunt, eleëmofyna liberali pauperes donarunt. Non defuit qui seminudum propria veste contexit, & hoc ex numero aliquot perfectionis viam ingressi. Vnius singularis fuit vocatio. Nam cum ad Societatem animum adiecisset, cumque parenti aperuisset, & assensum impetrare non posset, hanc tandem ab irato extorsit vocem: Me superstiti vide



de ne quid eiusmodi in mentem inducas tuam: è viuis demùm sublato, fas tibi erit quod voles aggredi. Res mira. Vix biduum intercessit, cum parens repentè moritur, iamque filius cogitata perficere toto pectore laborat. Ad Ecclesiæ Catholicæ gremium rediere nostrorum operâ ad trecentos & quinquaginta. *Quædam* ex furtiuo concubitu pariens, cum infantem de industria noctu oppressisset in lecto dormiens, indeque maximis conscientiæ stimulis agitaretur, sensit sibi à quopiam in manum porrigi cultrum (stimulante videlicet dæmone ad necem) iamque sicam in corpus sæpiùs adegerat, multisque se cæsim vulneribus affecerat; cum Deo miserante, facti pœnitens, ad salutare Confessionis Sacramentum venit, indeque Sacrum cum fructu frequentare cœpit. Non defuerunt etiam, quæ partim à meretricio sunt abductæ, partim viris, à quibus implacabiliter dissidebant, sunt redditæ, partim verò ab incestuosis & illegitimis nuptiis sunt reuocatæ. Magna planè est de confessionis generalis necessitate & fructu existimatio. Nam passim frequentatur: vixque numerus eorum iniri potest, qui eius beneficio cum Deo in gratiam redierunt. In concordiam reducti multi cum iis à quibus capitali odio dissidebant; non inter plebeios modò, sed etiam inter primarios viros. Inter duas inprimis familias longè nobilissimas facta pacificatio magni momenti. Conuenerunt enim paratis vtrinq; ad arma animis magnis pro se quisque asseclarum cateruis ascitis, resque ad maximam sanguinis effusionem spectare videbatur. Præcipua quippe maioris Poloniæ nobilitas, aut isti, aut illi parti, quâ amicitia, quâ necessitudinis iure studebat. itaque nostrorum operâ tanto malo occursum, & partes in gratiâ rediere. *Quod* ita gratum fuit vtriusque partis hominibus, vt vel

eo solo nomine plurimum se Societati debere palam profiterentur. Quædam nobilis matrona, cum aliam æquè nobilem publicè ad sacram Synaxim accedentem grauter & acerbè voce etiam elata, in templo multis audientibus, ipsoque sacerdote ad aram sacris operante, facti cuiusdà coarguisset; eò tandem nostri sacerdotis oratione perducta est, vt perendie eodem in loco spectantibus omnibus veniam sit ab illa matrona deprecata, indeque ad cælestem mensam confessione expiata accessit. Id in Missione foris accidit. Domi verò & in vrbe inter duas præcipuas familias sibi sanguine iunctas, quæ toto biennio capitali odio ardebant, magnaque animorum exacerbatione, forensi iudicio decertabant; pax tandem inita est per nostros, cum antea suam interposuissent in hoc irritò conatu, auctoritatem & operam primarij viri etiam ex nobilitate. In quodam cænobio turbæ erant graues Antistitem inter & cænobitas: eæ sedatæ sunt operâ nostrorum; cum eò quidam profectus, orationem de instituti ratione habuisset accommodatam tempori & loco: qua audita rebelles ad sanio rem mentem, & in gratiam cum Abbate rediere. Sed neque ille in postremis numerari debet concionum fructus, quòd in vrbe periculum erat, adnitentibus ipsis etiam Catholicis, ne hæretici in Magistratum civilem deligerentur: verum ne id fieret, valuit concionatoris grauter eos ab eo consilio pro concione deterrentis auctoritas. Quidam etiam vir nobilis vsurario implicitus cõtractu, audita vnusè nostris concione de eiusmodi contractus iniquitate, voto se obstrinxit, nunquam se quicquam fœnoris loco à quoquam accepturum; quin etiam omnem fœneratitiam pecuniam ad proprios retulit dominos. Alij item plurimi ab huiusmodi illicito contractu deteriti, simulque inducti, vt fœ-



nore comparatum æs omne redderent. iniri summa potest duûm millium & quingentorum florenorum. De Missionibus quæ identidem sub festa sollemniora Paschatis & Natalis Domini, aliisque subinde temporibus fiunt; illud non videtur ommittendum, quòd in vna, quæ duarum circiter fuit hebdomadarum, exceptæ sunt ab vno sacerdote confessiones 233. quarum pleræque de tota vita erant. Ad hæc duo nobiles viri, vt rusticam plebem sibi subditam ad Sacramenta confessionis & Eucharistiæ excitarent, primi ipsi sua peccata coram sacerdote expiarunt, & sacram sumpserunt Synaxim, indeque ad subditos conuersi, hortati sunt, vt ne cunctarentur idipsum facere. Salutare dominorû exemplum & monita secuti, frequenter ad confessionem venerunt: quibus in multam noctem confitentibus aures dare oportuit, vix vt cibi sumendi tempus suppeteret. Ibidem vt more Societatis nostræ catechismus diebus festis à pueris vno præeunte in templo cantaretur, effectum. Et cuidam nobili, quo minùs suos ad hæreticorum scholas filios mitteret, persuasum. Domi quoque nostræ exercitiorum B. P. N. Ignatij spiritualium vsus multis salutaris fuit, præsertim verò Religiosis, & sacris Ordinibus initiandis. Planè vix vnquam locus ab eiusmodi hominibus vacabat. ita sunt de eorum fructu vtilitateque persuasi.

### *Collegium Califfiense.*

Sicut auctum Collegium personarum & scholarum numero, ita & feruore ac religiosæ vitæ studio; accedente præsertim noua visitatione ex Vrbe, qua nouam quandam faciem induisse videtur, innouato spiritu per exercitia spiritualia, quibus omnes vacabant, habitaque maiori notitia & fer-

feruore instituti, excitatoque obseruantia regularum, & religiosæ paupertatis affectu, ac mortificationis studio: ita ut non pauci è recubis suis vel superfluis, vel quibus plus æquo afficiebantur, obtulerint sacrificium Deo, facta oblatione ad pedes R. P. Visitatoris. Alij verò ostiatim & ad valvas templi, vix antea hîc visum, pro aliis pauperibus mendicarent: alij publicam scholarum arcem discipulis è gymnasio egredientibus, & non parum rei nouitate commotis verterent: alij aliis eiusmodi seipso & alios ad studium pietatis accenderent. Scholæ auctæ non solum addito tercio Philosophiæ cursu, quem precibus & liberalitate sua Illustrissimus fundator impetrauit; sed etiam auditorum, qui supra sexcentos excurrunt, frequentia; quorum è numero ex aliquot Religiosorum familiis nonnulli. Nec minus litterariæ exercitationes multæ & variæ, præsertim sub finem Philosophici cursus, & aduentum Illustrissimi fundatoris, quàm pietatis studia in auditoribus nostris viguerunt: maximè verò in Sodalibus Parthenicis, qui ut pietate erga Matrem Dei, ita & cæteris laudibus reliquos antecellunt. Frequens apud eos ciliciorum vsus, voluntariorumque verberum. Solemne enim est illis non tantum in maiori hebdomada ad Christi Domini sepulchrum, sed etiam in orationibus 40. horarum, quæ sæpius hoc anno fuerunt institutæ, acerbè in seipso sæuire flagellis: quod & ipsis etiam feriis Corporis Christi singulari spectaculo, & multorum exemplo factitarunt. Aduentus Domini & Quadragesimæ tempore xenodochia per ordinem distributi inuiserunt, & pauperum inopiam eleëmofyna subleuarunt. Nec oblitum interim spiritualis eleëmofynæ, varia iisdem diebus templa frequentarunt, fundentes preces præscriptas pro publicis necessitatibus.

Quod



Quod ipsum, ipsis etiam Bacchanaliorum diebus, quibus mundus insanire videtur, feruentius ad diuinam iram placandam præstiterunt, & ante festum Paschatis nobiliores quique collato symbolo, & apparato epulo, præmissaque lotionem pedum, cibos pauperibus ministrarunt. Ex ijs autem ad Societatem nostram adscripti octo, pluribus expectare iussis. Iam verò tam domi, quam foris in variis excursionibus non impigrè laboratum est. Hæretici supra 50. ad Ecclesiam reuocati; ex quibus duo antequam extremo supplicio afficerentur, vnus quidem pridie in ipso carcere, alter verò in ipso supplicij loco: ad quem cum ob maleficium patratum iam duceretur, derelictus ab aliis sacerdotibus ob pertinaciam, quam, ab illis sæpius tentatus, præ se tulerat; superueniente vno è nostris, post longam concertationem errorem agnouit & abiurauit, pieque ex hac vita migravit, cum admiratione & lachrymis etiam copiosis aliorum hæreticorum; quorum aliqui exemplo illo permoti Ecclesiæ reconciliati sunt. Alius etiam cognito nostri sacerdotis ad quendam locum aduentu, statim à septem milliaribus pedes pœnitentię causa, cum equis non careret, accurrit, & præmissis triduo in pane & aqua ieiunio, ad pedes eius hæresim abiurauit. Odiã non vulgaris conditionis hominũ extincta. Confessiones generales ad 400. exceptæ, plurimæ aliæ à multis neglectæ reuocatæ magno cum fructu. Duo à spectris nocturnis & dæmonis fascinationibus liberati, quatuor à concubinato, tres à veneficiis, vna à turpi quæstu. Inter excursiones cum fructu factas vna fuit frequentior ad proximum ciuitati pagum, in quo ædes B. M. Virginis magno hominum concursu, singulis Dominicis diebus à Paschate ad Pentecosten, non tantum è propinquis, sed etiam remotissimis locis

locis frequentatur. Vbi sicut materia copiosa ad binas & ternas in die conciones confessionesque ad horas multas, ita & fructus vberimus curatis plurimis, qui à suis Parochis ad nos, quos sperabant ibi adfuturos, cum variis conscientiaè difficultatibus ablegabantur. Quidam in vincula innocens coniectus, capitis periculum iam iam subiturus, cum vouisset se templum illud Magnæ Dei Matris inuisurum, præter spem liberatus, votum ritè nuncupatum persoluit, & à nostro sacerdote adiutus est. Collegij fabrica magnum etiam hoc anno incrementum accepit, perducta vna nouarum scholarum parte ad fastigium vsque, dilatatisque spatiis pro reliquis, coëmptis duabus domibus; exornato templi choro eleganti opere; nouo aquæ ductu in tria Collegij loca magno cum Collegij commodo; factis 12 commodissimis cubiculis pro nostrorum vsu & habitatione, quæ ante annos aliquot fuerant intra Collegium ædificata pro Illustrissimo fundatore, qui libenter illa nobis cedit. Cum autem Collegium visitaret, mirum quantâ sollicitudine & feruore nouarum scholarum fabricam vrserit, tam per seipsum, sæpius visitando, excitando operas, omniaque lustrando, & de necessarijs prouidendo; quàm etiam per alios. non propriis pepercit equis, non corporis custodibus, eos in his laboribus occupando, & donariis etiam excitando. Nec verò in Pastoralis cura minus eius feruor & zelus enituit. Celebrauit hîc Synodum aliquot Archidiaconatum (cui ipsemet veneranda canicie senex graui ad Parochos cohortatione initium dedit) multaque in ea ad reformationem Cleri salubriter constituit: & demùm cum Prælati & officialibus suis ea quæ fori exterioris erant, demandasset; nobis ea quæ fori interioris essent, committi voluit; nulli Parocho facta discedendi,



imò neque ad iudicium accedendi, potestate, qui non prius factæ apud nos confessionis testimonium in scripto proferret.

### *Collegium Jaroslaviense.*

**I**N procuranda proximorum salute haud vulgaris hoc anno eluxit ardor nostrorum. Inter viginti aliquot coniuges animi dissidentes conciliati. Hæretici 26. quorum vnus obstinatioꝝ, licentioꝝque vitæ, hortatu nostri sacerdotis & erroris & turpitudinis finem fecit. Ecclesiæ aggregati schismatici quinque. Mulierculæ à turpi quæstu ad honestioreꝝ vitæ rationem instituendam inductæ, & tuiò collocatæ decem & quattuor. Totius vitæ maculas propè 200. expiauerunt. Importunis dæmonum infestationibus 14. diuexati, Sacramentorum & Agni cælestis vsu liberati. Femina pia Collegio florenos 300. donauit. Hoc ipso anno, ineunte Augusto, Academia, in qua scholastici Societatis humanioribus litteris, intra priuatos parietes instituebantur, Lublinum translata est; in cuius locum Patres, qui tertium Probationis peragunt annum, suffecti. Cùm autem duos post incendium, quo totum oppidum, Collegiumque ipsum conflagraret, annos, scholæ omnino clausæ fuissent; tandem initio huius patefactæ permultos nobilium magnatumque liberos, ad ingenium in hoc Collegio excolendum, pertraxere. Sed maximè adolescentum ardor, pietasque in Deiparam Virginem subito eluxit. Nihil enim antiquius habebat, quàm vt apertis Musarum ianuis, Sodalitiũ quoque Parthenium aperiretur; quo potiti magnum specimen virtutis dedere. Nam præter consueta pietatis exercitia, nosocomium obibant, eleemosynamque egentibus largiebantur. Quod præcipue

puè die ~~Sanctæ~~ Domini sacro, egere. Septuaginta enim pauperes, viros omnes, in domum cuius vnius honesti induxere, eisque epulum satis lautum præbuere. Ipsi grandiores suis manibus cibum coquebant, & reuerentiam pauperibus exhibentes, nobiliores seruiebant. Prandio verò peracto, singulis in secretius cubiculum deductis pedes abluerunt, quos iterum donatos dimiserunt. Fuitque inter nobiles & delicatos adolescentes æmulatio sancta, qua stimulari ad congregationis Patrem accurrebant querentes ab aliis sibi designatos præripi pauperes. Vnus Sodalium ab importuna impudicæ feminæ pugna, Iosephum imitatus, fuga elapsus est. Hoc toti gymnasio quod sequitur cominune. Hæreticus domi suæ nobilis, tres filios in Societatis dederat disciplinam, multis vnâ cum matre eiusdem farinae femina, eos contra Ecclesiæ Catholicæ muniens dogma, litteras duntaxat ab Iesuitis haurirent, fidem fugerent omnino. Sed secus euenit. Nam minimus natu septennis in grauem incidit morbum, moxque a parentibus acceptus, Præmissiam ad medicos delatus, famulo custodiendus datur. Sensit puer extremam sibi instare horam, tempusque esse, quo se Catholicum declararet. itaque vocat famulum, eumque sic alloquitur, Vereor ne pluris parentum meorum, quam Dei facias voluntatem; te tamen iam iam moriturus, per Deum, qui meam tuamque causam iudicaturus est, hodie obrestor, vt mihi sacerdotem Catholicum Romanum aduoces. Restitit famulus, domini prætendens minas, irasque, & pœnas, quas domino daturus, si hanc rem auderet, esset. Tum puer, Pœna, inquit, quam fortè mei tibi parentes infligent, breuis est; pœna autem qua pro anima mea puniendus es à Deo, sempiterna. Quòd si tamen reniteris, in iudicium



te Dei postulo, in quo accusabo, per te stitisse, quo minùs Catholicus exspirarem. Motus conscientia homo, acciuit sacerdotem, qui debilem confessione communionèque sacra fulciuit: quod affectus, raptus est ne malitia mutaret cor eius; priùs tamen alterum parentis famulum hæreticum oratione sua pertraxit, vt, antequã aduolarent parentes, ritu ab Ecclesia recepto sepeliretur. Fremere parentes, & ne duo prouectiores filij fratrem imitarentur, eos in hæreticorum scholas abstrahere volebant; sed pueri lachrymis, vt in nostris manerent euicerunt. Res domi benè gestas pestilentia turbauit, quæ sub celebri mercatu exorta, nos iuuentutemque studiosam totam ciuitate exegit. Affuit tamen afflictis Dei bonitas, qua Magnifica D. Anna Pilecia Kostchina, B. Stanislai nostri Kostka affinis, permota, iam pridem de Societate bene mereri cupiens, nos ad sua bona octo abhinc miliaribus perhumaniter inuitauit. Cogitanti igitur P. Rectori, quò se in communi perturbatione conferret litteræ porriguntur, in quibus non solum commodus habitationi locus, sed commectus quoque offerebatur. Excepimus quo decuit animo beneficium. Domina verò suos currus, quibus nos nostraque deueherentur, submisit, & magna beneuolentia humanitateque susceptos, optima benefactrix, decem & quatuor personas, quatuor integros menses, liberaliter sustentauit. Relicti in Collegio tres Fratres, Patres duo, quorum charitas in proximum, magna apparuit. Id enim egerunt præcipuè, ne vllus quoad fieri posset, in media etiam pestilentia flamma, non expiatus decederet. Plateas ciuitatemque obibant, & moribundos adiuuabant. Cumque pesti fames, vt asolet, superuenisset, eam quoque qua poterant liberalitate subleuabant. Neque ij qui exulabant

otio solus torpebant. Duo præceptores inferiorum scholarum lectiones pueris prælegebant; Patres Missionem perpetuam, quamdiu ibi essent, instituerunt. Itaque oppida & pagos obiere, doctrinamque Christianam rudibus tradidere, ac pœnitentibus aures præbentes, concionantesque, cætera id genus munia Societatis exercuerunt; eò maiore hominum ad nos concursu, quò rariores nostri inter montes saltusque illos (hæc enim est huius loci constitutio) fuerunt aliquando. Frequentiam verò pœnitentium, vel hinc facile coniicias. Octingenti circiter intra biduum vno in oppido à nostris absoluti. Multi totius vitæ scelera patefecere. Idque præcipuè duobus in locis factum, in quibus de Pœnitentiæ Sacramento, deque integritate eius pro concione actum fuit. Reuerendissimus Præmissiësis tres impetrauit sacerdotes: quorum vnus egregiam posuit operam in sacerdotibus iuuandis concionibusque; præsertim in quodam frequenti nobilium conuentu. Duo alij Germani colonias, quæ aliquando ex Germania in Poloniam deductæ fuerant, linguamque auitam quamuis corruptam, adhuc retinent, magno labore adierunt: omnia de more Societatis diligenter præstiterunt. Confirmationis Sacramentum, illis hominibus antè ignotum in, praxim induxerunt. Quingentos, plerosque de tota vita confessos, audierunt; computationes nocturnas sustulerunt; domosque paganorum haud pœnitendo fructu lustrarunt. Sed ipsa quoque benefactrix, Magnifica D. Kostchina, peculiare experta est nostrorum obsequium auxiliumque. Cùm enim maritus suus absens domo, miserabili sanè casu, dum ibi manemus, effusus scilicet è curru, rotaque protritrus, vitam cum morte commutasset; nemo fuit, qui ita luctuosum nuntium vxori referre auderet, maxi-



mè ipsa grauitèr decumbente, opinantibus omnibus, eam nequaquam, si de mariti miserabili casu rescisset, superuicturam. Domestici nostris rem committunt. Itaque vnus Deo re commendata, dominam adit, eamque iterum atque iterum ad tolerantiam & fortitudinē in rebus aduersis exhortatur, ac sepius Sacrosanctā Eucharistiā præmunit; tandem tempore obseruato, rem sensim ingerit, aliusque narrationem exorsus, nunciat maritum mortuum esse. Quo nuncio non potuit domina non summo commoueri dolore; eam tamen modestiam, eamque tranquillitatem præ se tulit, vt facile præsentibus omnes vim efficaciamque diuinissimi Sacramenti, & sacrarum cohortationum agnoscerent. Attributi deinde duo Patres, qui luctum doloremque narratione ac lectione historiarum sacrarum mitigarent. Fuit hoc & cæteris hominibus admirabile, & ipsi dominæ salutare. Illi enim prudentiam, laborem, dexteritatemque nostrorum valde probauerunt; hæc verò ideo Patres Societatis in domum suam sub hoc tempus à Deo destinatos aiebat, vt & animo, qui dolori succubisset, & luctui mederentur. Pollicita igitur est se beneficiis cum Societate certaturam, daturamque operam, vt omnibus cumulatè respondeat. Itaque hac dispersione nostra id Deus occulto egisse videtur consilio, vt & animas ei plurimas lucraremur, & amicos qui iam desierant, huic Collegio atque ad eò nobis omnibus acquireremus, & gloriam Dei propagando, nomen Societatis hoc in angulo rudi ac inculto notius acceptiusque redderemus. quod ita iam huic incolis gratum iucundumque fuit, vt simpliciores egentioresque lachrymis nos & faustis acclamationibus abeuntes prosequerentur.

*Collegium Lublinense.*

Scholæ nostræ trimestri spatio ob pestilentiaæ metum vacuæ, ineunte nouo anno sunt redintegratæ. Accessit Collegio prædium suburbanum commodum, & amœno loco. Domi varij fructus, ex scholis præsertim: Iuuenes aliquot in nostram, alij in Dominicanam, aliqui in S. Francisci adsciti familiam. Ex schismaticis & hæreticis parentibus discipuli Sacramenta catholicè frequentant. Iuuenis tirocinio religiosæ disciplinæ apud nostros relicto, exemplum hîc præbuit miserandum; in campo mortuus & ibidem sepultus, licet inde ad nosocomium postea translatus dicatur. Sacerdos quidam extraneus apud nos exercitationibus in pietate instructus, libros hæreticos non parui pretij, quos penes se habuit, ad nos detulit. Tumultus magnus & magnam stragem tum aliis, tum iuuentuti nostræ allaturus, nostrorum diligentia & celeritate sedatus est. Excursum ad vicinos, vbi aliqui ad Ecclesiam reuocati: in his vnus ex nobilibus viris, qui etiam templum Catholicis ritibus magno dolore hæreticorum restituit. quare illuc ad conciones & Sacramenta percipienda concursum. Reducti ad Ecclesiam ab hæreticis & Russis præter supra memoratos aliquot. Vita totius noxas salutari pœnitentia eluerunt, aliquantò pauciores; qui in plures annos hoc remedio caruerunt, viginti amplius. In his quidam percussus spectro, quod iam sibi occurfabat, & os, ne quid proloqui posset, obrurabat. Æs alienum 200. florenorum alter, alter 700. æstimatione, sacerdotis iussu domino retulit. A meretricio quinque abductæ, & honestè collocatæ. Pellices quibusdam detractæ, & legitimè coniunctæ. Matrona honesta à nobili



& opulento homine sollicitata, vt fidem marito violaret, egregiè suam honestatem à pecunia, precibus, minis, vi defendit. huic similis alia existit. Dux matronæ primariæ huius ciuitatis capitali odio dissidebant, pessimo omnium exemplo, & timore alicuius funestæ cladis, quam mutux minæ, maledicta, iræ portendebant. tandem post Parochi admonitiones, concionatorum clamores, varia à variis tentata, per nostrum sacerdotem in mutuam gratiam sunt reductæ. Cùm noster pro concione auditores ad subueniendum iis, quorum omnia incendio absumpta erant, hortaretur; inuenta est nobilis femina, quæ totam pecuniam, quam tunc habuit (50. flor.) ad Collegium pro iis misit. Nobilis femina in hæresi nata & educata, cùm panem quasi sacrum, ritu hæretico à suo Ministro accepisset; tanto opere animo angi cœpit, vt etiam spectra obuersari oculis putaret. Lublinum accurrit, per nostrum sacerdotem Ecclesiæ restituta, & sacris melioribus resecta, maximam voluptatem, & quietem se cepisse affirmavit. E carcere publico quidam liberati, quidam ad mortem educti nostris comitibus & hortatoribus piè mortui. Vnus fuit qui lachrymas spectatoribus pietatis significatione excussit, Iudæus sacro fonte ablutus. Duo item Scythæ ob scelus vltimo supplicio afficiendi, priusquã pœnas darent, eiurato impio Mahomete, baptizati sunt. Non defuit opera nostrorum in extremis constitutis; infirmis item, præsertim in nosodochiis publicis, corporis & animæ opem requirentibus. Denique illud apud Magistratum obtinuimus, vt carcer, qui vno eodemque loco feminas & mares antea continere solebat, & computationibus, aliisque sceleribus occasionem dabat maximam, tandem diuideretur.

*Collegium Niesuisiense.*

PRÆcipua nostrorum cura fuit hoc anno, vicinos ab Ecclesiæ communionē dissidentes ad fidei vnionem reuocare. Et quantum quidem diuina fauit clementia, vndecim à diuersarum hæresum erroribus sunt expurgati: è quibus duæ prænobiles matronæ Caluini perstudiosæ. earum altera templū in sua ditione ædificat, & parochiam opimam instituit: altera cum processu temporis non nihil titubaret, instructa Christianis præceptis, & confirmata Sacramentis, fortis in fide, operam nauat pietati. His accessit iuuenis, qui à Scythis Podoliam vastantibus puer captus, inde à Turcis emptus & circumcisus, post miseram multorum annorum seruitutem, huc tandem fuga perueniens, Christianis sacris est restitutus. Ex Ruthenis verò schismaticis, qui suo Metropolitæ obdelatam Sedi Apostolicæ obedientiā aduersantur, nouem ad cōcordiam adducti. Hac enim de causa vnus è nostris frequenter in eorum templis Rutheno sermone est concionatus, & doctrinā Christianam explicuit, vt multitudinem contumacem officij debiti cognitione illustratam, Catholico Præsuli redderet obsequentē. Quam operam nostram Metropolitæ ita probauit, vt prolixè gratias ageret, & idem in sua diœcesi vti fieret, pluribus verbis, facta etiam per publicas litteras ad id præstandum potestate, rogaret. Vnus in hoc numero Dynasta potens & familiæ in Ruscia antiquæ, serò quidem, nempe hora mortis, tamen religiosè, & palàm sacerdoti Rutheno, sed Catholico, confessione facta, Ecclesiam Romanam est complexus. Duo nobiles adolescentes, progenies Anabaptistica, cum rudimentis verè fidei, tum aquis



salutaribus in templo nostro sunt imbuti. In pagis, ad quos excursio sæpius facta, baptizati complures, matrimonio adstricti multi; pœnitentia & communione sacra quàm plurimi innouati: in quibus qui nunquam autè malè actæ vitæ confessionis Sacramentum vsurparunt 129. nonnulli ætate penè confecta. Duo stirpe nobili à vetito thoro ad legitimum traducti. Persuasum sponsæ ne nuberet hæretico sponso, donec ad Ecclesiæ gremium rediret, & animum diuinis medicamentis perpurgaret. Sexenne odium inter duos primarios sublatum, & firma grataque pax in agno multorum bono constituta. Aliud quoque graue inter coniuges perillustres ac opulentos dissidium, diuortium spectabat; nec vllius operâ, quantumuis multi præcellentes viri in id sedulo incumbèrent, tolli poterat; nostri sacerdotis interuentu sublatum, pax & amor mutuus perceptione Sacrosanctæ Eucharistiæ cunctis gratulantibus, est confirmatus. Vltimum est quod nos potissimum attingit. Mense Aprili exarsit hîc noctu incendium graue, quod insulam totam Collegio proximam celeriter absumpsit. tecta nostra locis circiter duodecim, ignem conceperant: domi pauci non satis idonei erant tanto periculo depellendo; nihilominus tamen singulari Dei gratia conflagrationem euasimus, & paruum, pro magnitudine procellæ, domesticæ rei accepimus detrimentum. quin etiam flammæ platearum, quæ omnia depasturæ videbantur, resederunt, cum sacerdos noster Sacratissimum Sacramentum in pyxide circumtulisset.

*Collegium Polocense.*

Collegium hoc magis, quàm pro locorum capacitate & commoditate commorantium Sociorum numero, isto redūdauit anno. Quamuis enim duabus distinctis continerentur sedibus, Collegiales in nouo ad templum in ciuitate exædificato Collegio: nouitij verò in veteri Arcensi domicilio; hoc tamen eorum perquam fuit angustum & malè ob vetustatem materiatur, neque ad tuendam valetudinem vnde quaque commodum, hyberno potissimum tempore his in partibus acerbo & perquam graui Separationis & angustiarum illa causa fuit, quòd qui ex Rigensi Collegio primæ addicti Probationi, atque etiam cum illis nonnulli è veteranis, huc in autumno 1600. anno commigrant, pristinas repetere sedes prorsus nequuerunt, feruente quàm maximè & fremente, consequentibus annis Marte, omnibusq; fermè rebus ad Liouniæ statum penitus euertendum, summoperè inclinatis, aut verius tum hostilis militis immani crudelitate, tum domestici indomita perulantia & rapacitate impulsis. Quamobrem decades quinque toto anni decursu hîc, aut admodum rarò non plenæ fuerunt (emigrantibus alijs, alijsq; vt in domo sit Probationis, è vestigio succedentibus) aut à sexta & vltra non multum aliquando abfuerunt. Ex hoc numero supremus imminuit dies sex nouitios, & veteranum vnum, qui apud eosdem culinæ erat præpositus, alijs post alios decedentibus, exeunte penè Ianuario & maturescente Aprili. Denique R. P. Viceprouincialis dum in Maio visitationem obiret, consultum Collegio quàm maximè (ob annonæ difficultatem) cupiens, è toto vtriusq; sedis numero ad viginti propè detraxerat. Non multò



multò autem pòst submissis alijs, translatis ex Accensi domo in nouum Collegium (substructionibus ad eam rem accommodatè erectis) Societatis nostræ tironibus; in Augusto mense ad quatuor supra quadraginta recensiti sunt, hocque numero annum finiuerunt: ita vt fuerint decem sacerdotes, duobus recens adscitis eum numerum complentibus, tres præceptores veterani; in temporalibus rebus Adiutores decem, eiusdem status in prima probatione sex, literarum addicendi studijs, supra decem quinque. Placuit porro diuinæ voluntati & bonitati, longè maiore huius anni parte, nostrorum virtutem (charitatem potissimum & patientiam) exercere in adiuuanda assiduè maxima miserorum hominum multitudine, extremaque pereunijum inedia, ac omnis humanæ opis destitutione. Quo quidem in opere tam sancto, incensis atque ardentibus studijs, omnes penè veteres & noui versati sunt Socij. Fames his partibus insolens & ne auditu quidem accepta, Russiam totam Lithuaniamque; ad extremam penè extirpationem hominum diuino permissu atrociter, anno 1601. exeunte inuasit. Nam eo tempore quo æstiuæ satio ad maturitatem expectatur, & hortensia communiter ad frugem perueniunt, omnia insperata decoxit pruina, nullique reddidit apta vsui. Vulgatus erat rumor longè lateque omnibus penè partibus Palatinatui Polocensi vicinis, & latius patentibus, de ea, quam Collegium hoc statim autumnò maturefcente egenis afferebat, ope (cùm interim animaduerteter Superior ipsum Collegium eiusque in villis subditos non leuiter premendos.) Ea beneficentiæ fama exciti pagani, & oppidani vicini, imò & remotiores, vndique magno numero in hanc confluebant ciuitatem. Quantus omnium fuerit numerus accurata post hæc pollinctorum editum

editum est supputatione : compertos nimirum ad nouem millia eos solos, qui licet tenuiter, subleuati tamen escis fuerunt opportunis, in illa fame dirissima, at vel saturi vitam effuderunt. Addiderunt his præterea ad sex millia, ij, qui extra domos publicas in subsidium confluentium assignatas, morte extinctos assignarunt. Verùm dum in corpora afflictorũ hominum acerbitas tanta desæuiret, insigni eam plurimorum animis misericordissimus Dominus voluit esse medicamento. Omnes enim penè, qui confluebant è remotissimis alioqui locis, & in Lithuania quoad Christianitatẽ cultioribus, fuerunt eiusmodi, qui pertenuem admodum, aut veriùs nullam Dei atque diuinarum & salutarium rerum habuere cognitionem. Et quidẽ longè maxima parte omnes Rutheni schismatis, atque errorũ sectatores. Si qui autem inter eos Lithuani (hoc enim nomine hic Catholici compellantur) fuere, nihil præter Catholicum nomen vsurpatum habere sunt reperti. Iis igitur ad quærendam salutem penè à Deo compulsis dum nostri, tam veterani ex Collegio, quàm ex Probationis Domo tiro nes quotidie statis horis athena cum pulmentis & offis, panesque deferrent; ita dedere naturalis vitæ tuendæ præsidia, vt opere incumberent maximo ad præstanda alterius longè præstantioris adiumenta. Immensus penè susceptus labor est in catechizandis illis, atque ad bene & christianè moriendum disponendis. Augebat haud leuiter difficultatem hiberni temporis acrimonia, ædiumque pro tanta concurrentium multitudine summa incapacitas. Earum quædam tricliniolum habuit rusticianũ, pedes 10. longum, pauciores verò latum, quod 400. propè nocturno fouebat tempore. Non angulus vllus, non ipse furnus, nec trabes transfuersim parietibus triclinioli impactæ à sessoribus fuerunt



runt liberæ. Quin & consistentes somnum capiebant adeò conferti, vt nemo nisi violentus potuerit penetrare, non ad confidendum solum, at ne ad consistendum quidem vllus cominodus locus pro nostris reliquus esse potuit: ad humi stratos moribundos accidendum erat sacerdotibus. Multus aspectantibus incutiebatur horror, nares ac os ipsum permolestis oppletum fœtoribus, nauseas, fastidia, capitis graues dolores pariebant: quibus tamen omnibus minimè sunt nostri deterriti; sed consueta alacritate pium & animis, ægrorum peropportunum ac salutare obibant obsequium. Illud penè admirabilis cuiusdam & insolitæ rei loco, atque pro insigni Dei beneficio censendum est haud dubiè, quòd nemo sacerdotum eorum, qui cum ægris ac tabidis communissimè versabantur, teterimo toto loco diffuso halitù, ne leuiter quidem afflictaus valetudine fuit: cum in conglobata & confertissima multitudine, non nisi ore ad os ægri penè applicato vllum habere sermonem sacerdos quierit. Omnium maximè miserationem mouebat, & horrorem spectaculum, dum accidens ad prostratum humi moribundum sacerdos, animaduertebat eum alteri iam anima defecto, perinde ac puluillo capite innitentem, iamque ex hoc, iam ex illo angulo pridem iam fortè extinctorum nostros Socios cadauera extrahentes. Initum deinde fuit consilium vt qui valentiores essent, & in plateas exisse animaduertenterentur, non amplius in illis fœtoribus, at potius in æde sacra illis ab ædibus non adeò remota, deinceps percommode instructi Sacramentis expiarentur. Ibi videre erat aliquos Socios cum sua quemque turma & cohorte Christianam tractantes doctrinam, instructos autem deducentes ad confessarios, iisdemque dum Sanctissimo reficerentur Sacramento assistentes. Hæc tam

copiosa messis ineunte fermè 1601. Nouembre inchoata ad summum in nouo anno perducta feruorem, ad ipsum penè continuata est Pentecostes festum. Quo labente tempore diebus singulis condita hora valètiore refectioem accepturi, ad portam Collegij adibant. Adeuntium numero fiebat vt nostri Fratres nonnunquam obtulerentur à conglobatis & irruentibus in non paucos distributores. Eiusmodi nostrorum circa afflictos sedulitate aliqui excitati sunt ciues, licet schismatici: quin & nobilitas ex vestigali ponderaria domo prouectum sibi debitum nostris sollicitantibus eidem pio adidit operi. Sed neque Regiæ Maiestatis Liuonicis bellis in istarum partium tum occupatæ consuijs defuit liberalitas, tantò pluris facienda, quantò maior in ipso exercitu tum fuit annonæ difficultas. Ex eo enim commeatu quem magno conquistum studio & impendio diuinitus interceperant intempestiua, & his in partibus imatura frigora, ne per defluentem Dunæ deueherentur in Liouoniam, 100. tonnas seu mensuras (quarum singulæ sex capiunt modios) Collegio donari præcepit. eaque re in duos circiter menses, haud etiam ultra, vehementer & Collegium & à Collegio sunt adiuti. Hæc porro donatio debetur præ omnibus auctoritati supplicantis pro Collegio Illustrissimi D. Cancellarij Magni totius regni, eiusdemque exercituum generalis Ducis. Hac quam nunc persecuti sumus calamitate famis, dum æstas propè maturescit, vixdum remittente, ecce tibi alia atque alia horribilior. Ipso planè noctis conticinio incumbentis peruigilio Pentecostes, horroris plenum exortū est incendium; & quidem, vt animaduertentur ij quorum intererat, datâ operâ à nefariis incendiarijs excitatum. absumptæ sunt intra sex septemue ad summū horas domus 500. Actum porro



porro fuisset de tota ciuitate, vel de eius maxima parte, nisi summis viribus itum à nostris obuiam fuisset. Aderat tum R. P. Viceprouincialis, qui flammis iam augetentibus aliquibus è sacerdotibus nostris, sibi adiunctis, ad locum accurrit incēdij. frustra tum ingentibus clamoribus & cohortationibus viæ ostensæ restinguendi: nemo enim qui obsequi vellet aderat, quisque quod rapere potuit sibi suisque attentus rapiebat. Alij spectaculo hærebant attoniti. Clementissimus Deus fauentes Collegio immisit ventos: domorum tamen densitas earumque lignearum fomitis instar futura erat. Nec dubium templum ac Collegium nullos habiturum fuisset defensores. Itaque submituntur nostri tum veterani, tum tirones, qui summa vi, defatigatione incredibile, magno aspectantium stupore, & collaudantium acclamatione, aliquot flammis recta proxima opportunis in locis disturbarunt. Circumlatum est etiam Sanctissimum Sacramentum, & quod vel ipsi Catholicę religionis hostes vehementer sunt admirati, ea loca quæ sacerdos cum diuino obiit ferculo non læsit flamma. Mirum & illud erat, delectum pro incendio fuisse eum angulum ciuitatis, in quo opulentiores quique sua habebant domicilia. Et hi quidem non prius, quantum apud eos frumenti fuerit detexerunt, quàm vltor inclementiæ in egenos ignis ut faterentur eos adegit. Obseruatum & illud eo in incendio fuit, solius R. P. Viceprouincialis & Collegij equis à familia aquas fuisse aduectatas: & quod est admirabilius, solos penè nostros (popus quidem vnus seu sacrificulus Ruthenorum exemplo permotus cœperat etiam adiutare; sed magno suo periculo propè iam iam conterendi ab illabente trabe capitis) ignem sedasse. Nemo è ciuibus & extraneis priuatim ac publicè ex ea laude & com-

mendatione quicquam nobis ademit, quam vel inuiti & domi & foris sæpius oblatam accipere, quantumuis respuebamus, cogebamur. Huic calamitati non ita multò post superuenit altera à milite ad castra cõtendente Liuonica. Donandæ sunt illis propter Deum iniuriæ, quas per eos in subditis non leues accepit Collegium. Interim dum hic ad 20. dies satis temere commorantur, acta ex illis est præda. Ex ipsis penè Tartari faucibus aliqui ex iis vt eriperentur, consenserunt, qui statum in posterum tempus mutare iussi ipsis pròmissa rebus præstiterunt, suntque per confessionem idoneè expiati. Consultum cuidam in arduis & præsentissimi periculi rebus, haud irritò conatu, nullo terribili hostis solatio, qui in tantum dementarat hominem vt is sese illi vltro proprio conscriptâ sanguine syngrapha penitus dederet Aderat B. Virgo Maria homini à pueris sibi deditissimo, neque vlla passa est ratione hostem alioqui adiuratum & miris sollicitatum euocationibus vim suam in euocantem & sollicitantē exerere. Quin adiutor quoque sceleris, qui consulturus magos eius nomine peregrè magnis impendiis abierat, referētis testimonio penitus dicitur interiisse. Templum nostrum inter tot hominum mortes non adedò quidem plenum: at non absque admiratione, inter medios schismaticos & hæreticos, eosque virulentissimos non adedò est infrequens. Sacramenta eminentiore quàm antea pietate frequentata. Confessionum certus iniri non potuit numerus: turbant enim sacerdotum supputationem ij, quos in prochodochiis tanto numero percensuimus. adnotarunt tamen aliqui solos schismaticos, quos extra hospitalia audiuerunt 300. de tota autem vita aut nunquam antea confessos plures quàm 300. Scholæ vt hïc inter tantos, & adedò iniquo



tempore, fuerunt & sunt perquam exiles. In ea tamen paucitate sanctissimo Parasceues die, ij qui Sanctissimæ Virginis Sodalitati deuoti sunt, pietissimum sui diuerberatione præbuerunt spectaculum sensu animorum haud leui, lugubri ad eum actum adhibito concentu, & carminum recitatione lingua vernacula ad idem accommodatissimorum. De nosocomiis nihil attinet peculiariter scribere: eadem enim in iis facta sunt, quæ prolixius de domibus famentium sunt narrata. Magistratus seridè admonitus est (licet totus vnico dempto Catholico Consule sit schismaticus) circa puniendos reos, ne sine Sacramentis & præsentis & futurae uitæ priuarentur. monitionem facto ipso probauit. Fuere autem non pauci, qui cum eis iudicij decedendum esset sententia, ad animi æquitatem & patientiam in ultimo uitæ exitu à nostris ipsis assistentibus percomodè sunt adiuti. Missiones huius anni, quòd domestica messis abundanter suppeteret, nullæ penè fuere insigniores. non neglecti tamen sunt Collegij subditi in Paschatis solennitate, auditiq; vno in prædio Rutheni schismatici autè nunquam à nostris absoluti nouem & viginti, in altero sex & quinquaginta: qui verò iam antè exomologesin obierant, 145. nec pauci infantes Baptismi regenerati Sacramento. Excursum est etiã ad vicinum oppidum pro Natalitijs festis Christi Saluatoris, ac præter Christianam doctrinam & conciones, Sacramento Pœnitentiæ 40. circiter expiati, & ad sacram admissi Synaxim. Inter quos reponendus est nobilis quidam non postremus, Regum Poloniæ quondam aulicus, Calvinianæ hæreseos tenacissimus, quam tandem eiurauit, post tot concertationes per annos propè 40. susceptas. Communissimum in his partibus vitium est, quod ne vitij quidem loco iam habet

habetur, temere inita ac rata atque firma soluere matrimonia. In hoc genere per multi quidem adiuti sunt, eminentioris tamen notæ paria propè 20. Habuit etiam Collegium hoc vnum è diuinis donis & muneribus haud vulgare, curam nimirum ac prouidentiam diuinam singularem & defensionem à rabie furentium quinque millium & amplius velitum in hiberna dimissorum. Ii cum miscerent & confunderent omnia, miserandumque in modum ditiperent ac depopularentur obuia quæque, licet non minimam partem subditorum Collegij, ad extremum penè granum dispoliarint; Deo tamen nos protegente circa ipsum Collegiũ, de quo vehementer metuebatur, & circa viciniore ciuitati prædia, nihil vltra attentarunt, accepta exactione in frumentis, pecoribus & pecunia. Onerosum id quidem fuit, attamen quàm pro nostro metu tolerabilius. Cum hoc genus militum Kosatij dictum, nulla penitus lege ac disciplina militari coërceri possit, vtpote quod continuò in Scytharum Tauricanorum sinibus ad auertendas illorũ irruptiones versatur, eiusque gentis immanitatem ac barbariem perquam grauitè olet. Non prætermittendæ sunt ad extremum aliquot nostrorum mortes, qui dum in suprà dictis pietatis & charitatis Christianæ officiis versarentur (tirones autem sex fuere, vnus, vt iam suprà monuimus, veteranus) seu pædore intolerabili, seu etiam morbi contagione affecti, intra paucos dies domum Probationis in nosocomium conuerterunt. Ex omnibus enim, qui suprà triginta ad quatuor numerabantur, ægrè quinque intacti supererant. Alij quidem solùm tentari, idque grauissimè, alij morbi grauitate tandem sublati. Ex iis quos diuina seruauit clementia plerique sacrarũ theca Reliquiarum, cum de illorum salute planè omnis spes



esset abiecta, sanitati sunt per admotionem resti-  
 tuti. Quoniam verò digni sunt ferè omnes, vt me-  
 moria eorum sit in peculiaribus benedictionibus;  
 si non circa singulos, at sanè circa digniores im-  
 morabimur aliquantulum. Prodeat primus Vrba-  
 nus Flosculus, verè florens, qui prior viam letho  
 in probationis Domo aperuit: & quidem non ita  
 pridem ab hæresi cõuersus, tanta spiritus affluebat  
 iucunditate & solatio, vt sæpius Patri spirituali  
 fateretur se illud neque cohibere, neque posse præ  
 amplitudine capere. Vocationis porro beneficium  
 tanti æstimabat, vt illo se prædicaret indignissi-  
 mum. Subsecutus est Flosculus flosculus Baltha-  
 sar Blum, vitæ quàm conuenientissimè dictus, a-  
 dolescèrulus tenerimus, nesciens tamen modum  
 in ciliciorum asperitate, & corporis sanguinolen-  
 ta, eaquæ creberrima diuerberatione, istiusquæ ge-  
 neris voluntariis afflictationibus corporis: cui  
 hoc vnum erat in animo dum ægritudine deposi-  
 tis ministerium Fratribus præstaret, ad præmium  
 cum moribundis breui moriturum euocari. Ne-  
 que videtur prætereundus tertius Fabianus  
 Gremis à communi humani generis hoste com-  
 pluribus diebus perquam acriter oppugnatus: quo  
 in certaminè fracto licet vi morbi corpore, in ge-  
 nuâ procumbens sæpius peccatorem se esse decla-  
 mitabat. Eamquæ vnâ spem vt solatium nobis  
 reliquit, quòd ipsis penè D. Fabiani feriis è vitæ  
 emigravit incommodis, cum hoc ipso die se è vi-  
 ta exiturum non multò antè prædixisset. Appro-  
 perauit iter suum, in eandem cum præcedentibus  
 patriam Octavianus Meinerus natione Italus, do-  
 nis naturæ præclarus, vitæ præclarissimus termi-  
 no. Non videtur fuisse sui decessus ignarus, eum-  
 quæ paucis ante aduenientem morbum diebus  
 sermone non obscuro vsurpabat. Totus igitur  
 fuit

fuit in egenis visendis, & ijsdem salutaribus monitis ministrandis. Corripitur interim pestilentiali febre, quam inquietius & fastidiosius ac olim præ se ferebat, excepit: demum in alium ferme mutatus hominem, ab eo qui eum nouerant, omnibus penè stuporem & sui ingentem mouit admirationem: Sacramentis se communiri ardentissimè postulat. oblata tanta animi affectione & in Deum eleuatione, acceptauit, vt exteriorem totius corporis lætitiã indicè subsequuti effectus gratiæ nemo non aduerteret. Eius rei argumenta firmissima ipso sui obitus die & hora, ita præpotens per eum Deus edidit, vt finem facere posse non videretur, dulcium & frequentium atque ad rem accommodatorum sermonum, nunc cum Deo, nunc cum intemerata Virgine Matre, nunc cum custode Angelo, qui diuina quadam ordinatione illo ipso mense in custodem illi sortitione obuenerat. Cum autem sacram percipisset Eucharistiam, peculiarem pro inimicis tum suis, tum totius Societatis instituit orationem, ea vocis significatione, qua internum animi sensum haud difficile esset cuiquam consequi. Multos è præsentibus non exterruit, sed iucundissimè mors eius affecit, atque ad vocationis æstimandum beneficium perpulit magnopere. idque ea potissimum de causa, quòd & obitus illius, & consequentes dies illum in ore, illum in oculis, illum in omnium hæere animo fecerint, atque in vota impulerint exoptandi cui libet quàm simillimum excedendi diem. Feruor & pietas duorum ex eodem numero, eadem contagione absumptorū, domesticis erat quàm cognitissima. Septimus tamen, qui extremum conclusit agmen, spectabili admodum virtute enituit. Fuit is ex temporalium rerum Adiutorū numero,



pluribus in Societate annis probatus, gnauus semper ac industrius, modestia singulari, exemplo vitæ, & nostri instituti obseruatione eximius. dumque in curandos fouendosque domesticos ægrotos totum sese effundit, vi mortis deiicitur. Hic ad perpurgandam conscientiam tanquam mortis præsciis totum sese conuertit. Confessario autem ad eius solatium obitum S. Francisci de Paula ipsi referre, oculis ille in cælum sublatis quod non audebat verbis, gemitu & gestu postulauit (erat verò tunc dies cœnæ Domini.) postridie autem cum euidentissima mortis indicia, & ipse in se & alij in eo deprehendissent; mira diuina dispositione ad eam vsque horam perdurauit, qua pro vniuersi mundi salute Dei Filius in manus Patris spiritum commendatum emisit, ipse quoque eadem hora suum Deo tradidit. Non piget idem, quod non multò antè dictū est, commemorasse, è sacerdotibus neminem, qui tamen lue hac ipsa tangi quàm maximè potuere, fuisse læsum. Nullum enim penè respirandi spatium reliquum erat, septem circiter, & nonnunquam pluribus, ad hoc munus designatis. Prima enim luce egrediebantur ad assignatam sibi quisque domum. Alij opperiebantur valentiores in templum adducendos, obibant alij domos tenuiorum, ægreque in meridie refectioni dato tempore, è vestigio ad luridos tabidosque reuersi, in multam nonnunquam noctem, inter moribundos præsertim demorabantur.

*Collegium Rigense.*

**A** Nnus hic omni sua parte toti Liuoniæ fuit luctuosus, hoste, bello, fame, lue, peste, & omni propè malorum procella, ad nobilis & populosæ prouinciæ interitum conspirante. Quare & nostrorum qui Rigæ degunt solito vehementius exercita est industria: maiorem tamen eius partem tulerunt milites, qui vel in præsidijs vrbi vicinis collocati, vel Martem & castra secuti, in vtrorumque animos, quâ habendis concionibus, quâ Sacramentis administrandis sedulò excubatum. Et apparuit operæ fructus non pœnitendus. Dicerem hic de adductis quàm plurimis ad vitæ superioris maculas eluendas, ad sacras epulas frequentandas, ad iras & odia ponenda, ad malè parra reddenda, ad iurandi, malè præcandi, spoliandi, potãdi, aliasque licentiæ militaris perniciosas consuetudines, melioribus permutandas. Sed hæc vñtata, illud singulare. In castris (ad quæ duò sacerdotes missi) omnium ferè animos ad deuotionem ita fuisse incensos, vt præter frequentem Sacramentorum vsurpationem, qua nihil habebant antiquius, diuino Misæ sacrificio, precibus vespertinis, litanijs & alijs pietatis officijs, statis horis magna voluntatum consensione quotidie interessent. Quæ animorum mutatio quantum nostris hominibus amorem apud omnes conciliarit, quam commendationem apud belli duces meruerit, vel ex his quæ subijcientur planum fiet. In primis enim magna cum laude & approbatione omnium penè ore & sermone celebrabatur, singularis hæc exercitus vniuersi pietas: ita vt dictitarent non modò in exercitu Polonico similem deuotionem visam nunquam, sed maiorem etiam extitisse in castris, quàm solet esse



se in templis. Quamobrem & ductores ipsi percipiunt nostros omnibus expeditionibus, quæ aliquando futuræ sunt, interesse. Vterque præterea imperator motu proprio ad Serenissimum Regem in causâ huius Collegii literas dedit, quibus contendebant, vt quoniam tot tantaque damna clade bellica prædiis Collegii illata essent, eius Maiestas aliqua alia perduellium bona ei adiungere dignaretur: & haud grauatè tria prædia, quorum possessionem iam adimus, impetrarunt. Hoc ipsum etiamnum pro Collegio Derpatensi laborant. Adhæc alter eorum in tantum nostrorum officiis captus est, vt aliquem è Patribus apud se habuerit semper, nec mensam solum, sed ipsum quoque tentorium suum, ei commune esse voluerit. Alter, verò & auctoritate & rerum gestarum gloria longè clarissimus cum antè minùs in nostri Ordinis homines propensus esse videretur; hac nostrorum in tuendis militum animis contentione perspecta, multa non vulgaris beneuolentiæ, & procliuioris in nos animi signa declarauit. Extremum illud esse potest beneuolentiæ ducum erga nos argumētum. Cum intellexissent adhuc aliquos subditorum nostrorum, è communi Liuoniæ clade esse reliquos, certis ad eorum tutelam deputatis custodibus, prouiderunt diligenter, ne quid molestiæ aut detrimenti à palantibus per agros militibus paterentur. Hæc de Missione castrensi. Cæterum non minùs perspecta est Sociorum industria & caritas, in summa indigenarum inopia & fame. Nam cum superiore anno copiis hostilibus longè lateque omnia vastantibus, molliendo agro & sationi dari non potuerit opera; factum est vt rustici homines, rerum omnium egeni, nec quo se suosque tolerarent, inuenientes; alii quidem è brutorum primum, post etiam ex humanis cadaueribus victum sibi parare, &

acerbam

acerbam famem depellere cogerentur; his etiam deficientibus, non pauci (quod vel auditu horribile est) proprios liberos, vitæ amore in escas expetere, & crudeli ad omnem posteritatis memoriam relicto exemplo, mactatos vorare non dubitent: alii verò, in quibus ius naturæ plus valuit, macie deformati, & egestate propè enecti, cateruatim Rigam confluere, plateas, fora, templa miserando spectaculo & lamentis implere non cessarunt. Quibus miserorum vocibus euictus ad miseri cordiam Magistratus, mille & quingētos in xenodochium coactos publicis sumptibus aluit; Collegium verò quidquid tam infestis temporibus, vel ex prædiis flammæ hostili, & militum rapacitati subducere potuit, vel piorum habuit liberalitate, totum id in subditorum, quos inedia huc adegerat, vel ad quos securus ab hostibus dabatur accessus, contulit sustentationem. Itaque excrefcenti in dies & fores Collegii obsidenti multitudini, vix tres è domesticis Adiutoribus, pinsendis panibus & pulmento coquendo sufficiebant. Et quoniam hieme perfrigida inter septa Collegii cum vxoribus & paruulis recipi non poterant; domus in suburbano Collegii agro (cum non ita pridem totum hostilis flamma depopulata esset suburbium) è semiustulatis trabibus excitata est; gratum afflictissimis hominibus in tanta rerum omnium angustia, domicilium. Ex illis autem subditis, qui ad nos ob itinera hostium excursionibus infesta, confugere non valentes, extra domos in sylvas & latebras se abdiderant, ad mille circiter fame & frigore (maxima scilicet atque asperissima sæuiente hieme) sunt extincti. Hanc calamitatem nescio an non etiam longè grauior exceperit. Lues quippe incertum vnde concepta, totam repente peruagata Liuoniam, longè maximam in mortalibus stragem edidit. Nam ad cen-



tum hominum millia, & eo amplius ea absumpta esse feruntur; Rigæ certè ad triginta circiter millia deleta. Nec id mirum vlli videbitur, si consideret, oppida, vicos, pagos, domos, agros, vias publicas passim cadaueribus fuisse constratas; vix vllò multis in locis superstite, qui supremum miseris hominibus officium posset persolvere. In hac communi clade, nulla parte nostrorum desiderata est vel caritas vel patientia. adiuti moribundi, mortui quàm plurimi, qui per agros & vias insepulti iacebant, ferarum & canum dentibus, a quibus (atroci iter facientium spectaculo) dilaniabantur, crepti, & Christiana pietate sepulturæ mandati. Et sanè eò progressa fuit (vt hoc adiungam) canum rabies, vt vorandis hominum cadaueribus affluenti, viuos etiam in publicis viis (nisi plures vnâ essent) cateruatim aggressi discerperent. Nec hic malorum finis. vltimam anni periodum clausit pestilentia: quæ cum Rigensem ciuitatem occupasset, nostri quoque ingruente vi contagionis, solum vertere coacti sunt. itaque nonnullis ad Catholicorum qui in vrbe degunt, animos procurandos relictis, cæteri in prædium Collegij concesserunt; ex quo pro Societatis nostræ instituto, non infrugifere ad hominum in his partibus reliquias institutæ excursiones. Ab ijs verò qui in vrbe remanserant, nihil (tamen si pestilentia vis Collegium vndique cinxisset, quin etiam vnum è domesticis ministris, ac ædituum insuper sæcularem in cœmeterio commorantem cum tota familia sustulisset) è consuetis Societatis nostræ ministerijs prætermisum. Porro efferati Rigensium animi, non nihil nostrorum humanitate & officijs deliniti. Nam & militi præsidario, Magistratu rogante, latus vnum Collegij inhabitandum concessimus, & populo qui ex suburbij hostis metu (qui omnia cæde & incendiis

misce-

miscerat) in ciuitatem recepto, ob vrbis angustias cœmeterium dedimus incolendum. Et certè primarius quidam vir, cuius magna apud omnes auctoritas, non solum omnibus modis laborat, vt animi ciuium inter se & cum suo Magistratu quàm coniunctissimi sint, sed nostras etiàm partes, cùm res & occasio postulat, sedulò promouet atque defendit: nec ab hoc suo conatu atque nostrorum, quibus familiariter vtitur, consuetudine, etiàm publicis impiorum Buccinatorum pro concione reprehensionibus, se patitur abduci ac dimoueri; in id totus intentus, vt ea religionis libertas in vrbe sit, qualis esse deberet. Et verò Magistratus solito maiorem honorem & humanitatem, mittendis etiàm subinde muneribus, nobis declarauit; fortè Polonicæ nobilitatis, ac præcipuè supremi rei bellicæ Præfecti, qui nos omni obseruantia & amore, sæpius, cùm hic esset, complexus est, exemplo permotus. Cæterum ad promouendam in tam sterili agro rem Christianam, non parum momenti attulit, quòd & huius ciuitatis arcis Catholicus Capitaneus, vir nostri Ordinis studiosissimus datus sit, & hæreticorum perduellium bona in tota passim Liuonia Catholicis hominibus & Societatis amicis sint attributa. Nec defuit Collegio quorundam piorum, hoc tam graui & difficili tempore egestate laboranti liberalitas. eorum vnus ducentos florenos, alter multa in victum necessaria attribuit, tertius supellectilem Ecclesiasticam auxit.

### *Collegium Gedanense.*

**F**Vit hic annus multis Gedanensibus exitiosus, deleuitque pestis ad octodecim summum millia. Laboratum strenuè à nostris, tam in iuandis  
Germa-



Germanis, quàm in Polonis. Confessiones creberrimæ in templo auditæ, funebres conciones habitæ, & ad quoscunque infectos vocabamur, itum. Ad fidem Catholicam circiter triginta conuersi, nonnulli vacillantes confirmati; baptizati adulti quatuor Anabaptistæ, non postremæ conditionis homines. Hoc toto pestis tempore, etiamsi duo ex nostris extincti sunt, tamen nihil remissum fuit à concionibus publicis & alijs exercitiis in Ecclesia haberi solitis, quæ res & admirationem & bonum nomen nobis dedit. Venerunt quoque nostri occasione huius temporis in familiaritatem primotum huius ciuitatis, speraturque ex huiusmodi familiaritate, si aliud non interuenerit, nõ exiguus dante Deo fructus. Iam nostri admittuntur ad ciuium domos, beneuoleque habentur. Inducti etiam sunt præcipui quidam ciues, vt ablegarent filios suos ad scholas Brunsbergenses: idem alij meditantur. Hoc Dei gratia obtinuimus, vt velint priuati ciues quidam nos aperire scholas: ac non semel talia desideria audita sunt. Alij & quidem magni nominis Calvinistæ, consilium à quodam è nostris petierunt, quæ ratio ineunda esset, vt & ipsi in scholis Calvinisticis possint eum ordinem ac vigilantiam in docendo introducere, qualis in Iesuitarum scholis viget.

### *Collegium Toruniense.*

**T**Orunij quoque eadem quæ alibi pestilentia tempestas sæuiit; quare vi maiore ingruente, vt pluribus nostrorū opera adiumento esset, quatuor ad auxilium & solatium Catholicorum in vrbe remanentibus, tres alij in proximum secesserūt prædium, vt inde ad nobiles & circumiacentes pagos, liberiores excursions instituere possent.

Verum

Verùm cum omnem circumcirca viciniam eadem contagio afflasset, & vel pedem domo efferre res plena esset periculi; in commodius tempus tam saluari cogitatione reiecta. omnem suam operam in subditorum animis, ad pietatis & Christianæ disciplinæ officium excolendis consumpserunt. Cæterùm iis qui in ciuitate relictis fuerant, non defuit solita in proximos Societatis opera, eaque frequentior in omni genere salutari officij. Et quamuis pestilentia vicinas domos peruagata esset, nostri tamen incolumes diuina gratia, cõseruati sunt. Quanta verò huius ciuitatis in Societate nostram sit maleuolentia & nocendi studium, cum multis argumentis clarum est, tum hinc quoque non obscure perspicitur potest. Cum R. P. Petrus Sharga S. R. M. concionator ante biennium Vilnæ concionem coram Sacra Regia Maiestate ad exercitum Liuonicum ad cõtra hostem fortiter agendũ habuisset; quidam malè feriatuſ homo hanc concionem ipsius, cum calamo fortassis excepisset, ita illam nequiter inuertit, corruptit, mutilauit, addendo falsa, & vera detrahendo, vt germanæ genuinæque adulterinam supposititiãque scripto primũ, post etiam (per quendam in Germania Ministrum) typis mandatam in vulgus sparserit. Erat in hoc famoso libello non solum R. P. Shargæ nomen grauissimè traductum: verumetiam vniuersæ Societatis nostræ existimatio famaque bona, intolerabilibus conuiciis lacerata. Cui malo alia apologia à quodam nostro solida & erudita remedium attulit; quamuis ne emeretur aut venderetur, Senatus (vt fertur) cauit. Adcõ Societati & veritati est Magistratus & populus inimicus. Nihilominus in tam inflammato odio, ciuium conatibus quantum licuit, in proximi salutem atque perfectionem incubuimus. Conciones habite sunt



singulis diebus Dominicis & festis ternæ. Germanica prima manè, ad quam quidem plures accedens auditores, nisi notarentur, & Ministrotum perpetuis auocarentur clamoribus: Polonica bina, vna ante, altera post prandium cum frequentia non contemnenda. Nam licet pestis quàm plurimos abstulerit Catholicos, mille tamè interdum & plures numerantur auditores. Confitentium communicantiumque numerus, pro sacratissimo solius Paschatis festo ad tria ferè accessit millia. Sacerdos quidam è nostris, cum bis missus esset ad monasterium quoddam, non exiguum inde percepit fructum: auditæ plurimorum generales confessiones, & spiritualibus Societatis nostræ exercitiis complures Cœnobitæ perpolitæ. Scholæ necdum apertæ, aperientur autem, quamprimum domus vtriusque possessionem obtinuerimus; tamen si ciues quàm maximè illas impedire conentur. Auditæ enim hæc simileque voces; prius se omnes fortunatas, quin vitam sanguinemque malle profunderè, quàm scholas admittere. Vt autem Societatis scholas in omnium hominum odium calumniamque adducerent, emisertunt hic vnà cum pestilentissimo illius Ministri (cuius supra mentionem fecimus) libello; cuiusdam alterius Ministri epistolam, ante aliquot annos contra Societatis scholas impressam Germanicè, iam denuo recusam. Solennem Sacratissimi Corporis Christi processionem, ad quinque hominum millia sunt profecta, passimque sese ex vicinis remotioribusque locis, & nobiles & ignobiles homines, certatim ad illam cohonestandam effuderunt. Hoc anno non contemnenda ad fundationem facta est accessio. Nam cum in prædio quodam nostro propter colonorum defectum, magnas expensas singulis annis facere coacti fuerimus; hoc anno accesserunt con-  
silio

filio & auxilio Magnifici D. Fabiani Pleminsii vicini, hîc inter viros propemodum fautoris & benefactoris coloni aliquot. Diuinitus quoque accidit, quòd fratres duo, ciues Torunienses hæretici, medium pagum prædio proximè adiacentem, præter omnium expectationē nobis vendiderint. Ad Ecclesiæ gremium adducti sunt 30. haud pauciores in fide vacillantes confirmati. plures citra omne dubium adducerentur, si nobis ad illos, vel illis ad nos accedere liberè liceret. quòd si aliquando de rebus salutis cum aliquo agendum est, aliqua nos loca extra suspicionem illis destinare oportet. Apostata quidam medicus homo furiosus, dicax, & præ cæteris hîc doctrinæ existimatione excellens, in prædio quodam à magnifico viro in ciuitate dato, nostros ad disputationis cōgressum prouocauit. præsumptuosè: verum paulò post illum præfocauit mors, & pestis pestem sustulit: alium quoque medicum hominem Apostatam sacerdotem (tali enim hominum colluue hæc ciuitas delectatur) magnum Societatis nostræ hostem, & publicum Dei blasphemū: cuius domum lapideam ad fiscum deuolutam S. R. M. nobis pro singulari in nos sua clementia attribuit. Adolescens quidam Germanus mirum in modum fuit exagitatus à dæmone: noctu clausa vndique domo lecto extractus, primùm in profundas ciuitatis fossas, inde ad hortum, atque alia quàm plurima loca varia est delatus. Socius eius Catholicus rem ad nos detulit; vterque per Sacramentū confessionis, & loci mutationem adiutus.



*Collegium Leopoliense.*

**N**Ec Leopoli felicior plerisque aliis huius Pro-  
 uinciæ Collegiis fuit. Peste quippe sæuente  
 vrbe cedendum fuit; duo tamen sacerdotes cum  
 duobus sociis Coadiutoribus ad horum excipien-  
 das confessiones, qui non excesserant, quibusque  
 periculum aliquod ex contagionis afflatu immi-  
 nebat, relictæ. Et sanè præclarè ab illis posita est  
 opera, collectique ex concionibus, confessionibus  
 & aliis Societatis nostræ muneribus, ex omni ge-  
 nere hominum fructus vberes ac iucundi. Quam  
 ob causam etiam ciuium magnam experimur erga  
 nos beneuolentiam. In gremium Ecclesiæ reducti  
 schismatici circiter 10. hæretici 9. inter quos fuit  
 Minister, quo hæresim abiurante, femina nobi-  
 lis, apud quam spargendo pestifero dogmati ope-  
 ram dederat, errorem & ipsa detestata, iam iam ad  
 expiandas confessione noxas accedere volebat:  
 cum ecce à marito violenter abstracta, educitur ex  
 templo, in arcem concluditur; vnde tamen postera  
 die omnibus relictis pedes profugit. Spiritualia  
 nostræ Societatis exercitia vni primariæ personæ  
 cum magno fructu data. Dux primariæ ciuitatis  
 femina, diuturnum fouentes odium, maritos  
 suos ad hoc ipsum suscipiendum impulerant; eo-  
 que progressa res, vt tota ciuitas in duas quasi fa-  
 ctiones diuisa, non nisi cruentum quid spectaret.  
 Pax & concordia à multis religiosis & nobilissi-  
 mis viris frustra tentata, à nostris Dei auxilio, po-  
 sitis odiis & offensionibus confecta atque firmata.  
 Tres ludæi sacro baptismatis fonte abluti; eorum  
 vnus vxore, liberis, & tota substantia relictæ, nu-  
 dus ad vexillum Christi profugit. Tres supplicio  
 afficiendi ita alacri & prompto animo sententiam  
 mortis

mortis exceperunt, & dicerent iucundiotem iam sibi mortem ipsa vita, & malle furta pendere, quam effracto carcere (non enim deerant illis instrumenta, quibus id perficerent) profugere. Accesserunt hoc anno ad Collegii fundationem octo florenorum millia, à quodam pio & nostro Ordini additissimo homine collata; qui tamen nomen suum celatum voluit. Similiter & eleëmofynæ nomine floreni circiter quingenti accepti. Aucti insuper sumus hortus, cuius pretium ad ducentos supra mille florenos ascendit. Nec minor accessio supellectili Ecclesiasticæ facta. Multas vestes ad ornatum Sacri, & ad conuertiendos parietes amicorum beneficentia liberaliter contulit.

*Domus Probationis Cracouiensis  
S. Stephani.*

**N**ouitij eorum quæ vel ad experimenta solita, vel ad studium mortificationum, & solidum in spiritu profectum spectant, per Dei gratiam nihil omiserunt, egregiamque suæ pietatis testificationem exhibuerunt, cum alijs temporibus, tum potissimum Beatorum nostrorum PP. Ignatij & Xauerij festis diebus; quos & varijs præcedentibus carnis afflictionibus, & oratione diurna cohonestarunt. Nec minus fuit eorum studium in colendo B. Stanislao Kostka, vtpote quem Deus & de gente nostra Patronum, & nouitij potissimum reliquit imitandum. Proximis etiam quantum tiroinij status patitur, non defuit eorum industria, Nam & pauperes qui plurimi è plâteis collecti rant ad vnum hospitale, rebus fidei & ad Sacramentum Pœnitentiæ spectantibus tamdiu imtuebant, quamdiu aliud non dimittebantur, & duos



iuvenes in Iudaica perfidia natos, Christianæ doctrinæ elementis excolētes, ad sacrum baptismum disposuerunt. Hos deinde Reuerendissimus Cracouiensis præsentibus multis proceribus, magno omnium applausu, in nostro S. Stephani parochiali templo, ipsa Dominica Quinquagesimæ sacro fonte abluit. Qua etiam die prædictus Antistes, pro ea qua nos complectitur beneuolentia vnâ cum Palatino Cracouiensi & multis alijs Prælati nobiscum in refectorio pransus est, submissis omnibus necessarijs. Veteranorum, licet in hac in domo pauci, suus tamen constitit fructus: non defuerunt enim confessiones celebrioribus festis, pro tanta operariorum paucitate plurimæ; in quibus inter cætera iucundus fuit, tum duorum hæreticorum ad Ecclesiam reditus, tum cuiusdam Palatini periculoso morbo laborantis euentus. Is enim vehementer exoptans per sacram exomologesim peccatorum onus coram vno è nostris deponere, statim vt est voti compos effectus conualuit. Ex ijs qui sacris commentationibus iuxta præscriptum B.P.N. sese exercuerunt, in domo nostra erant hoc anno 15. ex Ecclesiasticis nimirum & sæcularibus: & inter Ecclesiasticos, præter quatuor Prælatos, duos Parochos & vnum quendam Religiosum, insigne erat quatuor aliorum Religiosorum Ordinis Cisterciensis studium hac in re. Nam ijs meditationibus magno suo bono & ingenti Abbatis solatio expoliti, statim se ad reformandum totum monasterium contulerunt. Quo tempore duos tresque habuimus sacerdotes in tertio Probationis anno, institutæ erant non sine fructu ad varia loca missiones. Prima fuit initio Quadragesimæ Mstouiam rogatu Præpositi, vbi Religiosis Canoniorum Regularium Ordinis S. Augustini, varijs prius exhortationibus ad vitam religiosam ita vt par est

traducendam excitatis, exercitia spiritualia magno cum emolumento sunt data; ibidem ad populum varias conciones habitas, plurimorum confessiones sunt subsecutæ. Altera Missio fuit Sandecum nouum ad oppidanos, & Sandecum vetus ad Moniales. In priori tantò maior erat fructus, quãto minùs nostri in illo oppido antè erant noti, & quantò peius ciues varijs maleuolorum sermonibus de nobis erant persuasi. Liceri igitur initiò nobis fidere non viderentur: auditis tamen sæpiùs nostrorum concionibus, & visis laboribus tum in continuis confessionibus excipiendis, tum in varijs variorum inimicitijs componendis; ita priorem diffidentiam beneuolentia compensarunt, vt vnanimi consensu mansionem Sandeci expetierint. Inter plurimos pœnitentes respuerunt etiam duo magicis dediti artibus, quorum vnus impia syngrapha proprio sanguine exarata se dæmoni deuouerat. Vna etiam virgo nobilis hæresi a primæ ætate imbuta, & continuis in fidem Catholicam blasphemijs assueta, visâ ancillâ suâ quæ Patri confessa, maiorem in modum exhilarata ad eam redierat, & gaudij insoliti causâ cognitâ, ita Spiritu Domini commota est, vt subitò Sandecum aduolans, gemebunda dolorem agnouerit, & Ecclesiæ manus dederit. Visitatae sunt etiam Moniales Archidiacono perurgente, in initio à nobis pariter alienissimæ: sed habitis in templo earum confessarijs præsentibus, accommodatis ad statum religiosum exhortationibus, omnes nostro confessæ sunt vehementer erubescentes, ita sinistra se de nobis habuisse opinionem. Data sunt quinque ex ijs spiritualia exercitia, aliq̃ dum idem expeterent, in aliud tempus reiectæ sunt. Magno dolore discessum nostrorum prosecutæ sunt. Magnæ etiam erant illis & admirationi & ædificationi plurima munuscula



ab ijs oblata, & à nostris conſtanter reiecta. Iam poſterior ad idem oppidum Miſſio ob ſolas Moniales inſtante Reuerendiſſimo noſtro eum exitum habuit, vt omnes illæ virgines, ſpiritualibus meditationibus exercitatæ, nouam omnino vitam inchoarint. Additi non mediocres ſolemnitate circa Reliquias S. Cunegundis illius monaſterij fundatricis (ipſo SS. Trinitatis feſto, ac eo in loco maximè celebri die) quæ ex loco elatæ humido, & priùs magna reuerentia vino ablutæ, in altari magno hominum concuſſu ſunt repositæ. Ter illo die à noſtro concio habita, & continua penè ſacrarum virginum oratio inſtituta. Nec deerat ſolemnitati Dominus annuens. Nam dum poſt in fines Vngariæ idem Pater excurrens oblatum à parentibus puerum epilepſia laborantem, ad ſepulchrum S. Cunegundis direxiſſet, & parentibus peregrinationem ac confeſſionem iniunxiſſet, ſtatim puer morbo leuatus eſt. Accessit his tertia Miſſio eiufdem Reuerendiſſimi voluntate Luborolam, quæ potiffima quidem Scepuſis ciuitas, munitiffima arce celebriſ; ſed hæreſi, quæ toto ferè illo tractu dominatur, infamiſ. Primum noſtrum in hanc ciuitatem ingreſſum clamor riſuſque puerorum ac leuioris plebèculæ excepit: verum cum noſtri hoſpitali inprimis viſitato, ad Magiſtratum ſchedulam cum patentibus Reuerendiſſimi dediſſent, aduentus ſui cauſam exponentes; ſtatim adfuerunt ex Magiſtratu aliqui, omnem beneuolentiam cæterorum nomine exhibentes, & res ad victum neceſſarias offerentes. Vnde poſtea plebs magis nobis fidens ad nos acceſſit, decemque ex ea hæreſim abiurarunt, ac plurimorum nomine potius quam re Catholicorum inter illas peſtes verſantium confeſſiones ſunt audiatæ. Qui ſit magnatum erga hanc noſtram domum animus, declararunt inter

cæteros tum Reuerendissimus noster, nostris subinde necessitatibus prouidens: tum duo Palatini, Cracouiensis, & Lenticiensis; qui feria quinta magna in nostro S. Matthiæ sacello cum nouitijs de manibus R. P. Prouincialis, qui tunc aderat, communicarunt: postea in nostro refectorio cibum sumperunt, Palatino Cracouiensi necessaria abundè suppeditante. Hinc deinde ad vesperam saccis induti cum paucis è suis ad proximum hospitale iuerunt, ibique pedes pauperum abluerunt. Leuaui etiam quidam (qui latere voluit) inopiam nostrâ pecunia 800. circiter florenorû per certû hominem nobis missa, vt necessaria pro Fratribus ac pro iis qui ad exercitia veniunt cubicula exædificaremus, eo loco, in quo lignea ruinosa habebantur. factumque est diuina gratia vt iam & n. illo in loco cubicula videamus, quæ iungunt murum sacelli cum domo antiqua lapidea; & modum habeamus quo deinceps plura vtrimque ducto per medium curritorio suo tempore construi possint. Adiuuerunt præterea rem nostram familiarem, tum piscinæ in horro suburbano purgatæ, & aquis copiosis varijsque piscibus repletæ: tum in prædio stagna cum piscinis antea omnino deserta, iam propè ex consilio peritorum restaurata.

### *Residentia Sendomiriensis.*

**S** Endomiria ciuitas est regia in Polonia minore, situ loci ad ripam Vistulæ, & crebro concursu nobilitatis iudiciorum occasione celebris In ea datus est à Serenissimo Rege Sigismundo III.arci Præfectus illustris & magnificus D. Hieronymus Gostomsky de Lezenice Palatinus Posnaniensis, vir Dei gloriæ & religionis propagandæ per studiosus, ad cuius lucem ex alta hæresum nocte



reuoceatus est. Is vbi primùm eò venit, cogitauit quâ ratione vicinam nobilitatē varijs implicitam erroribus ad Ecclesiam reuocaret. Nec verò occurrit ei melior, quàm vt Societati Collegium ibidem erigeretur. Expertus enim erat in maiore Polonia, iuuenturis in scholis institutione, concionibus & ministerijs Societatis receptis, quantus ad extinguendas hæreses, & ad pietatem præpropagandam factus fuerit progressus. Igitur per annos quatuor ea de re cum Superioribus Societatis tractans, tandem obtinuit, vt iacto dotationis fundamento stabili, certa etiam in fabricam pecuniæ summa designata, & Ecclesiæ parochialis in eadem ciuitate vniõne à Serenissimo Rege & Reuerendissimo Cracouiensi obtenta, initia nostræ isthic habitationi darentur. Quibus ita constitutis missi sunt duo è nostris, qui concionibus & Societatis consuetis erga proximos ministerijs illius loci populo seruirent, donec aliquid certi de residentia stabili a Superioribus definiretur. Hi à Dominica Palmarum vsque ad finem Iulii strenuè laborarunt, ac eorum industrię diuina suffragabatur clementia, vt populus ille Societatis nostræ homines cognoscere, & operâ eorum vti in confessionibus ac aliis inciperet; aliqui etiam hæresi infecti per ipsos Ecclesiæ reconciliarentur. Neque verò vel his ipsis initiis pii homines desiderati, qui suam in nos liberalitatem declararunt: præcipuè verò quædam illustris femina, quæ pecuniæ tantum dedit, vt ex illa calix deauratus & ampullæ argentæ pro vsu nostrorum sint comparata. Hunc letum rerum successum contagio ingruens disturbauit. Nam & populus metu perculsus ciuitate relicta est dilapsus, & nostri ob imminens periculum ad oppidum vicinum migrare sunt coacti; vbi non minùs fructuosè operam suam collocarunt. Porro magnificus Do-

minus



minus Palatinus in Poloniã maiorem reuersus ignarus pestilentia Sendomiriã sc̃uientis, egit diligenter apud Superiores, vt is è nostris quã primum mitteretur, qui ad fundamenta Residentia Collegiiq̃ue futuri istic iacienda erat designatus: quem cum haud grauatè impetrasset, cum omnia metu contagionis Sendomiriã prostrata iacere intellexisset, in bonis magnifici D. Palatini, dum des̃uiret pestis, substitit. Nec inutiliter. Nam Dominicis & festis diebus, verba ad populũ secundis auribus facta, confessiones excepta, & alia Societatis munia pro virili obita. Ad eluenda ritè peccata tantus concursus fuit, vt solemnitate Sanctorum omnium imminente, à tribus sacerdotibus vix potuerit omnibus, tribus diebus continuis satisfieri. Erant ex illis multi qui ab annis pluribus maculas conscientiarum non eluerant. Erat & itinere femina nobilis, 40. & eò amplius annos in hæresi habens, quæ crebrius sollicitata nunquam potuit induci, vt hæresim relinqueret: at postquam eius filius in morbum, qui mortem certò allaturus videbatur, incidit, cœpit à Deo sanitatem filio petere, & promittere conuersionem. Et filium & ipsam Deus respexit. nam illi corporis, huic animæ reddidit, per nostros, sanitatem. Altera è comitatu nobilis femina, penè ab infantia in domo hæretica educata, Spiritu Dei procul dubio edocta ac permota, ab aliquot miliaribus ad oppidum vbi nostri erant se contulit; vbi facta peccatorum confessione, Catholicæ communioni est aggregata,

F I N I S.





